





Geo Duffield

Section ________

No ________



HYPOTYPOSIS HISTORIÆ ET CHRONOLOGIÆ SACRÆ,

à M. C. uſque ad finem Sæc. I. Æ. V.

Accedit

TYPUS DOCTRINÆ PROPHETICÆ.

AUCTORE
CAMPEGIO VITRINGA,
Th. & H. S. Profeſſore.

Editio ſecunda correctior.



LEOVARDIÆ,
Excudit FRANCISCUS HALMA, Illuſtr. Friſiæ Ordd. atque Eorund. Acad. Typogr. Ordinar.
MDCCXVI.

HYPOTYPOSIS HISTORIÆ ET CHRONOLOGIÆ SACRÆ,

à M. C. usque ad finem Sæc. I. Æ. V.

Accedit

TYPUS DOCTRINÆ PROPHETICÆ.

AUCTORE
CAMPEGIO VITRINGA,
Th. & H. S. Professore.

Editio secunda correctior.



LEOVARDIÆ,
Excudit FRANCISCUS HALMA, Illustr. Frisiæ Ordd. atque Eorund. Acad. Typogr. Ordinar.
MDCCXVI.

Origenes *adv. Celsum*, Lib. IV. p. 209.

Καὶ οὐδέν γε ἠμέληται τῷ Θεῷ, ἢ ἀμεληθήσεται, ποιοῦντι καθ' ἕκαστον καιρὸν, ὅπερ ἔπρεπεν αὐτὸν ποιεῖν. καὶ ὥσπερ γεωργὸς κατὰ τὰς διαφόρους τῶν τοῦ ἐνιαυτοῦ ὡρῶν διάφορα ἔργα γεωργικὰ ποιεῖ ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ τὰ ἐπ' αὐτῆς φυόμενα· οὕτως ὁ Θεὸς οἱονεὶ ἐνιαυτοὺς τινας (ἵν' οὕτως ὀνομάζω) οἰκονομεῖ ὅλους τοὺς αἰῶνας· καθ' ἕκαστον αὐτῶν ποιῶν ὅσα ἀπαιτεῖ αὐτὸ τὸ περὶ τὰ ὅλα εὔλογον, ὑπὸ μόνου Θεοῦ ὡς ἀληθείας ἔχει, τρανότατα καταλαμβανόμενον καὶ ἐπιτελούμενον.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

QUando *aliquot abhinc annis* Aphorismis *hisce* Historicis *conscribendis operam dabam, Lector Benevole: duo mihi habebam proposita. primum quidem, ut* Historiæ Sacræ *&* Ecclesiasticæ *Doctrinam in Scholis Domesticis ex officio mihi mandato traditurus, in tanta rerum & materiarum copia delectum aliquem facerem, & præcipua themata, de quibus mihi explicatius disserendum esse videbam, in ordinem aliquem digererem, quem in Institutionibus hujus generis commode & absque vitio sequerer; perinde ac consueveram in* Theologicis. *alterum, ut iis complecterer judicia mea de* Dubiis *quibusdam* Historicis, *aut* rationibus Temporum, *de quibus periti hujus Disciplinæ Viri inter se controversantur. Posterius adsequi, difficile non fuit:*

prius, operis & negotii majoris. Quin etiamsi curæ habuerim vela contrahere, & non necessaria à tergo relinquere: observabam tamen in processu Opusculi, latius diffundi congestam materiam quam vellem. Congestam, inquam. Res enim graviores hujus argumenti, quas non licebat præterire, indicantur solummodo à me, aut tanguntur; non pertractantur, non disputantur. auctorum vero cum meminerim, quorum fide stat historia: nulla fere illorum loca exscripsi, raro etiam designavi; licet utrumque absque negotio præstare potuissem. sed erat illud ab instituto alienum. Ubertas autem rerum magis, quam mei judicii vitium fecit, ut hic modum excesserim. Cum enim Historiæ Sacræ *&* Ecclesiasticæ *studium, nobilissimum illud vere & dignissimum quod meliora ingenia exerceat, proximis hisce temporibus diligenter sit excultum, atque etiamnum excolatur à Viris bene eruditis, harumque Litterarum peritissimis, multa autem ab illis egregie observata, è tenebris protra-*

tra-

tracta, & clariore lumine perfusa sint per totum hujus Scientiæ corpus, quæ primorum cultorum diligentiam fugerant; multa alia in dubium vocata, disputata, emendata, quæ illi, tot subsidiis hactenus non instructi & succincti, ut certa & explorata admiserant vel supposuerant: non licere putavi, ut ea tanquam non visa aut inspecta prorsus intacta prætermitterem; & tamen attingi, & vel simpliciter commemorari non poterant, nisi labor præter primas consilii mei rationes excresceret. Prævidebam autem, longe adhuc difficilius fore, opellam hanc meam intra angustos illos, quos mente descripseram, coarctare cancellos, si historiam Ecclesiæ Christianæ *deformare instituerem, quippe quæ & amplior multo ac diffusior est* Patriarchali *ac* Judaica, *& in tanta etiam luce harum Litterarum multa adhuc dubia habet, incerta, obscura, vel prætermita hactenus à Doctis, vel inter eos controversa, & tamen accuratiore investigatione non indigna, vel saltem Litteratorum vulgo ignota, de quarum rerum*

 ple-

plerisque tacere omnino & non dicere sententiam; vel sententiam dicere, & eandem ab aliorum judiciis forte dissidentem, non adstruere ratione, & adstructam non vindicare; tam mihi grave esset & injucundum, quam effectu difficile ut hic paucis defungerer, si ductum sequerer ingenii. Ratus itaque satis Compendiorum *in Mundo esse, quibus summa capita hujus Disciplinæ qualitercunque exhibentur, & plane alienus à proposito longius excurrendi in vasta hæc spatia quam in initio mihi præstitueram: destiti à conatu, eumque reliqui informem; & abiere tamen exempla, qualiacunque erant, in manus hominum, &, quod minime expectaram, cœperunt desiderari. Quæ caussa est, quod æquum duxerim Typographo id expetenti permittere, ut libellum denuo describeret; & simul impositam mihi intellexerim necessitatem ei aptandi formam, qua paullo honestius in conspectum publicum dari posset. Id vero ita sum exequutus, ut paucis in* Historia Ecclesiæ V. T. *immutatis, translatis,*

additis, subjecerim specimen Historiæ Ecclesiæ N. T. *commode tractandæ secundum ordinem illum, quem mihi in* Institutionibus Domesticis *præscripsi. Decurrit illud ad* primi Sæc. Æræ Christianæ *finem. ibi subsisto ob rationem, modo in medium prolatam. Nec tamen hic plane destituo lectores meos, si historiam ex meis præceptis quam aliunde discere malint. In* Commentario *enim meo* Apocalyptico *per omnia ivi spatia temporum Ecclesiæ Christianæ, & tam de singularibus illius Ecclesiæ casibus ac eventibus insignioribus, quam de diversis ejus statibus, judicia mea tam plane & perspicue declaravi, ut neminem lateant cui cura fuerit ea relegere & cognoscere. Et absit tamen hic quicquam jactem, & peritiam meam, cujus mediocritatem absque monitore satis intelligo, aliis commendem. Novi enim quam vasta hæc sint studia, & quam ægre hic obtineatur ea scientiæ & eruditionis perfectio, quæ fata & gesta Ecclesiæ temporibus suis per tot Sæculorum tractum prudenter innectit, & vera*

à falsis, vel saltem, (si incertitudo traditionis aut idoneæ auctoritatis defectus verum non clare ostendat,) probabilia ab improbabilibus ubique recto judicio discriminat. Equidem cum in omni alio studii genere, tum præcipue in Historico judicii sunt partes primariæ. Regnat enim per Historiam affectus, & forte per Ecclesiasticam, *quam hic à* Sacra *distinguere liceat, magis etiam quam per* Sæcularem. *Monendi itaque hic sunt Juniores, qui se ad ipsa Monumenta historiæ inspicienda & legenda applicant, si cavere sibi velint ab errore,*

Primo *quidem operam uti dent, ut in* Historicorum *ipsorum accuratiorem notitiam veniant. nempe ut sedulo inquirant in illorum tempus, indolem, mores, peritiam, affectum, partes quas in Ecclesia fecerint vel sectati sint, caussasque etiam quæ illos ad historiam scribendam impulerint, sive, ut paucis dicam, in illorum tum* facultatem *tum* voluntatem *vera testandi. quæ notitia vel ex ipsis peti potest, hoc est, scribendi narrandique modo, stylo, ordine, ac-*

curatione, judiciis quæ historiæ suæ intermiscent, veluti si exemplum capias ex Polybio; vel ex testimoniis Scriptorum contemporaneorum, aliisque ejusdem ætatis & rerum historiis cum ea quam ipsi tractant, industrie collatis.

Deinde *ut advertant animum non ad* res *tantum quæ in historia traduntur, sed & ad earum* rerum caussas: *quas si intelligere & adsequi nequeant; non existimabunt, se profectum fecisse in historia, docto homine dignum.* caussas *autem si historia ipsa non explicet; (rara enim est Ecclesiasticorum* ἀκρίβεια *qualis inter Politicos Veteres* Thucydidis *&* Polybii; *inter recentiores* Comminei, Guiccardini, Baconis; *& inter Ecclesiasticos ipsos*, Eusebii, Socratis, Pauli Sarpii, Sculteti, Burneti, Seckendorfii:) *detegent facile ubi prudentes consideraverint eorum quorum gesta narrantur, ingenium;* παθήματα *dominantia; rerum gerendarum occasiones,* προφάσεις; *gestarum initia, progressus, consequentia; &, si de* Hæreticis *qui dicuntur, &* Conciliis *agatur, atten-*

dent ad hominum illius ætatis virtutes & vitia; tum quoque ad eorum studia, studiorumque administrandorum rationem, προλήψεις per Scholas vel inter doctos regnantes, partiumque utilitates & damna, quorum respectum satis constat in actiones hominum valique influere. Actiones enim, quod ratio docet, ex principiis suis ducuntur, fere ut effecta ex caussis, quarum proaunt naturam. Equidem Historici bene multi Eventa sæpe παραδοξότατα narrationibus suis intexentes, suspensos tenent lectorum suorum animos, iisque nihil relinquunt præter admirationem, acsi personæ, quas in hanc scenam illi ducunt, (pone; de Hæreticis agi:) postquam bonam mentem ejurassent, ad absurdas plane, ridiculas, & ab ævi sui opinionibus ac præjudiciis diversissimas prolapsæ essent sententias, & præterea satis faciles invenissent sui temporis homines ad plausum credulitatis. Esto vero: inficias nunc non ibo, subinde accidere nec opinata, & in tanto mortalium numero dari etiam

vel hypocritas impios, pessimi homines ingenii, qui credulorum facilitate & simplicitate in negotio Religionis abutuntur; vel etiam deliros, fanaticos, mente captos, qui se miscentes rebus Religionis, hoc suum vitium ad alios similis ingenii transfundunt. Sed vel paucorum hominum illæ sunt sectæ; vel non adeo longi temporis. passim aliter evenit. Paucorum hominum, ut quidem ego existimo, in Christianismo corrupta adeo est indoles, malitia & impietas tanta, ut posita honestate ac pudore, & domita atque oppressa conscientia, solo honoris aut lucri respectu inducant animum ad cudenda vulgandaque Dogmata Religionis nova, paradoxa, à communi opinione diversa, de quorum falsitate ipsi sint convicti. Contra vero si quis hac in parte historiæ gestarum rerum caussas rimetur: facile observaverit, in partes venisse rationem, sive, ut rectius loquar, rationis speciem aliquam, eamque ut plurimum petitam ex hypothesibus Philosophiæ istac ætate regnantis: veluti, si Gno-

ſticorum *ſententias ſcire vis, aut ſingularia quædam* Clementis Alexandrini *&* Origenis, *celebrium Eccleſiæ Doctorum; recurrendum tibi erit ad Philoſophiam* Platonicam, *ſive* Pythagoricam *quomodo exculta fuit & amplificata à Piloſophis Judæis, qui Kabbaliſtæ dicuntur: ſi* Manetis *ſive Cubrici; ad Philoſophiam Perſicam: ſi ipſius* Muhammedis; *ad Philoſophiam Arabicam, qualem id temporis profitebantur Coriſæi.* Eutychianam *hæreſin, quæ in Oriente & Ægypto tantam ſtragem dedit, tot civit fluctus, & longo adeo tempore ſe ſuſtinuit, & quæ nobis tamen nunc plane abſurda videtur, & rationem omnem abhorrere; nemo intelliget, nedum explicabit, qui hypotheſes hominum illius temporis de* natura ſpirituali, *à Doctrina recentioris Scholæ Philoſophicæ multum diverſas, non ante perceperit; & pendent quoque inde plura alia, quæ nunc transmitto, cum excurſum non quæram in præſenti, ſed fugiam.*

Tertio, *cum Chronologia ſit anima & lu-*

& lumen historiæ, ut historia lumen animæ: plane necessarium est, ut qui animum ad hæc studia adjungunt, temporum *habeant rationem, si non ubique accuratam, saltem rudiorem. Historia ipsa mera caligo est, neminem doctum facit, nemini fidem veri persuadet, absque notitia temporum. Opus vere nobile, sed laboris immensi: nec abhorruerunt tamen illum, post studium hoc perinde atque illud* Historiæ Universalis *in Occidente diu neglectum, Viri egregii plures qui* Sæculum suum, *faustum illud & optatum quo Ecclesia in melius instaurata est, illustrarunt, inter quos primum locum meretur* Joannes Funccius. *Et tamen alius longe ac floridior multo hujus Scientiæ conspectus fuit post heroica conamina* Scaligeri, *&* ἐπανορθώματα Petavii, *ac Doctorum hominum, qui eorum sequuti sunt sectam. Novam postea accenderunt facem* Jacobus Usserius, *& nostris diebus* Antonius Pagi, *immortalem meriti laudem; imo etiam* Marshamus, Pearsonus, Loydius, Norisius,

sius, Dodwellus, Hankius; *ne nunc plures appellem. Pertinet autem huc, primo nosse* Epochas *sive* Æras *quæ dicuntur, celebriores; deinde eas inter se ordinare, & comparare cum mensura quadam temporum majore quæ omnes complectitur, qualis est* Periodus Juliana *Scaligeranæ inventionis, omnium haud dubie utilissima: postea gesta Ecclesiæ suis* annis *aut* temporum Periodis *illigare: denique eadem conferre & componere cum* gestis Mundi *contemporaneis, ut imago* Sæcularis *&* Ecclesiasticæ Historiæ, *quarum altera collustrat alteram, simul versetur ob oculos. in quo labore quanto quis se exercuerit diligentius, tanto fructum ex eo & delectationem ceperit majorem.*

Denique *cum certa stet & indubia sententia*, Deum rebus hominum intervenire, *& cuncta Mundi atque Ecclesiæ fata ejus subjacere providentiæ moderamini, atque adeo Historici omnes vere sint* ὑπουργοὶ τῆς θείας προνοίας Divinæ Providentiæ administri, *ut recte atque eleganter Diodorus Siculus:*

sua-

suarum partium esse arbitrabitur hujus cultor scientiæ, ut in historiis non modo vias *rationesque agendi* hominum, *sed &* vias Dei *in exequendis vastis consiliis & moliminibus suis attente observet legatque, & eventa rerum Mundanarum non adscribens* casui, *non* fortunæ, *non* fato, (*quæ nomina sunt inania*, ἄπρακτα, κακέμφατα;) *sed suspendens à manu gubernatrice summi Præsidis & Rectoris, eadem cum ejus virtutibus studeat commetiri. Id si fecerit: deprehendet*, beneficia *quæ Deus hominibus pro bonitate sua large satis indulget, illorum* beneficiorum abusum, *& hunc insequentia* Dei judicia, *in orbem ire ac circulum quendam describere, circum quem res hominum volvantur. Discet ex historia æque ac per experientiam, Dei summam esse in homines beneficentiam, summamque in erroribus illorum ferendis patientiam, sed illos Beneficiis Divinis obstinate, abutentes, suo vitio malos, sua culpa miseros esse. Adversa autem & luctam Ecclesiæ Christi Jesu si contempletur:*

(*quæ*

(*quæ pars viarum Dei intellectu difficillima videtur:*) *non hærebit in* mediis, *sed considerabit* prima *&* extrema; *caussas & fines, principia & exitum. Exitum semper observabit gloriosum Deo, salutarem Ecclesiæ, hostibus perniciosum. Id ipsum est quod hic diligentius ad animum vocari vellem, luctam Ecclesiæ passim nasci ex vitiis hominum, sed per Divinam bonitatem & prudentiam dirigi & converti ad Ecclesiæ* τελείωσιν consummationem *&* perfectionem *majorem. Non* hæreses *tantum, quæ occasionem præbent illustrandæ & confirmandæ veræ fidei; aut* persequutiones *&* afflictiones, *extremum medium Ecclesiæ sanctificandæ & à fæcibus suis purgandæ: sed majora quoque Satanæ molimina in corrumpenda sanctissima & castissima Religione per* superstitionem, idololatriam, laxatam morum disciplinam, tyrannidem, *in hunc exeunt finem, hunc sortiuntur eventum. Permittit igitur Deus Ecclesiam tentari, affligi, committi cum Satana, Mundo, hypocritis,*

ut tentaminibus defuncta, purior, sanctior, gloriosior, fortior, prodeat, & gradum promoveat in via perfectionis, sibi in hac vita decretæ, ac tandem post omnis luctæ experimenta de adversis triumphet. Experientia id hactenus comprobavit, estque observatu jucundissimum. Certe qui hoc oculo recto & simplice legerit historias, cum reverenter tum sapienter judicabit de magno Opere Divinæ Providentiæ, tametsi omnem ejus ordinem & nexum non perspicit, colligetque ex hac honesta exercitatione exempla vitæ & documenta morum; ut pie præiverunt qui inter primos Scientiam Historiæ Universalis *è caligine longi temporis in lucem revocarunt*, Philippus Melanthon, & Caspar Peucerus, *qui utilissimum Systema historiæ*, à Carione *adornatum, emendatius & perfectius ediderunt in publicum.*

Poteram autem de hisce & vellem pluribus ac commodiore loco differere. sed in præsentia non licet, ne levidensi opellæ quod deest, præfatione ampliore

ſupplere velle videar. Atqui id non ago, etiamſi ſperem, copiam materiæ, quam in hoc Specimine *adhibeo, eorum inter noſtros excitaturam eſſe ſtudia, qui immenſos labores præſtantium hominum, in hoc genus Scientiæ impenſos, exterorum maxime, (eſtque hic* Gallorum *&* Britannorum *prima laus:) vel oſcitanter negligunt, vel frigidius excipiunt. Cætera neceſſe habeo committere æquitati mei lectoris. Retractanti enim primarum theſium compoſitionem, quod poſt intercapedinem juſti temporis moleſtum accidit,* (Plinius *alibi* frigidum *&* acerbum *dicit:) non licuit aliis diſtricto, vel libuit etiam, Scriptorum quorum ſententias adduco quoſque appello, ſingula loca relegere, inſpicere denuo, atque excutere accuratius; ut adeo neceſſe habeam veteri diligentiæ hac in parte fidere, & ſpero fidere me poſſe. de ſingularibus quibuſdam loquor, minuſque tritis & vulgatis, non περὶ τοῦ ὅλου. De quibus tamen iiſdem rebus ſi mihi hoc tempore ſcribere contingeret: forte delectum & curam quoque, adhiberem majorem.*

Ad-

Adjeci Typum Doctrinæ Propheticæ *ea fere forma quæ ante biennium auditoribus meis ad calamum dictaveram; ob argumenti affinitatem.* Historia *enim ut est gestarum, sic* Prophetia *rerum gerendarum narratio.* Historia *lucem fœneratur* Prophetiæ; Prophetia *prævertit, & implementum nacta, vicissim illustrat ac confirmat* Historiam. *Qui utramque colit disciplinam*, ante videt & a tergo, & *honestissima via adspirat ad summam intelligentiæ ac prudentiæ (qua homini scire datum:) perfectionem. Voluptas & delectatio ex utroque studio similis percipitur; & major etiam ex* Prophetico, *quod Scientia sanctior sit & divinior. Idem de fructu atque emolumento utriusque studii prædicare licet; nisi quod* Propheticum *pios cultores suos validiore pascat & fulciat consolatione. Prædicta enim de amplioribus Ecclesiæ rebus, in prophetiis Divinis obvia, eadem sunt promissa, & fortius sustinent spem credentium, quam exempla quæ exhibentur in* Historia. *Quare*

si Doctus aliquis Vir inter Romanos, cultique ingenii, non dubitarit historiæ *attribuere* potestatem *amplissimam*, dignitatem, *&* numen *quoque: hæc ego multo adhuc majore jure transfero ad* Prophetiam. *Prophetæ enim*, pleni & mixti Deo, *vere fuerunt* Enthei, præsago Divinitatis instinctu futura noscentes, *ut eleganter* Firmicus: *quorum proinde scripta qui pio animo legunt, evolvunt, intelligunt, in proximum veniunt Dei commercium, & in ipsa* Dei luce ac gloria sanctificantur. *Sed memini de eo in ipso hoc* Opusculo, *quantum satis est, suis locis disserere. Caussam autem vulgandæ Opellæ hanc habui præcipuam, quod observarem, esse inter Literarum nostrarum cultores, qui dum in spatiis Academicis versantur, hoc genus studii seponunt, & in ætatem differunt provectiorem, quæ majus ipsis otium & maturius præstet judicium; caussatos maxime vastitatem & difficultatem operis. Quam rationem etsi ego non prorsus sperno: æquum tamen non censeo negli-*

negligi hoc obtentu Studium dignissimum, quod ævo nostro insigni cum fructu & profectu in hisce maxime regionibus excoli cœpit, viguitque, postquam Cl. Coccejus *summa sua diligentia aliis hic præiverit & præluxerit; certe à generoso & bono Dei Spiritu affectus studia hæc, sua ætate languescentia, resuscitaverit, & Ecclesiam vere magno beneficio sibi memoriæque suæ æternum devinxerit: etiamsi forte quis non omne ejus judicium in interpretatione singularium Pericoparum Propheticarum laudet probetque. Putavi itaque, horum imbecillitati non posse me occurrere rectius, aut usibus melius consulere, quam si in manus ipsis darem brevius aliquod hujus Doctrinæ Paradigma; ad omnium accommodatum captum, quod in antecessum rite subactum & digestum, ipsos paratiores redderet & instructiores sive ad evolvenda tractandaque ampliora hujus Scientiæ* Systemata, *qualia ævum hoc nostrum faustis auspiciis (sic reor; estque nostris temporibus honori:) produxit, in calce*

 Opu-

Opusculi *laudata; sive ad ipsam* Voluminum Propheticorum *meditationem accuratiorem cum successu non inani tentandam: cui tamen præmitti vellem lectionem perutilem cultissimarum Exercitationum de* Prophetis *&* Prophetia, *quas paucis ante annis docte instruxit Celeberrimi nostri temporis Theologus, Pater in Christo,* Hermannus Witsius. *Si quid boni & solidi insit in hoc meo conamine; si meditationes meæ non videantur inanes omni gratia & luce Spiritus Sancti: faveat Opellæ Dominus, omnis gratiæ & lucis dator, auctor, vertatque eam in plurium utilitatem. Vale, Lector, & perge me amare in Domino. Scripsi Franekeræ a.d.*VII.*Kal.Aug.*CIↃIↃCCVIII.



APHORISMI,

QUIBUS

SERIES RERUM,

IN

ECCLESIA

Gestarum,

Secundùm illustriores Temporum Epochas,

COMPREHENDITUR.

Προκατασκευή.



HIstoria Sacra est rerum in Ecclesia, vel circa eam, gestarum narratio. II. In qua cum fructu tractanda, quemadmodum in omni alia historia, ad tria potissimum attendendum est. α. Ut ex puris hauriatur fontibus. β. Sincere &

accurate instituatur. γ. Rerum gestarum *ordo* diligenter observetur.

III. De *Ordine* rerum gestarum ut constet: *temporis* præcipue habenda est ratio, quo res gestæ sunt: quando facile erit res illas inter se & cum aliis in Mundo gestis comparare.

IV. *Tempus* nobis hic notat *durationem* rerum creatarum, quatenus confertur, sive commensuratur cum ordinato motu Corporum quorundam Cœlestium: sive potius, *ipsum illum Motum Corporum Cœlestium, quatenus est mensura durationis rerum.*

V. Corpora autem Cœlestia, cum quorum motu duratio rerum commodissime comparari potest, in genere quidem sunt Planetæ, sed inter eos præcipue Sol & Luna.

VI. *Sol* dat *dies*, & *annos*, qui dicuntur, *Solares*: sive circa tellurem moveatur ipse duplici, quod credidit antiquitas, motus genere; sive Terra inter reliquos Planetas oberret circa Solem, secundum Recentiorum Systema; quod ipsum tamen Doctis antiquiorum temporum minime incognitum fuit. id enim nobis nunc perinde est.

VII. Annus vel est Naturalis sive Astronomicus, 365 *dierum*, *horarum* 5. *scrupulorum* 49. vel Julianus, constans 365 diebus, *sex horis*, quæ *quarto* quolibet *anno* diem conficiunt, Februario Mensi inserendum. cujusmodi Annus inde ἐμβολιμαῖος *Intercalaris* dicitur.

VIII. *Lu-*

VIII. *Luna* suo circa tellurem cursu describit *Menses*, Periodicos (*dierum* 27. *hor.* 7. scr. 43.) & Synodicos, qui dicuntur: (*dierum* 29. *hor.* 12. *scr.* 44.) *Annos* etiam, qui Lunares dicuntur, cursu menstruo duodecies repetito, undecim *diebus* minores Solaribus (*dierum* 354. *hor.* 8. *scr.* 48.) Septem Planetæ, vel potius Vetusta traditio de Opere Conditi Universi septem diebus absoluto, peperit *Hebdomadas*.

IX. Anni Lunares & Solares si inter se comparentur, quod ab antiquis populis varie tentatum est: producunt *Cyclum Novendecim Annorum*, qui *Lunaris* dici solet. *Novendecim* enim annis elapsis Sol & Luna sibi in Cœlo fere in eodem occurrunt puncto, unde digressi erant.

X. A quo Cyclo diversus est alius *Viginti & octo Annorum*; qui *Solaris* dicitur: natus nimirum ex *Septem prioribus Alphabeti literis*, quibus characteribus ab Astronomis signari cœperunt *septem Feriæ Hebdomadæ*, per quas Annus Solaris in 52 hebdomadas cum *uno die residuo* divisus, successive decurrit.

XI. Qui Cyclus secundum numerum Feriarum septem hebdomadalium omnino septem constare deberet annis, nisi Anni Intercalares in hebdomadali circulo per duas progrederentur ferias, ac proin duas quoque sibi vindicarent *Literas Dominicales*: unde fit, ut non nisi post *octo & viginti* annos, sive septem ἐμβολισμοὺς, eædem

eædem *Literæ Dominicales* ad eosdem Annos Intercalares notandos adhiberi possint.

XII. Præter quos Cyclos, in Romano Imperio jam inclinato alius quidam notus & receptus fuit *Cyclus Indictionum*, à Magno nimirum Constantino, ut ferunt, institutus, *Annorum quindecim:* etsi institutionis vera ratio lateat.

XIII. Ex hisce Cyclis 19. 28, & 15 Annorum, in se ductis, Robertus Lotharingus, Herefordensis in Britannia Episcopus; inprimis tamen Josephus Scaliger, magnum suum concinnarunt Cyclum Annorum Julianorum 7980, vulgo cognitum nomine *Periodi Julianæ:* cujus Periodi Anno 4714 primus Annus Æræ Christianæ secundum vulgarem Dionysii computum illigatur.

XIV. Quam Scaligeri industriam & laudem nuper æmulatus est eruditus Pagius, sua *Periodo*, quam *Græco-Romanum* vocat & *Julianæ Periodo* utiliorem contendit; *Ærâ* nimirum *Dionysianâ* comparatâ cum *Æra Antiochena*, quæ præter *Alexandrinam* & *Constantinopolitanam* apud Orientales Christianos obtinuit: cujus Æræ Anno 5493 innectitur Annus *Incarnationis Christi à Sept.* & Anno 5494 *à Januar.* seq. Anni, secundum Dionysium.

XV. Quorum Cyclorum, licet fictorum, præcipuus usus est, ut celebriores Æræ & Epochæ temporum majores, de quarum initiis à

Chro-

Chronologis disputari solet, in rationibus temporum inter se commodius comparentur.

XVI. Æræ Celebriores, secundum quas sive sacer Deo populus, sive Gentes aliæ tempora computare consueverunt: sunt, *Conditi Mundi* illa; Olympiadum, sive *Iphiti*; Romanorum, sive *Urbis Conditæ*; Babyloniorum, sive *Nabonassari*; Alexandriæ, sive *Ptolemæorum*; *Seleucidarum*, Hebræis מנין שטרות *Æra Contractuum*; Christi nati, sive *Dionysiana*; & quæ hac antiquior est, *Diocletianea*; *Hegira* denique, sive Arabum Mahumedanorum.

XVII. In quarum Ærarum initiis recte figendis, & inter se conferendis, non tantum ratio habenda est historiæ, qua series rerum gestarum concinno ordine contexitur; sed vel præcipue Observationum Astronomicarum de Planetarum Motu, imprimis Eclipsium Solis & Lunæ, à diligentissimis Viris sive in Historia sive extra eam consignatarum.

XVIII. Ipse quoque ille populus, Deo in mundo sacer, quem *Ecclesiam* vocare solemus, à primis usque mundi natalibus, (utique jam ante mundum Diluvio perditum:) dierum plurium intervalla descripsit per Hebdomadas, Menses, & Annos. ut ex historia Mosis liquet.

XIX. Sacra Israëlitarum post eorum ἔξοδον ex Ægypto sic ordinata constitutaque erant à Deo, ut Menses iis usui esse debuerint vere & proprie sic dicti, *Lunares* nimirum *Synodici*;

non *Civiles*; constitutâ Neomeniâ secundum הראיה sive φάσεις lunares. etsi liquidissimum est, ex coll. Gen. VII. 11. & VIII. 13. Mosen in enarranda Diluvii historia *Menses* adhibuisse *Civiles*, & *æquabiles* 30 *dierum*; qualibus usi Ægyptii.

XX. Unde indubie sequitur, quod ipsa ratio probabile docet, eundem Scriptorem Historiæ Patriarchalis per Annos intellexisse *Solares*, quales stylo Scripturæ שני ימים *Anni dierum* dicuntur, non *Lunares*; ut recte prævit Scaliger, hæsitante Petavio.

XXI. Quod tamen præterea Scaliger Ætate Antediluviana obtinuisse vult Cyclum 120 Annorum, quo decurso Annus Solaris integrô mense fuisset intercalatus: nec probabili ulla ratione nititur, nec argumento Historiæ. etsi quæ alia embolismi ratio tum observata fuerit, non satis liqueat.

XXII. Quod si præter Solarem Annus quoque *Lunaris* tum in usu fuerit: videtur is cum Solari eum in modum esse collatus, ut Solares alterni constiterint duodecim & tredecim mensibus.

XXIII. Cyclos vero plurium Annorum Populus Dei non videtur priscis temporibus ullos habuisse ante *Civiles* illos, ab ipso Deo sub Vetere Oeconomia institutos, Annorum *Sabbathici* & *Jubilai*.

XXIV. Æras autem primis temporibus videtur

detur fixisse in Natalibus, *τεκνογονίᾳ*, & obitu illustrium in Ecclesia Virorum. Mundi conditi & à Diluvio instaurati Æras in Ecclesia olim receptas fuisse, ut deinceps à Judæis & Christianis Orientalibus factum; non liquet.

XXV. Quin imo simplicitas narrationis Mosaicæ nos jubet credere, *Æram* sive *Epocham* primam majorem, secundum quam Ecclesia antiqua tempora sua solenniter putavit, fuisse *Æram Abrahami* à Deo vocati ex Ure Chaldæorum: quam sequuta est Æra *Israëlitarum ex Ægypto vindicatorum*.

Ad Historiam Ecclesiæ ante Christi φανέρωσιν.

I. Historia Ecclesiæ tantum complectitur spatium temporis, quantum Historia Mundi, quia Mundus, sano sensu, nunquam fuit absque Ecclesia.

II. Est itaque historia temporis, quod à Condito Mundo fluxit ad nostram usque ætatem.

III. Supponitur igitur hic, Mundum & Ecclesiam in Mundo, *certum* aliquod habere *initium*, unde series rerum gestarum perpetuo ordine contexatur; posse autem hoc initium κατὰ πλάτος sciri & investigari.

IV. Quod initium Doctissimi inter Gentiles palam

palam professi sunt, sibi esse incognitum; Ægyptii aliique Populi Orientales fabulosis suis narrationibus, altiores longe Mundi origines supponentibus, obscurarunt; sed solus Moses, Hebræi Populi Historicus, verum & certum notavit. unde intelligimus, id non excedere *sex annorum millia.*

V. Ab eo autem tempore cum Ecclesia à Deo æquabiliter recta non sit, sed varias induerit facies, & diversissima subierit fata: Historia illius temporis commodissime in majora quædam Intervalla, sive *Periodos*, distinguitur.

VI. Et *primo* quidem cum Deus res Ecclesiæ *post* tempus Filii sui secundùm promissa antiqui temporis inter homines manifestati, *alio* longe *modo* administraverit, ac *ante* Christi Jesu φανέρωσιν; totius hujus temporis Historia meritò dispescitur in duo Intervalla Majora, quorùm Alterum Fata Ecclesiæ, ut post Christi φανέρωσιν administrata est, exhibet.

VII. Prioris illud Intervallum complectitur Historiam *Ecclesiæ*, ut fuit sub Promissione & Lege, per quatuor admodum Annorum Millia secundum computum Codicis Hebræi, habetque complura Gesta notabilia varii generis, quæ faciunt ut rursus in alias *minores Periodos* cum fructu distinguatur.

VIII. Quod cùm à variis inter Doctos varie tentatum sit: proxime quidem accedimus ad Torniellum, Petavium, & Usserium, qui

totum

totum hoc tempus revocarunt ad *sex Periodos illustriores*; nisi tamen quod ratio videatur suadere, ut *sextam Periodum*, quam illi à Μετοικεσία Babylonica ducunt ad Christum, in duas distinguamus. Sit itaque

IX. Prima, Mundi Conditi usque ad Diluvium.

Secunda, Mundi, Diluvio perditi, usque ad vocatum Abrahamum.

Tertia, Abrahami à Deo evocati ex Ure Chaldæorum ad occupandam Palæstinam, usque ad ἔξοδον Israëlitarum ex Ægypto.

Quarta, Israëlitarum, ex Ægypto in libertatem vindicatorum, usque ad jacta fundamenta Templi Salomonici.

Quinta, à Templo illo extructo usque ad illud destructum per Babylonios, sive usque ad Μετοικεσίαν Babylonicam.

Sexta, Inde usque ad Principatum Hassamonæorum.

Septima, à Principatu Hassamonæorum usque ad natum inter homines Christum Jesum, verum Mundi Σωτῆρα.

Periodus Prima à M. C. usque ad Diluvium.

I. Continet hæc *Epocha* Historiam Mundi

Conditi; Hominum in orbe terrestri à Deo fictorum, eorundemque ab ipso Domino suo post non longam in Paradiso moram deficientium: inde vero Ecclesiæ in Mundo vi Verbi promissionis Gratiæ fundatæ, altæ, & propagatæ in linea recta Seminis Sancti; obnitentibus Cainitis, hominibus carnalibus & impiis, qui tandem horrendo Dei judicio, cum ipsum quoque illud Semen Sanctum, valde imminutum, ad Cainitarum mores deflecteret, per Diluvium perditi sunt.

II. Quæ Historia, vulgò satis nota, ex nullo alio Historico Monumento bonæ fidei peti potest quàm ex Mose, certissimæ & indubitatæ Fidei auctore: nisi quod Traditiones Gentium, ex Mose illustratæ, ipsam vicissim Historiam illam Mosaicam non parum illustrent.

III. Videtur autem Moses in Historia Ecclesiæ primi illius temporis conscribenda duo potissimum sibi proposita habuisse, α. Ut natales & Successionem Seminis Sancti, quam è re Ecclesiæ erat apud ipsam conservari, traderet. β. Ut simul Ecclesiam doceret veram *durationem Temporis*, à condito Mundo ad suam ætatem elapsi, in qua definienda Ægyptii circa illam tempestatem turpiter & fabulosè errabant.

IV. *Tempus* hujus Periodi secundum lectionem Hebræi Codicis constat 1656 *Annis Solaribus*.

V. A qua tamen differt Lectio LXX Inter-

per-

pretum notabili equidem summâ 600 Annorum, quibus Codex Græcus calculum Hebræi Codicis superat. Græci enim numerant Annos 2256, secundum optimam & verissimam lectionem, cui favet Josephus.

VI. Imo non Græcus tantum Codex sed & Samaritanus, qui Annos numerat 1307.

VII. Differitas, quæ inter Hebræum & Græcum Codicem est, inde nascitur, quod Græci Intt. annis, quos sex Patriarchæ, *Adam*, *Seth*, *Enosh*, *Cainan*, *Mahaleel*, *Enoch*, vixerunt ante τεκνογονίαν, totidem *Centenariis* auctiores faciant, quàm Codex Hebræus; quos eosdem *Centenarios* detrahunt Ætati, quam iidem Patriarchæ egerunt post susceptos liberos. cum contra Editio Samaritana *Centenarios* ante τεκνογονίαν non agnoscat in *tribus Patriarchis*, Jared, Methusalah, Lamech (cui 53 tantum annos dat;) quos tamen *Centenarios* exhibet Lectio Masorethica.

VIII. Nos tamen cum maxima & celeberrima Chronologorum parte Lectionem Hebræam hic nulli dubitamus præferre Lectioni Græcæ contra Cappellum, Morinum, Vossium, Waltonum, Pezronum, aliosque; quia, cum clarissime liqueat, Lectionem alterutrius Codicis, hic non *casu*, sed *datâ operâ* & *adhibito consilio* corruptam esse: longe evidentiores rationes suadent illud vitium accidisse Codici Græco quàm Hebræo.

IX. Quod si vero Lectionem Codicis Hebræi hic sequamur, ut tuto sequi possumus: nullæ quidem circa *durationem* hujus Periodi moveri poterunt difficultates nisi minoris in rem nostram usus; Ut v. gr. A quo Cœli puncto tempora Mundi putari debeant? ac proin an Mundus Autumnali, num Verna tempestate conditus sit? An Annus Diluvii accensendus sit sexcentis Annis Vitæ Noachi, num iis excludendus? An anni, quibus Parentes Filios genuisse dicuntur, ineuntes vel completi sint accipiendi? &c.

X. Ut enim Moses Chronologiam rudiore & populari modo in Historia sua tradidit: sic forte eadem ad extremam exactitudinem Mathematicam inde erui non potest: etsi hæ quoque quæstiones probabili ratione definiri queant.

XI. Mundum enim Autumno creatum esse, verosimile: Annos, quibus genuisse dicuntur Patriarchæ, inchoatos intelligi; & Annum Diluvii sexcentesimum fuisse vitæ Noachi, certum habemus.

Periodus Secunda à Diluvio usque ad Exitum Abrahami ex Ure Chaldæorum.

I. Secunda Periodus temporis Oeconomiæ antiquæ constat inter Mundum à Diluvio instau-

ſtauratum & Ἔξοδον Abrahami ex Ure Chaldæorum, ſive ex Charane in Palæſtinam.

II. Complectitur illa Hiſtoriam propagati generis humani poſt Diluvium; Sobolis imprimis Sanctæ ex Semo oriundæ, in qua recenſenda Moſes ſtudioſiſſimus fuit; fundati Imperii Babylonici per Nimrodum; Aſſyriaci per Aſſurem; extructæ turris Babylonicæ, eamque conſequutæ *Confuſionis*, quæ dicitur, *Linguarum*; & diſperſi generis humani per totam terræ ſuperficiem; corrupti denique Mundi per idololatriam, & Abrahami à Deo ad meliorem ſpem ſingulari gratia evocati.

III. Quæ Hiſtoria ex nullo rurſus monumento alio certo peti poteſt, quam ex Moſaicis tabulis; etſi quæ Moſes ſcripſit, ex fabulis Ægyptiorum & Græcorum optime illuſtrari queant.

IV. Dubium tamen vel maxime an quæ ex Cteſia à Diodoro Siculo, Juſtino, aliiſque de antiquitate Imperii Aſſyriaci jactantur, conferenda ſint cum iis, quæ Moſes de Regno Nimrodi narrat. Imo probabile eſt, vel ficta eſſe, vel ad ad recentiora tempora referenda.

V. Deſcribitur autem hac Periodo ſpatium 427 Annorum, ſi calculus inſtituatur ſecundum Codicem Hebræum.

VI. A cujus Codicis lectione hic rurſus varie diſſentiunt LXX Interpretes, Samaritanus, & Joſephus, qui Epochæ hujus durationem multo lon-

longius extendunt, eamque describunt Annis secundum optimam lectionem 1207. Constat enim differentia annis 780. vel 880. Variant Samaritana Editio & Josephus, qui Cainanem non agnoscunt; licet cetera proxime ad Græcos accedant. Sam. exhibet A. 1077.

VII. Quæ calculi differentia tum inde oritur, quod Græca Editio Cainanem, tanquam Arphaxadi Filium, inserat Genealogiæ Patriarcharum, eique ante τεκνογονίαν assignet 130 Annos, quem hominem Hebræus Codex ignorat: tum, quod ætatem Nahoris, cui Hebræa Lectio ante τεκνογονίαν solummodò dat 29 Annos, definiat Annis 79. (sive 179. ut alii Codd. sed quam lectionem non esse genuinam, liquet ex computu Demetrii apud Eusebium:) tum præcipue, quod Patriarchis ante τεκνογονίαν centum annos plus det, quam Codex Hebræus, ad eundem prorsus modum, ut factum in Patriarchis Antediluvianis.

VIII. Etsi vero molestum est, inter Lectionem utriusque Codicis in Periodo non longi temporis tam magnum esse Annorum discrimen: nos tamen nulli dubitamus hic rursus stare à Lectione Synagogæ, eique hoc in casu contrà Morinum, Vossium, aliosque primas deferre.

IX. Quod enim ad *Cainanem* attinet: constat sibi in hac Lectione Hebræus Codex; & plures omnino rationes probabiles suadent, hunc hominem, ut novus est & Veteribus Hebræis

ignotus,

ignotus; per errorem referri inter Patriarchas; tam in Codice Græco τῶν ό., quam in textu Lucæ Evangelistæ, secundum Lectionem illius receptam.

X. Imo vero probabilem maxime haberemus sententiam Grotii & Bocharti, hoc nomen, vitio Librarii cujusdam, primo irrepsisse in textum Lucæ, & inde translatum esse ab ipsis Christianis in Editionem LXX Interpretum, ut aliis pluribus locis factum esse constat; si non obstaret Chronologia Demetrii apud Alexandrum Polyhistorem, quam servavit Euseb. *Præp. Evang.* Lib. IX. p. 425.

XI. In *Nahoris* vero numeris ut Africanus & Eusebius non consentiunt vulgatæ Lectioni Græcæ: sic Lectio illa Græca hoc in casu omnino repugnare videtur rationi.

XII. De Centenariis autem quos Græca Lectio Patriarchis dat ante τὴν τεκνογονίαν, idem prorsus nostrum est judicium, quod de Centenis illis Patriarcharum Antediluvianorum; nimirum Alterutrius Codicis, Hebræi aut Græci, Lectionem hic non casu aut per errorem, sed data opera & consilio, esse corruptam: quod vitium longe plures & evidentiores rationes faciunt ut credamus Codici Græco imputandum esse quàm Hebræo.

XIII. Poterant enim Hebræi Ἑλληνισταὶ habere rationem, quare Mundi Postdiluviani Natales antiquiores cuperent, atque adeo auctis annorum

norum centenis producerent; quam non admodum magnam habuerunt, aut habere potuerunt Hebræi Ἑβραΐζοντες.

XIV. Nec grave admodum est satisfacere difficultatibus, quas adversæ sententiæ Patroni, sive ex *divisa* circa Phalegi ætatem *terra*; sive ex Regnis, quæ passim per orbem terrarum circa Abrahami ætatem floruerunt; sive etiam ex Ægyptiorum, Chaldæorum, & Serum Annalibus, antiquiores Mundi Postdiluviani natales supponentibus; proferunt.

XV. Josephi quoque auctoritas hac quidem in re non est magni apud nos momenti, quippe quem LXX Interpretes hic, ut passim, sequutum esse, satis liquet.

XVI. Quemadmodum vero in hac quæstione definienda communem sequuti sumus opinionem de duratione hujus Epochæ: sic eandem quoque sequimur in altera illa nobilissima disputatione de Anno Natali Abrahami; quem Alii ad Annum ætatis Theræ Patris *Septuagesimum*; Alii, & maxima Chronologorum pars, ad Annum Theræ Patris *Centesimum tricesimum* referunt.

XVII. Tametsi enim Scaliger & Petavius (quorum alter ad priorem sententiam propendet; alter eam mordicus tuetur:) hic urgeant literam textus Mosaici, *Gen.* XI. 26. quæ ipsis videtur favere: vere tamen ex ipso Mose, secum & cum Stephani oratione in Apostolorum

Actis

Actis collato, satis clare videtur constare, Natales Abrahami Anno Parentis ipsius *centesimo tricesimo* esse innectendos.

XVIII. Cum enim ex Mosaica Historia liqueat, Abrahamum ex Charane migrasse in terram Canaan, Anno ætatis suæ LXXV, *Gen.* XII. 4. migrasse autem ipso illo Anno, quo Thera Parens ejus, Charane mortuus, attigerat ætatis suæ Annum CCV, *Gen.* XI. 32. coll. cum *Act.* VII. 4. consequens est, illum CXXX anno Theræ demum lucem hujus mundi vidisse.

XIX. Ac proinde in loco *Gen.* XI. 26. inter Theræ Filios honoris caussa primum illi locum dari; perinde ut Semo, licet secundo nato, & Japheto minori, inter Filios Noæ, *Gen.* V. 32.

XX. In Fabulis Gentium nihil certius & celebrius est, quod ad hujus Intervalli historiam pertinet, quam quæ Mythici de *Saturno* ejusque Sæculi felicitate, & Orbe terrarum, inter tres ejus Filios, *Jovem*, (Hammonem) *Neptunum* & *Plutonem*, diviso; nec non de *Baccho*, *Mercurio*, *Prometheo*, tradunt; tum quoque quæ de *Generationum* nobilium successione ante Bellum Trojanum cecinit Hesiodus; & in Berosi Fragmentis de Xisuthro narrantur: de quo Bochartus; cujus hic ingenii & doctrinæ prima laus est, ut in omni alia parte literaturæ Sacræ; Huetius, Dickinsonus, Abramus; qui tamen in fabula de Saturno nimium sibi indulsit.

XXI. Incidunt autem in hanc Periodum Æræ fundati Regni Babylonici à *Nimrodo*, *Gen.* x. 10. & Assyriaci ab *Assure*, Semi Filio, secundum genuinam interpretationem loci *Gen.* x. 11. licet, ut tenuia omnium rerum sunt initia, angustioribus longe circumscripta limitibus, viribusque subnixa fuerint, quam Ctesias, Diodorus Siculus, eosque sequuti plurimi nos credere jubent; ut Conringius, Ussenius, Marshamus, Bossuetus, Vorstius, & imprimis Nicolaus Abramus, cujus hic summopere prædicanda est diligentia, Herodotum in *Assyriacis Originibus* sequuti, jam monuerunt.

XXII. Quorum Regnorum Æræ vel certæ demonstrari nequeunt, nisi quod in genere constet posteriores esse ætate Phalegi & structura Turris Babylonicæ; vel conformandæ sunt ad observationes à Callisthene, Alexandri Macedonis comite, rogatu Aristotelis, Babylone in Græciam missas; quas Porphyrius apud Simplicium in *Lib.* II. *Arist.* de *Cælo* testatur per 1903 annos superare tempus captæ ab Alexandro Babylonis.

XXIII. *Ægyptum* pariter hac Periodo Reges suos habuisse, liquet ex historia Mosis; fuitque haud dubie Regnum illud, sive Regna Ægypti plura, pro more illorum temporum, inter antiquissima. Uni enim paruisse Regi Ægyptum & Thebaidem prima ætate post dispersionem

ssionem Gentium; neutiquam est probabile. Imo vel nihil veri est in *Dynastiis* Regum Ægyptiorum Manethonis; vel si aliqua in iis veri vestigia deprehendantur; oportet hanc unam; eamque absque dubitatione certissimam admitti hypothesin; plures earum esse contemporaneas.

XXIV. Cum tamen integræ hoc tempore non habeantur: inutilis forte opera impenditur illis, quod ad hoc saltem Intervallum, in integrum restituendis, & cum historia S. comparandis; etsi id tentaverit Marshamus. Si quis nihilominus Chronologiæ Ægyptiæ quod ad hanc Periodum aliquam habere velit rationem: neglectis reliquis Dynastiis, quarum incerta est digestio, solum Monumentum Eratosthenis; Viri bonæ fidei, qui Thebanorum sive Diospolitanorum Regum antiquissimorum successionem descripsit, jussu Ptolemæi Euergetis, expendi & huc advocari meretur. Exhibet illud Reges XXXVIII per Annos MLXXVII, quorum primus *Menes*, ultimus *Amuthantæus*, cujus ætas incidit in tempora Judicum.

XXV. Nec Græcorum res hoc Intervallo attingimus. Quæ enim de Regno Sicyonio, tanquam Argivo vetustiore, jactantur, merito spernuntur; utique incertissima haberi debent.

Periodus tertia ab Exitu Abrahami ex Ure Caldæorum usque ad τὴν Ἔξοδον Israëlitarum ex Ægypto in Arabiam.

I. *Tertia Periodus* temporis Oeconomiæ antiquæ decurrit ab Abrahamo, Anno ætatis suæ LXXV à Deo evocato è communione Mundi ad spem magnorum beneficiorum in Palæstina obtinendorum, usque ad *Exitum Israëlitarum ex Ægypto.*

II. Habet itaque illa historiam Abrahami Divino jussu ex *Ure Chaldæorum* primo, mox ex *Charane*, post excessum Parentis *Thera*, profecti in Palæstinam; ibidem confirmati in *fide promissionum* per varias Apparitiones Divinas, & interea tamen variis casibus à Deo tentati; aucti mascula prole ex Hagare, & tandem etiam ex Sara; porro varia Isaaci, ex Isaaco Jacobi, & ex Jacobo XII Patriacharum, atque inter eos præsertim Josephi, fata; denique fœcundam Abrahamidarum in Ægypto propagationem, & quæ eam insecuta est, gravissimam afflictionem & calamitatem: usque quo potente Dei manu ex dura illa servitute per Mosen vindicati sunt in libertatem.

III. Quarum rerum narrationem Moses summa fide & diligentia in *Genesi* contexuit: haud

dubie

dubie adjutus Commentariis Patriarcharum, quibus earum memoriæ in usum tam Posteritatis quam Ecclesiæ omnium temporum fideliter conservatæ erant.

IV. Ex Historicis enim profanis, qui præterquam quod longe recentiorum sint temporum, Domesticorum Casuum Familiæ & Posteritatis Abrahami prorsus ignari fuerunt, nihil hic subsidii: nisi quod historia *Josephi*, ad magnam in Ægypto evecti dignitatem, & *Malorum*, quæ Ægyptii ob summam suam pertinaciam in detinendo Populo Dei perpessi sunt, ex fabulosis Ægyptiorum traditionibus & eorundem superstitione non parum elucidari possit: de quo ad sequentis Periodi historiam distinctius.

V. Etiamsi autem Moses res gestas hujus Periodi multo prolixius & uberius tradiderit quam primarum Mundi & Ecclesiæ Ætatum: non tamen ideo duratio hujus Intervalli certius definitur quam præcedentium; vel saltem minus obnoxia est disputationibus doctorum & peritorum rei Chronologicæ Virorum.

VI. Deficit enim Successio natalium Seminis Sancti, *certis Annis* hactenus à Mose designatorum, in Patriarchis XII & eorum posteritate: unde tamen epilogismus temporis antecedentis, à Mundo condito ad Abrahamum lapsi, unice à nobis confectus fuit.

VII. Et tamen vel sic etiam, si quis sim-

plicem sequatur ductum historiæ Mosaicæ; tempus hujus Intervalli liquido videbatur definiendum esse 645 annis. Constat enim, Abrahamum *centesimo* ætatis suæ *anno* suscepisse Isaacum; Isaacum *sexagesimo* Esavum & Jacobum; (*Gen.* XXV. 26.) Jacobum Anno ætatis 130 venisse in Ægyptum; (*Gen.* XLVII. 9.) & videtur liquere, Jacobi posteros in Ægypto egisse per 430 annos, ex loco *Exod.* XII. 40.

VIII. Nec desunt inter eruditos Chronologos, qui rationes temporis hujus Periodi in hunc modum colligunt, facillimum, ut videtur, ad primam speciem, & scopo Mosis in scribenda historia consentaneum, quos inter Nicolaus Abramus & Gerh. Joannes Vossius.

IX. Longe tamen maxima pars ita censent, locum *Exod.* XII. 40. à cujus vera intelligentia quæsiti hujus definitio pendet, sic esse intelligendum, ut Historicus Sacer *Synecdochico* vel *elliptico* dicendi genere nos docere voluerit, totum spatium temporis *Peregrinationis Patriarchalis*, quæ complementum suum consequuta est in peregrinatione Ægyptiaca, ab *Abrahami Exitu ex Ure* sive *Charane*, usque ad *Exitum ex Ægypto*, constare 430 annis.

X. Quorum 215 lapsi sint ante profectionem Jacobi in Ægyptum; pars altera & æqualis totidem annorum danda sit moræ seminis Abrahami in Ægypto, usque ad ejus liberationem.

XI. Fa-

XI. Favet certe huic Expositioni antiquissima Synagogæ traditio, quam apud LXX Intt, Josephum, & in ipsa quoque *Samaritana Editione* offendimus, roborata auctoritate Paulina, *Gal.* III. 17. & optime pariter respondet loco notabili *Gen.* XV. 13.

XII. Quin invicte eam demonstrant *Tabulæ Genealogicæ*, quæ in Historia Mosaica, & *Chronicorum Libro priore*, supersunt, quippe ex quibus liquet, inter se amice consentientibus, *Pronepotes* Filiorum Jacobi (*Generationem quartam*, *Gen.* XV. 13.) Ægyptum egressos esse, quas Tabulas mutilas esse, durum dictu est, & reclamat historia *Num.* XXVI. 59.

XIII. Annos autem hos CCCCXXX omnino persuasi sumus putandos esse ab Anno Ætatis Abrahami, non LXX, ut Petavius, Cappellus, aliique; sed LXXV, quando à Deo in Ure Chaldæorum de Patria deserenda commonefactus est.

XIV. Supponentes, uno eodemque Anno illum ex *Charane* profectum esse in *Palæstinam*, quo ex *Ure Chaldæorum* in *Charanem*; necnon, semel tantum ipsi Divino Mandato denunciatum esse, ut *Patriam* suam *desereret* in *Ure Chaldæorum*, non vero in *Charane*. Confer *Gen.* XII. 1. 4. cum *Act.* VII. 2. 3.

XV. Res Gentium, per Orbem *superiore Periodo* divisarum, ut se hoc habuerint Intervallo, certius forte ex Historia Sacra, quam ex Mo-

Monumentis Historiæ profanæ, quod ad hæc tempora fabulosis magnam partem & fallacibus, colligere licet. Patet utique inde, Regna hactenus, superiore Periodo fundata, per Orientem fuisse non admodum ampla, & Populos passim minorum Gentium Principibus paruisse; nisi quod *Ægypti Reges* circa finem hujus Periodi opibus & viribus inter omnes Orientis Principes excelluisse videantur: de quo ad *sequens Intervallum*.

XVI. Facile interea patimur, Africanum & Eusebium sequuti, Græcorum Origines ad hanc Periodum referri, eosque in scena Mundi comparere, quippe qui hac Periodo formari cœperunt in Civitates, quarum Præfectos Historia *Reges* vocat.

XVII. Auctores primi fuerunt Ægyptii aut Phœnices, Inachus, Ogyges, Cecrops, Cadmus, Danaus, qui expeditionibus in Græciam susceptis, homines rudes & ἀπαιδεύτους sub legem Imperii Civilis redegerunt, suæque auctoritati inter eos constabiliendæ operam dederunt.

XVIII. Inachus, ejusque filius Phoroneus, fundarunt Regnum Argivum, omnium in Græcia antiquissimum, circa tempus nati Jacobi, cujus Regum successionem ex Castore Rhodio petiit Eusebius.

XIX. Atticum Cecrops, 260 post annis, circa tempus nati Aaronis, cujus Regum &

Ar-

Archontum successio forte ex Chronologia Marmorum Arundellianorum, cujus auctor Parius, tutius petitur, quam aliunde; cui Eusebiana Chronologia sic satis consentit,

XX. Secundum quam Parii Chronologiam Cadmus ex Phœnicia Thebas venit, & Thebanum Regnum condidit, litteris in Græciam illatis, Anno Æræ Atticæ 64; & octo post Annis Danaus ex Ægypto trajecit in Peloponnesum, & Regnum Argivum occupavit.

Periodus Quarta, ab Exitu Israëlitarum ex Ægypto in Arabiam, usque ad jacta Fundamenta Templi Salomonis.

I. *Quarta Periodus* temporis Ecclesiæ ante Adventum Messiæ lapsi, complectitur ejusdem Ecclesiæ gesta ab *Exitu Israëlitarum ex Ægypto* in solitudines Arabiæ, usque ad *jacta Fundamenta Templi Salomonis.*

II. Quod itaque intervallum nobis exhibet Abrahami posteros secundum promissa Patribus facta vindicatos in libertatem per Mosen ex dura illa & gravi servitute, qua inter Ægyptios per multos annos pressi & afflicti fuerant; ductos autem per eundem Mosen in deserta Arabiæ; ibi formatos in Populum secundum præscriptum sanctissimæ Legis, ab ipso Deo pro-

mulgatæ; notabilibus Dei beneficiis donatos & judiciis ob petulantiam suam castigatos; post quadraginta Annorum moram in Arabia & Moabitide, Josua Duce, occupantes Canaanæam; Divino Testamento destinatam sibi hæreditatem; eandem, devictis hostibus, sorte inter se distribuentes; post excessum Josuæ & Seniorum ad fœdam idololatriam prolapsos; & ob hoc ipsum crimen, Deo permittente, oppressos à Mesopotamenis, Moabitis, Canaanæis, Midianitis, Ammonitis, Philistæis; mox tamen ad meliorem mentem redeuntes è malis illis liberatos à Judicibus extra ordinem à Deo suscitatis: donec tandem Respublica Judaica sub Samuele novam & stabiliorem Regiminis formam induit, *Saule* Benjaminita in *Regem* electo, quem *David* & *Salomon* proximi e exceperunt.

III. Quarum rerum præclararum historia rursus ex nullo alio Monumento colligi potest quam ex Tabulis sacris: *quatuor* nimirum *posterioribus Libris Mosis*; *Josue* item, *Judicum*, *Ruthæ*, *Samuelis*, & *priore Regum*. Res enim Assyriorum, Ægyptiorum, & Græcorum hujus intervallo temporis vere adhuc admodum sunt obscuræ, utique parum certi ex illis ad illustrandam Historiam Mosaicam proferri potest.

IV. Nisi forte quod antiqua traditio de *Pastoribus*, inviso Ægyptiis nomine, qui Ægyptum

tum *duplici Expeditione* post plurium annorum interstitium infestasse & in Ægypto inferiore regnasse dicuntur, & eandem primum sub Rege *Tmosi*, deinde à *Leprosis* in auxilium vocati, sub *Amenophi*, deseruisse, (quæ ex antiquis monumentis, licet variis partibus corrupta, nobis ex Manethone & Chæremone reservata est apud Josephum Lib. 1, adversus *Apionem*, & Doctores aliquot Veteris Ecclesiæ:) omnino conferenda videatur cum duplici profectione Patriarcharum in Ægyptum; priore quidem illa Abrahami, posteriore Jacobi cum tota Familia, quo tempore Ægypto inferiori præfuit Josephus.

V. Nos enim ita plane nunc sumus persuasi, ad Manethonis fragmentnm attendentes, non ad Eusebium, qui successionem Ægyptiorum Regum Dynastiæ XVIII mutilam exhibuit, ut eam ad suas hypotheses conformaret; *Pharaonem* illum, qui aquis *maris Rubri* submersus periit, esse *Amenophin hujus nominis quartum*, qui apud Manethonem vicesimus à Themosi, sive, ut Eusebius illum appellat, Amasi numeratur, qui apud Syncellum *tertius Dynastiæ decimæ nonæ*. Qui idem secundum Manethonem filius est *Ramessis*, nepos *Sethosis*, sive *Sesostris*; nisi forte, quod probabilius habeo, filius sit ipsius *Sesostris*; & *Ramesses* ille *Sethonis*, sive Sesostris successor, hoc potius laterculo expungendus videatur. quippe qui totidem anni dantur, nempe 66, quot alii

Re-

Regi cognomini *Ramessi Miamum*, inter *Sethonis* sive *Sesostris* Decessores *tertio*. Quando inter Chronologiam Græcam, quæ Danaum sive Armaim, Sesostris fratrem, ejusque expeditionem in Græciam fere ad idem hoc tempus refert, & Ægyptiam, insignis erit consensus.

VI. Discedo itaque nunc lubens ab Usserio Armachano, qui Pharaonem, mari mersum, vult esse Amenophin tertium, Dynastiæ XVIII Secundum, Sethonis sive Sesostris Parentem; cum Nicolaus Abramus priorem illam sententiam erudite adstruxerit.

VII. Est autem hæc observatio, & monumentum Manethonis, tanto majoris pretii, quod ex eo intelligamus veram ætatem *Sesostris*, clarissimi Ægyptiorum Regis, eumque vel primum fuisse vel secundum illorum *Pharaonum*, (fuerunt enim tres:) qui Populum Dei afflixerunt; favetque huic sententiæ omnis historia sacra & profana.

VIII. Tam longe absumus à Marshamo, qui Josephum sequutus *Sesostrim* voluit esse *Sesacum*, potentem Ægypti Regem, quem Historia S. ætate Rehabeami demonstrat; invita omni Vetere historia, quæ Sesostrim longe his temporibus antiquiorem facit.

IX. Cætera jam hujus Monumenti quod attinet, de *Regno Pastorum in Ægypto*, eorumque in eam *Reditu* postquam jam semel eam deseruissent; in quibus falsa & fabulosa veris mixta;

cum

cum variæ inter Veteres & Recentiores sint sententiæ de eo comparando cum historia S. licet omnes in eo veri vestigia viderint de adventu *Abrahamidarum*, Pastoritiæ vitæ hominum, *in Ægyptum*, & Josephi in Ægypto autoritate: *primum exitum* Pastorum ex Ægypto vel cum Abramo explicandum censeo ex 1 *Chron.* VII. 21, 22. vel, quod longe majore specie rationis se mihi commendat, ex magna expeditione Josephi & fratrum ac nepotum, aulicorum caterva & Equitum copiis eos prosequentibus; in Canaanem suscepta ad Parentem suum Hebrone humandum, *Gen.* L. 8, 9.

X. Periodi autem hujus *duratio* etiamsi omnium clarissime videatur esse definita in Sacra Historia: fere tamen incerta & obscura est per disputationes Doctissimorum quorumque Chronologorum Biblicorum, qui ingenii sui vires hic, si ullibi, periclitari voluerunt.

XI. In *Libro* Regum *priore*, cap. VI. 1. exerte scribitur, jacta esse Templi fundamenta Salomonici Anno *Regni* Salomonis *quarto*, *mense secundo*, qui dicitur *Ziv*, qui idem erat *Annus Quadringentesimus Octuagesimus*, לצאת בני ישראל מארץ מצרים *egressus Israëlitarum ex Ægypto.*

XII. Unde liquet, inter Exitum Israëlitarum ex Ægypto, & jacta Templi Salomonici Fundamenta, interfluxisse Annos 479, Dies 17. ut recte Armachanus.

XIII. Quo testimonio cum nihil videatur

esse

esse clarius & liquidius: tum illud accedit, antiquas Lectiones Sacri Codicis, Latinam, Chaldæam, & Græcam in numero majore; (cujus meliores Editiones habent 440; non 480; ut aliæ:) Lectioni Hebræi Codicis favere.

XIV. Quin imo quis inficias ire possit, Historiographum *prioris* Libri *Regum*, tam presse & distincte notantem durationem hujus Epochæ, id maxime sibi propositum habuisse; ut Ecclesiam doceret veram durationem temporis, quod inter *Mosis initia* & *Salomonis quartum* intercesserat; & Chronologiam, à Mose fideliter ad sua tempora perductam, ipse pertexeret: quod ut fieret Ecclesiæ intererat.

XV. Quod si jam aliunde hæ rationes temporum non turbarentur: nemini eorum qui debita affecti sunt reverentia erga traditionem Librorum Sacrorum, in mentem veniret vel minimam de tempore hujus Periodi litem movere.

XVI. Sed vero duo sunt, quæ ex aliis Libris Sacris adversus hanc Chronologiam Libri Regum non absque magna specie inferuntur: *Unum* quidem, quod tempora Afflictionum Judææ Gentis, *Judicum* ante *Samuelem*, *Samuelis* item, *Saulis* & *Davidis*, in summam collecta secundum traditionem Librorum *Judicum* & *Samuelis*, calculis *Libri Regum* non respondeant, sed longe plures ab *Exitu ex Ægypto* usque ad *Salomonem* Annos conficiant: *Alterum*, quod Chronologia Paulina, apud Lucam

cam *Act.* XIII. 20. 21. qua *solis Judicibus* ante Samuelem tribuuntur 450. Anni, & *Sauli* 40 Anni, computum Libri Regum videatur destruere.

XVII. Quæ eadem faciunt ut Chronologi Biblici hic in duas scindantur partes; quarum *Altera* defendit *Numeros* Libri Regum; *Altera* à *Numeris* Libri Regum, salva tamen illius Scriptoris auctoritate, discedit, & Paulinam potius Chronologiam, traditioni Libri Judicum consentientem, amplectitur.

XVIII. Qui in *Posteriore* sunt sententia, præ se ferunt, non quidem, Auctorem *prioris Libri Regum* errorem in hac computatione commisisse: id enim fatentur ipsi salva reverentia, quam sanctis illis Scripturis debemus, dici non posse: sed, *vel* Germanam Lectionem Codicis Hebræi per errorem Librariorum antiquis jam temporibus in *Historia Regum* esse corruptam; *vel*, notatum illum locum ex *Libro Regum* passim ab Interpretibus male intelligi, & aliud omnino dicere velle illius textus verba, quam ad primam speciem præferunt.

XIX. Qui *Lectionem* germanam loci *Libri Regum* corruptam esse contendunt, putant, Historiographum olim pro 480 *vel* scripsisse 680, ut Serarius, *vel* 580, ut Lud. Cappellus.

XX. Qui Locum *Libri Regum* passim male exponi censent, rursus in duas distincti sunt classes.

XXI.

XXI. *Sunt qui* 480 illos Annos, quos Historiographus sacer interfluxisse dicit inter *Exitum ex Ægypto*, & *initia Templi Salomonis*, non existimant præcise supputandos esse ab *ipso illo tempore*, quo Israëlitæ pedem suum Ægypto extulerunt, sed phrasin *Exitus ex Ægypto*, ut in aliis Scripturæ S. locis fieri videtur, hic latius accipiendam esse & interpretandam de *Complemento* sive *Termino Exitus Israëlitarum ex Ægypto*; sive illud *Complementum* ponatur *Ingressus Israëlitarum* in *Canaanem*, ut Petavius instituit; sive *Quies Arcæ in Terra Canaan*, ut Abramus. qui itaque Epochæ hujus durationem extendunt ad Annos 519, aut paulo plures.

XXII. *Sunt* autem *alii* inter Doctos, *qui* arbitrantur, Historiographum *Libri Regum* nequaquam propositum sibi habuisse 480 illis Annis definire durationem totius temporis, quod lapsum est ab *Exitu ex Ægypto*, usque ad *Fundatum Templum*: sed solummodo in summam colligere voluisse Annos, quibus Israëlitæ, ex Ægypto vindicati, tanquam *liber Populus* egerunt sub Mose, Judicibus, & Regibus, Saule ac Davide: neglectis & in censum non redactis Annis *sex illarum Servitutum*, quibus Israëlitæ, medio tempore inter Josuam & Samuelem, oppressi fuerunt. Sic Melchior Canus, Emanuel Sa, &c.

XXIII. Verum quiscunque tandem color inducatur sententiæ, quæ sive à *Lectione* sive à

sim-

simplicitate Interpretationis hujus Loci recedit: certi sumus, illam à nemine, auctoritatis Scripturæ S. reverente, admitti posse absque scrupulo.

XXIV. Quod enim ad *Lectionem* hujus Loci attinet: non est res exigui momenti solicitare Lectionem Divini Verbi claram & constantem, quando circumstantiæ textus audaciori ejusmodi crisi non favent, & omnia alia desperata non sunt.

XXV. Quod ad *interpretationem* Petavii & Abrami: dudum ab Usserio aliisque observatum est, phrasin; צאת מארץ מצרים constructam cum ל / ut hoc in loco fit; *Mensis* aut *Anni designatione apposita*, constanter notare *principium* illius *Epochæ*, qua Israëlitæ Ægyptum dereliquerunt. etsi cum ב constructa, quandoque in majore latitudine sumatur.

XXVI. Tametsi vero non dissimulem, longe majore specie se mihi commendasse sententiam Cani, Sa, Aliorumque ex Doctis, quæ statuit, *Judicum* tantum & *Regum* Annos ab Auctore Libri Regum in unam summam contractos esse, *prateritis Annis Interregnorum*, quam Usserio: habet tamen & illa ἀπροσδόκητόν τι, quod facit ut ea non acquiescam. Vere enim Historiographus *Libri Regum* hoc loco putat *Tempora*, non *qualitates temporum*. In *temporibus* autem *computandis* una eademque haberi debebat ratio temporum, quæ lapsa sunt in *Interregnis* ac sub *Præfecturis Judicum*.

XXVII. Quare potius eorum inter Eruditos laudandi videntur conatus, qui ingenii sui vires intendunt ad *Numeros* reliquorum Librorum Historicorum cum *Numeris* hujus loci conciliandos: quippe quod plures rationes probabiles suadent desperandum non esse.

XXVIII. Quæ Doctorum sententiæ cum non facile a quoquam intelligi, multo minus feliciter & solide discerni possint, nisi tempora illa in tabella aliqua descripta ipsi coram oculis versentur: utile fuerit, ea hic excerpere & designare.

XXIX. *Mosi* absque dubio dandi sunt, ex *Exod.* VII. 7. & *Deut.* XXXIV. 7. Anni 40.

Josua & *Seniorum*, qui *diu* dicuntur vixisse post *Josuam*, Anni non definiuntur, Jud. II. 7.

1. Servitus *Cuschan Reschataim*, sive Mesopotamena, Cap. III. 8. 8.

Ex qua ubi vindicati sunt per Othnielem, *terra* dicitur *quievisse* (Cap. III. 11.) per Annos 40.

2. Servitus *Eglonis*, sive Moabitica, Cap. III. 14. 18.

Libertas per *Ehudem*, Cap. III. 30. quando *terra quievisse* dicitur per Annos 80.

In quæ tempora incidit oppressio Israëlitarum per Philistæos & vindiciæ illius afflictionis per *Samgarem*, Cap. IV. I.

3. Ser-

3. Servitus *Jabinis*, sive Canaanæa, Cap. IV. 3.	20.
Libertas per *Barakum & Deboram*, Cap. V. 31. quando *terra quievisse* dicitur.	40.
4. Servitus *Midianitica* Cap. VI. 1.	7.
Quievit terra per Gideonem vindicata, Cap. VIII. 28.	40.
Abimelech Judex, Cap. IX. 22.	3.
Thola, Filius Phua, Cap. X. 2.	23.
Jair, Gileadites, Cap. X. 3.	22.
5. Servitus *Ammonitica*. Cap. X. 8.	18.
NB. Quando Israëlitæ jam per Annos 300 dicuntur inhabitasse regionem Amoritarum, Cap. XI. 26.	
Jephta, Vindex, Cap. XII. 7.	6.
Ebsan, Cap. XII. 9.	7.
Elon, Cap. XII. 10.	10.
Abdon, Cap. XII. 14.	8.
6. Oppressio *Philistæa*, Cap. XIII. 1.	40.
Samson Vindex, Cap. XV. 20. & XVI. 31.	20.
Eli Judex, 1 *Sam.* IV. 18.	40.
Samuel Judex, & Saul Rex, *Act.* XIII. 21.	40.
David Rex, II *Sam.* V. 4.	40.
Salomon usque ad Fundatum Templum, 1 *Reg.* VI. 1.	3.
Summa	573.
Dentur *Josuæ & Senioribus* per πρόληψιν	25.
Summa	598.

XXX. Plerique jam Chronologi ut hos numeros, qui 118 Annis ſuperant numeros libri Regum, inter ſe concilient: id tentant aſſumpta hypotheſi de *Synchroniſmis:* ſupponentes, *Calamitates* & *Liberationes* Iſraëlitarum in diverſis Canaanææ Regionibus ſæpe in idem incidiſſe tempus. Quæ hypotheſis neutiquam haberi poteſt abſurda.

XXXI. Et quidem Communis eorum ſententia Annos *Servitutum* refundit in *Annos Judicum* illorum, per quos Iſraëlitæ identidem vindicati ſunt in libertatem: nimirum, ut quando Iſraëlitæ dicuntur Regi Meſopotamiæ *ſerviiſſe* per 8 Annos, & cum vindicati eſſent per Othnielem, *terra quieviſſe* per 40 Annos; 8 illi Anni Servitutis his ipſis 40 Othnielis ſint includendi, & ita in cæteris. Amplexi hanc hypotheſin præter alios Scripturarum Interpretes, qua Veteres qua Recentiores, ſunt Cel. Spanhemius, Burmannus, &c.

XXXII. Doctiſſimus Præſul Armachanus inſuper obſervari vult, verba hiſtoriæ Judicum, *in quibus terra aliquot annis quieviſſe* dicitur, non ita eſſe accipienda ac ſi ea phraſi notaretur *duratio Præfecturæ hujus* vel *illius Judicis*, cujus Epochæ apponitur, ſed ea locutione indicari *ipſum principium quietis terræ* ſub hoc vel illo Judice, quod principium inciderit in *Annum* v. gr. *quadrageſimum* aut *octuageſimum* à *præcedente aliqua Epocha*, quæ nota eſſe ſupponitur.

ponitur. Verba itaque historiæ de Othniele; ותשקוט הארץ ארבעים שנה / quæ vulgo converti solent; *Et quievit terra quadraginta Annis.* interpretatur; *Et quievit terra Anno quadragesimo*; sive, *cum quadraginta fluxissent anni*, nempe à *sexto Anno Josuæ*, quo debellati in Canaanæa hostes, & dispertita inter Israëlitas est terra Canaan: *Epocham* autem sequentem *quietis* 80 *Annorum* sub *Ehude*, figit in ipso illo *Anno quadragesimo*, quo terra, secundum ipsum, cœpit quiescere sub *Othniele*, & ita porro. Qua admissa hypothesi, epilogismo totius summæ excluduntur *Anni Servitutum* usque ad Abimelechum.

XXXIII. Annorum autem Servitutum post Abimelechum; ut *Ammonitica* Annorum 18, & Philistææ Annorum 40; *illi* quidem ab ipso referuntur ad ætatem *Jairis Judicis* per 22 Annos; *hi* vero ad tempora *Simsonis*, sive potius, *Eli*; in cujus 40 Annos ipsi quoque illi 20 Anni *Simsonis* secundum Usserium incidunt.

XXXIV. De cætero *Gideoni* extra textum Sacrum dat *novem Annos*, & *Samueli unum & viginti*, distinctos à 40 Annis *Saulis*. quando tandem epilogismus nobis dabit ipsos illos 479 *Annos*, quos quærimus.

XXXV. Marshamus vero totum hoc Intervallum 480 Annorum dispescit in duo alia minora, quorum Alterum ab *Exitu ex Ægypto* terminatur in initio *Servitutis Ammoniticæ*: Alterum ab ipsa *Servitute Ammonitica* decurrit usque ad Annum Fundati Templi.

XXXVI. *In priore* illo Intervallo, quod secundum ipsum constat 340 *Annis*, Synchronismum facit *Ebudis*, sub quo Orientales Israëlitæ quievisse dicuntur 80 Annis, & *Afflictionis* sub *Jabine* per 20 Annos, atque ἀπολυτρώσεως per Barakum, per 40 Annos: lucratus hac ratione 60 Annos: quos dat *Josua* & *Nova post Josuam generationi*; Illi quidem Annos 25; Huic 35. Sic fere incidet initium *Afflictionis Ammonitica* in Annum *à Morte Mosis trecentesimum*, juxta loc. *Jud.* XI. 26.

XXXVII. In *Altero* illo Intervallo, ab initio *Oppressionis Ammonitica* usque ad *Fundatum Templum*, quod secundum ipsum circumscribitur Annis 140, primo certi sunt Anni 84 pro Regibus Saule, Davide, & initiis Salomonis. Ad Annos itaque 56, qui restant, referendæ sunt Servitutes tam *Ammonitica* quam *Philistaa*, quippe quæ haud dubie in unum idemque tempus inciderunt, juxta *Jud.* X. 7.

XXXVIII. *Ammonitica* Oppressio fuit 18 Annorum, quam sequuti in Populo Dei ab Oriente fuerunt Judices Jephta, Ibzan, Elon, Abdon, per Annos 31, qui cum in summam contracti faciant 49 Annos, facile includuntur intervallo illi 56 Annorum.

XXXIX. *Philistaa Oppressio*, σύγχρονος Ammoniticæ, fuit 40 Annorum, in quam secundum ipsam Historiam Sacram incidunt 20 *Anni Simsonis*, (Jud. XI. 20.) & 40 *Prafe-*

ctura Eli. quando de summa illa 56 Annorum Regimini *Samuelis* ante Inaugurationem Saulis supererunt 16 Anni.

XL. Nicolaus Abramus longe adhuc compendiosiore via & leviore opera, in Annis *Servitutum* & *Liberationum*, qui fluxerunt à prima *Servitute Mesopotamena* usque ad mortem *Abimelechi*, nihil permiscet, sed qua serie in Annalibus Libri Judicum recensentur, integros & ab invicem distinctos supputat. Sunt autem illi 256. Compendium itaque solius illius facit temporis, quod à *Morte Abimelechi* lapsum est usque ad *Fundatum Templum*: supponens, Servitutes Ammoniticam & Philistæam esse contemporaneas; Ammoniticæ vero Servitutis initium incidisse in *quartum Annum Jairis* (neque enim sub Thola aut Jaire *terra quievisse* dicitur, sed illi solummodo tanquam *Judices* Populo Dei præfuisse:) Philistæam vero Servitutem cœpisse *nono Anno* Ammoniticæ, & quidem *tertio decimo* Jairis; porro Servitutem Philistæam 40 Annorum esse *σύγχρονον* tum Præfecturæ Eli *totidem Annorum*, tum Gestis *Simsonis* Judicis, cui *viginti* dantur Anni.

XLI. Quibus Annis si adjiciantur 40 Samuelis & Saulis, 40 Davidis, 3 Salomonis; supererunt Josuæ & Senioribus 25, ad Calculum 480 Annorum supplendum; hac fere ratione:

Ab Exitu ex Ægypto usque ad occupatam Josua Duce Palæstinam, 40.

 A Jo-

A Josuæ initiis usque ad Primam Servitutem Cuschanis ......

A *Servitute illa Prima Cuschanis*, sive Mesopotamena, usque ad Mortem Abimelechi, . 256.

Thola, 23.

Jair per Annos 22, sed in cujus Annum *quartum* incidit Servitus Ammonitica ... Ergo dentur illi Anni 4.

SERVITUTI Ammoniticæ σύγχρονος Servitus PHILISTÆA Annorum 40; cujus rursus Annis Servitutis contemporanei sunt 40 Anni Eli, & 20 Simsonis. Incidit autem Servitus Philistæa in 13 *Jairis*.

SERVITUS AMMONITICA, 18.

Jephta, Ebsan, Elon, Abdon, 31.

Samuel & Saul, 40.

David 40.

Salomon 3.

455

Supersunt Josuæ & Senioribus, 25.

480.

XLII. Quam quidem sententiam mutuatus ille est à Petavio, nisi quod Petavius Annos *Heli* non permisceat cum Annis *Servitutis Philistæa*: qui itaque 40 Anni cum locum invenire non possent secundum illam hypothesin in 480 Annis ab *Exitu* ex Ægypto, usque ad *Fundatum Templum*; *Exitum ex Ægypto* audacius

cius paulo interpretatus est per Εἴσοδον *in terram Canaan*, ut supra monui, lucratus hoc invento Annos 40, quibus ad calculum suum supplendum indigebat.

XLIII. Quas inter Doctorum sententias, Usserii illam, etsi eam fere sequutus sit ὁ πάνυ Coccejus, putamus duriorem, quippe quæ nec phrasi hebrææ, nec aliis partibus historiæ ejusdem hujus Libri satisfaciat.

XLIV. Communem autem illam Judæorum & Christianorum interpretationem, qua Anni Servitutum includuntur Annis Vindicum: iisdem judicamus laborare incommodis. Manifesto pugnat cum simplicitate historiæ.

XLV. Marshami vero & Abrami Calculi, qui notabilibus partibus inter se conveniunt, nobis Arbitris, hic haberi debent tolerabiles; quos inter non nego Abrami sententiam omnium simplicissimam, omnium mihi placere maxime. nihil habet illa violenti.

XLVI. Hypotheses enim; *Servitutes Ammoniticam* & *Philistaam* in eadem *tempora* incidere; & *Simsonis* porro gesta ad ipsa illa tempora Servitutis Philistææ referenda esse, ipsa Historia Judicum clare satis firmat, *Jud.* x. 7. & xv. 20.

XLVII. Ἐπαρχίαν vero Eli incidere in eosdem illos 40 Annos *Servitutis Philistaa*, tum consensus utriusque Numeri Annorum suadet; tum quod ex Historia eadem Sacra certum sit,

sub *Samuele* demum Israëlitas ab Oppressione Philistæa liberatos esse.

XLVIII. Utramque jam Servitutem, Ammoniticam & Philistæam, commisceri cum Annis Jairis, qui Judicem egit apud Israëlitas Trans-Jardenenses: nihil habet absurdi, quia sub Thola, nec sub Jaire, *terra quievisse* dicitur.

XLIX. Quæ ipsa sententia id fere sibi peculiare habet cum ea Marshami, quod mirifice consentiat loco *Jud.* XI. 26.

L. Quid itaque movit Abramum, ut, post calculos hos feliciter positos, absque ulla necessitate novos sibi scrupulos moverit de longiore temporis spatio concedendo Samueli & Sauli, quam Annorum 40, &, ut id obtineret, simul ut intervallum, quod inter *initia Josuæ & primam Servitutem Mesopotamenam* intercessit, produceret; phrasin *Exitus ex Ægypto*, secundum hypothesin Petavii, laxius interpretatus sit, ut supra monui?

LI. Utique 40 Anni Samueli & Sauli simul, non soli Sauli, dantur *Act.* XIII. 21. & spatium 26 Annorum Josuæ & Senioribus ad Primam Servitutem omnino sufficere, ex pluribus demonstrari potest; Veteribus & Novis Chronologis consentientibus.

LII. Quomodo vero cum hypothesi hactenus a nobis demonstrata de Annis solummodo 480 lapsis ab *Exitu* usque ad *Fundatum Templum*, con-

conciliandus sit locus *Act.* XIII. 20. quo post occupatam Canaanæam *solis Judicibus* ad *Samuelem* dantur 450 Anni: fateor hactenus à me perspectum non esse, si Numeri illi Annorum vere à Paulo expressi & à Luca literis consignati sint.

LIII. Quæ enim Docti Viri huc adferunt; ut v. gr. illis 450 Annis neutiquam designari *tempus Judicum* ad *Samuelem*, sed tempus, quod ab *Isaaco nato* fluxit usque ad *datos Judices*, cui quidem sententiæ favet Vulgata Versio & præter alios Antiquiores patrocinantur Usserius, de Dieu, & Spanhemius; sive etiam, Paulum illis 450 Annis includere omne tempus, quod lapsum est ab *ingressu in Canaanem* usque quo *fierent omnia Dei volita*, h. e. ab ingressu in Canaanem usque ad ædificatum Templum, ut Coccejus; sive etiam, pro τετρακοσίοις in textu Lucæ legendum esse τριακοσίοις, ut Lutherus, Beza, ac Jac. Cappellus: omnia coacta sunt vel minus probabilia. Numeri enim illi 450 Annorum exacte respondent *Numeris Libri Judicum* à *prima Servitute* usque ad *Mortem Eli*: ad quos proin Numeros Libri Judicum respexisse Auctorem hujus pericopæ apud Lucum, vix videtur dubitandum.

LIV. Sed vero id ipsum est quod facit ut credere vix possim, vel Paulum hos numeros ore expressisse, vel Lucam eos suo signasse calamo: textus enim Lucæ, vis item atque elegantia Orationis Paulinæ, absque his numeris

sibi

ſibi plane conſtant: ſed ut potius probabile habeam, Librarium aliquem, hunc Textum deſcribentem, orationem Paulinam, collectis Numeris ex Libro Judicum, hac lacinia voluiſſe exornare.

LV. Si enim Paulus ſua Oratione accuratam contexere voluiſſet Chronologiam à Patriarchis uſque ad Davidem: non videtur præteriturus eſſe tempus Patriarcharum ante Exitum ex Ægypto, & Joſuæ ac Seniorum poſt occupatam Cananæam, uſque ad Judices: mutilam autem & imperfectam Chronologiam quare in brevi oratione, qua ſtrictim percenſebat fata Gentis ſuæ uſque ad Davidem, adhibuiſſet, nulla videtur excogitari poſſe ratio: utique nulla mihi ſuppetit.

LVI. Cæterum nobilitant hoc Intervallum Æræ Celebres Exterarum Gentium; inter quas *prima* eſt aucti inſigniter amplificatique Regni Aſſyriorum, conditi olim ab Aſſure, Semi Filio, ſive ut clarius loquar; *Fundati* Aſſyriorum *Imperii* à Nino & Semiramide, quod Herodotus floruiſſe teſtatur & primas in Oriente obtinuiſſe per 520 annos, quando *Medi* ab eo primi defecerunt. cui conſentit Appianus. Secundum Uſſerii calculos incidit in tempora Deboræ, P. I. 3447. ſupponentis nimirum Medos ab Aſſyriis deſciviſſe A. P. I. 3967. Alii tamen qui minus temporis ſpatium dant τῇ αὐτονομίᾳ Medorum à *Defectione* nempe ad *primum* eorum-

eorundem Regem Deiocem, *triginta* plus minus *annos* serius: quæ verior videtur sententia.

LVII. Celebratior multo est Æra *Excidii Trojæ*, certe *Belli Trojani*, qualemcunque tandem *eventum* habuerit, de quo post Dionem Chrysostomum eruditi quoque Viri recentiorum temporum dubitant; & sunt vere dubitandi rationes, licet ægre traditioni tam constanti, qualis ea de *Trojæ Excidio*, fidem abnuam. in circumstantiis tamen rei gestæ multa aliter se habuisse, quam vulgata traditio exhibet, nemo forte negaverit; docuitque pluribus Philostratus.

LVIII. Figendum est hoc παρέπηγμα secundum *Marmora Arundelliana* in A. 374 *Æræ Atticæ*; P. I. 3505. & secundum nostras rationes in tempora postrema Gideonis; secundum alios aliquanto serius, & quidem secundum Petavium A. P. I. 3530. non 3550, ut in *Posteriore Rationarii Petaviani Parte* vitiose impressum est. Nec tamen id accurate definiri potest, quod de intervallo temporis, inter *Excidium Trojæ* & *Primam Olympiadem* medii, inter Vetustos Chronologos non exacte conveniat. Marmoris Arundelliani Chronologia 26 *annis* productior est Eusebiana. Ne dicam, ipsorum *Judicum tempora* diversimode constitui, & cum Annis *Periodi Julianæ* colligari.

LIX. Præluserant fatali huic bello Græci Heroës, Hercules, Alcmenæ Filius, Theseus, Jason, Castor & Pollux, Peleus, aliique,

speci-

speciminibus virtutis & audaciæ illustribus omni occasione editis; maxime in *Expeditionibus* alio susceptis, inter quas celebris Argonautica; adeo quidem ut eodem plane tempore Heröes in Græcia floruerint, quo ex certissimis Scripturæ Monumentis liquet, viguisse Heröes apud Israëlitas; quod occasionem præbuit Viris Doctis conjectandi, Græcorum res eorumque Heroum facinora ex traditionibus veris *Heroum Hebræorum* aucta ampliataque esse: quod suo fecerint periculo.

LX. Negligi etiam hic nolo famosam in Græca Historia *Epocham* τῶν Ἡρακλειδῶν καθόδυ *Reditus Heraclidarum* in Peloponnesum, Excidio Ilii 80 *Annis posteriorem*. Sic finiverat Eratosthenes, quem Veteres passim, & Eusebius quoque, sequuntur. Post quam accidit Græcorum in Asiam *Migratio*, ἡ Ἀποικία Ἰωνική; Annis 60. Tantum enim interest. Quæ ad *Tyriorum* Regum historiam & Chronologiam faciunt: ex Menandro, Dio, & Nicolao Damasceno, servantur apud Josephum.

Periodus Quinta, à Templo Salomonis Fundato, usque ad illud Destructum per Babylonios, sive usque ad τὴν Μετοικεσίαν *Babylonicam.*

I. *Periodus Quinta* temporis Ecclesiæ lapsi an-

te

te Adventum Messiæ, complectitur ejusdem Ecclesiæ Casus à *jactis Fundamentis Templi Salomonis* usque ad τὴν Μετοικεσίαν *Babylonicam*.

II. Inter quos præcipui sunt, florentissimus status Reipublicæ Judaicæ; cujus solius limitibus Ecclesia *superiore Intervallo* per Mosen circumscripta fuit, sub Rege *Salomone*; idem mox attenuatus sub Filio ejus *Rehabeamo*, pravi homine consilii, *decem tribubus* Israëlitarum per seditionem à *Jerobeamo* Ephraimita concitatam à Juda & Benjamine tribubus divulsis, quæ ab eo tempore suis paruerunt *Regibus* à *Regibus Juda* distinctis: Illam Status Politici mutationem mox sequuta immutatio Religionis; *idololatria* ad res Novi Regis & Politiæ stabiliendas in Regnum illud solenniter à Jerobeamo introducta, & Altaribus Templisque in utroque Regni limite eum in usum exstructis, confirmata: Reges inde in utroque Regno variæ indolis & morum, quorum qui *Decem tribubus* præfuerunt, ad unum omnes Jerobeamiticæ idololatriæ quam *Ægyptiacam* vocare licet, patrocinati sunt, (quod sc. Ratio Status Politici exigere videbatur:) præterquam quod plerique eorum se insuper polluerint abominandis superstitionibus vicinarum Gentium, Phœnicum & Syrorum, quibuscum per connubia, cum Familiis Regiis illarum Gentium inita, commercium ipsis intercessit, & præsertim *idololatria Phœnicia*, *Baalis*, sive Herculis Tyrii: Eorum vero qui in Judæ & Ben-

jaminis tribu imperium obtinuerunt, aliqui quoque per Fœderalem aut Conjugalem conjunctionem cum Regibus Israëlitarum ad Idololatricam Impietatem, &, quæ illam comitari solent, vitia & scelera cujusvis generis prolapsi sunt; alii tamen in vera erga Deum pietate perstiterunt, & Judæum Populum, sacro Cultu in melius instaurato, identidem lustrarunt, quos inter eminuerunt Asa, Josaphatus, Uzzias, Jotham, Hiskias, & Josias: Utriusque denique Regni varia fata, prospera & adversa, quibus Divina Providentia Bonorum Regum Pietatem prosequuta est, & Malorum impietatem castigavit & vindicavit; Prophetis, qui per totum hoc Intervallum in Utroque Regno plures idemque illustres fuerunt, iram Divinam ob scelera passim in Populo Dei grassantia illi fideliter denunciantibus, & pœnitenti gratiæ spem facientibus: Donec tandem, cum, spretis Divinis monitis & comminationibus, in impietate & malitia sua obstinate perseverarent; Deus utriusque Regni Populum, dudum fractum, imminutum, & expilatum, pro severitate sua, ex terra Canaan in Exilium abduci passus est; *Israëlitas* quidem, sive *Ephraimitas*, jam ante variis cladibus fractos, in Assyriam & Mediam, per *Reges Assyrios*, *sexto Anno Hiskiæ Regis*: postquam eorum Regnum fere stetisset per annos 263. & *Judæos* per eosdem quidem *Assyrios Reges*, qui tum *Babylonii* dicebantur, in Ba-

bylonian,

bylonjam; eique subjectas conterminas Regiones, triplici pariter Deportatione, quarum ultima accidit Anno Zedekiæ Regis *undecimo*; quo capta sunt Hierosolyma & Templum conflagravit; postquam fere stetisset Annis 430.

III. Quarum Rerum Historia præcipue haurienda est ex *Libris Regum*, & *Chronicorum*; qui nobis veluti quoddam Compendium exhibent *Annalium* Reipublicæ & Ecclesiæ, Majorum illorum & Pleniorum, juxta morem Populorum Orientalium, à Sacerdotibus in usum publicum conscriptorum, quorum in ipsis illis Libris *Regum* & *Chronicorum* non infrequens mentio est.

IV. Præter quos Annales, Prophetæ aliqui de singularium quorundam Regum vita & gestis Commentarios aliquos ediderunt, qui deinceps perierunt. Vide 2 *Chron.* IX. 29. XIII. 22.

V. Imo ex ipsis illis *Libris Prophetarum*; Propheticis maximam partem & Moralibus, qui nobis in Sacro Codice per Divinam Providentiam reservati sunt, plurima peti possunt ad genuinum statum Reipublicæ & Ecclesiæ Judaicæ atque Ephraimiticæ illorum, quibus ipsi vixerunt, temporum, cognoscendum: qua in re, ut passim alias, industriam suam optime locavit Usserius, qui ad Prophetica *hujus Intervalli* scripta probe intelligenda omnino consulendus est.

VI. Quæ vero præter hæc ex Menandro, & Dio, de *Successionibus Regum Tyriorum*, in quibus celeberrimus est Εἴρωμος *Hiram*, Salomoni σύγχρονος, & memoria quoque occurrit *ἀβροχίας magni pluviarum defectus*, qui nimirum Israëlitis accidit Achabo regnante; proferuntur: peti possunt ex Josephi Libris *Antiquitatum* & *Contra Apionem*, à Marshamo passim illustrata.

VII. Longe tamen apud nos majoris sunt momenti, quæ tum ex Herodoto, tum ex *Canone Regum Babyloniorum*, qui Ptolemæi dicitur, ad res *Ægyptiorum* atque *Assyriorum* intelligendas, & cum narrationibus Sacrorum Scriptorum comparandas, in medium adferri possunt. de quibus mox.

VIII. *Quandiu* autem *Periodus* hujus Intervalli *duraverit* tam non est certum, quam in Historicis Sacræ Scripturæ Libris clare & accurate definitum videtur.

IX. Quot & qui Reges in Utroque Judæ & Israëlis Regno rempublicam usque ad illius subversionem tractarint; quot annis Populo Dei præfuerint; quando inceperint Illi vel desierint regnare, in Sacra Historia distincte edisseritur: & nihilominus certa hic non est ratio temporum.

X. Difficultas omnis oritur ex Annis *Regum Israëlis*, conciliandis cum *Annis Regum Juda*; inter quos Annos usque ad subversum Regnum Ephrai-

Ephraimiticum perpetua comparatio instituitur in Historia.

XI. Quod cum sit spinosum & molestum opus, quod multum temporis & patientiæ requirit, & parum sæpe fructus adfert, quia memoriæ difficilius infigitur: utilissimum factu videtur hoc in casu, in *Chronologia Regum Judæ & Israëlis* inter se conferenda ad id solummodo attendere, an in *Chronologia Regum Israëlis* quid occurrat, quod nos jubeat *tempora Regum Judæ* contrahere vel producere. Quodsi enim Anni *Regum Judæ*, stare possint: ex illis solis nobis constabit ratio temporis.

XII. Omnes Anni *Regum Judæ*, à Fundato Templo, sive ab Anno Salomonis *quarto* usque ad subversam Rempublicam sub *Zedekia*, Rege ultimo; in summam collecti secundum numeros in Libris Regum expressos, dant Annos 430, Menses 6.

XIII. Qui Annorum Numeri mirifice consentiunt Numeris 390 Dierum, apud Ezechielem expressis; quibus Propheta *ferret pravitatem Israëlitarum* cap. IV. 9. Dies enim illi symbolice exhibent *totidem Annos*, quibus Judæi Dei veri Cultui renunciarunt, supputandos à *quarto Anno Rehabeami*, quo *Juda* & *Israël à Deo cœperunt deficere* secundum 2 *Chron.* XI. 17. & 2 *Chron.* XII. 1. Subducas, licet, 430, 37 Salomonis à Fundato Templo, & 3 Rehabeami, & invenies residuum 390.

XIV. Quando tamen Anni Regum Israëlis cum Annis Regum Judæ, quibus respondent, comparantur: facile videbimus, Calculum hunc stare non posse; licet differentia non admodum sit notabilis.

XV. De quo ut facilius & certius sit judicium: cum Doctissimis Chronologis, *duæ Periodi* in toto hoc tempore Regum *distincte sunt considerandæ, in quarum capite utriusque Regni Principum initia occurrunt. Prior est, à Principio Rehabeami Regis Judæ, & Jeroboami Israëlis usque ad Achaziæ Judaici & Jehorami Israëlitici exitum: posterior ab initio Athaliæ, quæ Judæ, & Jehu, qui Israëlis Regnum invasit, usque ad Regni Israëlitici excidium, quod in fine Anni sexti Hiskiæ Regis contigit.*

XVI. Prima Periodus habuit

Reges Judæ,		Reges Israëlis,	
Rahabeamum Ann.	17.	*Jerobeamum* An.	22.
Abiam,	3.	*Nadabum*	2.
Asam,	41.	*Baëzam,*	24.
Jehosaphatum,	25.	*Elam,*	2.
Jehoramum,	8.	*Zimri,* D. 7.	
Achaziam,	1.	*Omri,*	12.
		Achabum	22.
Ann. 95.		*Achaziam,*	2.
		Joramum,	12.
		Ann. 98	
		Dies 7.	

Cum

XVII. Cum vero Numeri *Regum Israëlis* hic excedant Numeros *Regum Juda*, qui tamen æquale nobis exhibere deberent spatium temporis: primo forte intuitu alicui videretur ad Numeros hos exæquandos & inter se componendos *tempus Regum Juda* per *triennium* debere produci.

XVIII. At tantum abest id ut fieri debeat ut contra ipsi hi *Numeri Regum Israëlis*, secundum Historiæ textum probe collati cum Numeris *Regum Juda*, nos jubeant *tempus Regum Juda* hic per *quadriennium* & ultra contrahere: quando Prima hæc Periodus nobis solummodo exhibebit 90 aut 91 Annos.

XIX. Nempe quod plures hic habeamus *Annos Regum Israëlis* quam *Juda*: illius hæc est caussa, quod Anni fere omnes *Regum Israëlis* accipiendi sint pro *inchoatis* sive *incompletis*, ut ajunt, non pro *absolutis* & *exactis*, ut plerumque accipiendi sunt *Anni Regum Juda*: adeo ut *Primi* Anni *Regiminis Successorum* dicantur, qui *Ultimi* fuerunt *Decessorum*. nec est hic, quantum observavi, Chronologorum Biblicorum dissensus, aut magna difficultas.

XX. Quæ differentia *supputationis Annorum Regum Utriusque Regni*, meo quidem judicio, petenda est à diverso scribendi stylo, quo Conditores Annalium Regum Judæ & Israëlis, ex quibus compositi sunt Libri Regum, usi sunt.

XXI. At vero quod ipsi *Anni Regum Ju-*

dæ, (atque adeo totum tempus Regum Judæ & Israëlis) hic ad minimum sint contrahendi per *quadriennium*, faciunt loca illa Sacræ Historiæ, quibus tempora Regiminis *utriusque Jorami*, quorum alter Achabi, alter Josaphathi Filius fuit, definiuntur: non facile inter se concilianda, si Joramo, Josaphati Filio, post Patris obitum regnanti, *octo solidi Anni* dentur, secundum literam Historiæ Sacræ.

XXII. Joramus, Achabi Filius, dicitur *cœpisse regnare*, *Anno Josaphati* 18, (2 *Reg*. III. 1.) & *regnasse Annis* 12. qui tamen 2 *Reg*. I. 17. Regnum ingressus dicitur *Anno Jorami*, *Josaphati Filii*, *secundo*. Qui ipse *Joramus*, *Josaphati Filius*, alibi rursus dicitur cœpisse regnare *Anno quinto Jorami Regis Israëlis*; regnasse autem 8 *Annis*, 2 *Reg*. VIII. 16.

XXIII. Quæ cum maxime inter se pugnare videantur: componi vix poterunt nisi per has duas hypotheses, 1. Joramum, Josaphati Filium, à Parente suo Josaphato factum esse *Proregem* Anno Regni Josaphati 17, quo eodem Anno *Rex factus* ab Achabo Parente Filius *Achazia*, Jorami, Achabi Filii, frater & decessor. 2. Eundem Joramum, Josaphati Filium, deinceps à Patre ejus Josaphato solenniter in societatem Regni fuisse assumptum, Anno Parentis ipsius 22 (regnavit autem Parens 25 Annis:) à quo itaque Anno Parentis 22 *octo Regni ipsius Anni* numerandi sint, ut Regni ipsius,

sius, sive potius *Achazia*, Filii ipsius, (qui per unum tantum Annum regnavit; cujus partem cnm Parente communem habuit) idem sit terminus, qui Jorami Israëlitici.

XXIV. Quadriennio itaque & aliquot mensibus subductis de illis 95 Annis Regum Judæ, quibus circumscripta erat hæc Periodus, residui sunt Anni 90, & quod excurrit: quemadmodum ex hac Tabella, qua utriusque Regni tempora signavimus, liquet, in qua *Numeri Romani* demonstrant Annos in Historia Sacra notatos, qui in Annos Regum Judæ aut Israëlis, Regnum ineuntium, inciderunt.

Reges Jehudæ	Reges Israëlis.
Anni Regni	Anni Regni.
1 *Rehabeam*, An. 17.	1 Jerobeam, An. 22.
5	5
10	10
17	
1 *Abia*, An. 3. - - -	XVIII
1 *Asa*, An. 41. - - -	XX.
II - - - - - - - -	1. *Nadab*, Ann. 2.
III - - - - - - -	2. 1 *Baësa* in Tirsa, Ann. 24.
5	3.
10.	8.
20.	18.
XXVI. - - - - - - -	24. 1. *Ela*. Ann. 2.
	Zimri, per D. 7.
	XXVII.

XXVII. --- --- ---	2. 1 *Omri*, An. 12.
XXXI. --- --- ---	5. 1 Reg. XVI. 23.
XXXVIII. --- ---	12. 1 *Achab*, An. 22.
41. *Jehosaphat*, Ann. 25. ---	IV. ad finem vergente.
1	5
5	9
10.	14.
XVII. Pro-Rex *Joram*, ---	21. 1 *Achazia* cum Patre. An. 2.
XVIII. --- --- ---	22. 2. Joram. 12.
19.	2
20	3.
21	4.
22 1. Joram Rex, 8--	V.
2.	6.
3.	7.
25. 4.	8.
5.	9.
6.	10.
7.	11.
VIII. 1 *Achazia*.	12.

Summa, Anni 90, & quod excurrit.

XXV. Altera illa Periodus temporis Utriusque Regni, his constat Regibus & Numeris:

Reges

Reges Judæ.		Reges Israëlis.	
Athalia,	An. 6.	*Jehu*,	An. 28.
Joas,	40.	*Joachas*,	17.
Amasias,	29.	*Joas*,	16.
Uzzias,	52.	*Jerobeamus* II.	41.
Jotham,	16.	*Zacharias*, M. 6.	
Achaz,	16.	*Sallum*, M. 1.	
Hiskias, 29.	6.	*Menachem*,	10.
	S. 165.	*Pecahja*,	2.
		Pekah Remalia F.	20.
		Hosea.	9.
		S. A. 143. & M. 7.	

XXVI. Ex quibus Numeris inter se collatis, liquet, Annos 21 Regum Judæ plures numerari Annis Regum Israëlis: cum tamen hi Anni, ob eodem ducti initio & in eundem desinentes terminum, æqualia nobis exhibere deberent temporum spatia.

XXVII. Imo ex iisdem illis Annis, secum comparatis, non difficulter colligitur, Annos Regum Judæ, ad quos potissimum Chronologiam nostram componimus, in Calculo stare non posse integros, sed rursus vel augendos vel minuendos esse.

XXVIII. Et *primo* quidem de *Amazia* passim consentiunt Chronologi, illum cum Patre *Joaso* imperasse per *tres Annos*, adscitum in Regni societatem Anno Parentis Joasi, 38. fide locorum 2 *Reg.* XIV. 1, 2. 2 *Reg.* XIII. 13.

XXIX. Dein dubium quam maxime, an non in Regno Judæ post mortem *Amazia*, per conspirationem cæsi, statuendum sit Interregnum cum Ludovico Cappello 12 Annorum. Ait enim Historia exerte, Uzziam Regnum iniisse Anno Jerobeami II, 27. 2 *Reg.* xv. 1. 2. atqui *Amazia* Uzziæ Parens decessit, Jerobeami 15, ut liquet ex 2 *Reg.* XIV. 17. Vel itaque Interregnum hic est concipiendum 12 Annorum, vel dicendum, Jerobeamum, antequam ipse solus per 41 Annos imperavit, Annis 12 regnasse cum Patre Joaso. quod paulo durius.

XXX. Cujusmodi Anarchiam vel ἀβασιλευτον Regno Israëlis post mortem *Jerobeami* II accidisse, omnium, quos vidi, Chronologorum est sententia: licet in duratione illius definienda ob hypothesium varietatem non consentiant.

XXXI. Tandem & hoc dubium, an Anni *Jothami*, *Achazi*, & *Hiskiæ*, numerandi sint integri, num fracti, & alii aliis σύγχρονοι, ut nimirum *Achaz* cum Parente *Jothamo* statuatur Reipublicæ præfuisse per *septennium*, *Hiskias* rursus cum *Achazo* per *biennium*, ut vult Cappellus; vel potius *Hiskias* Annis aliquot regnasse cum *Achazo* Parente, ut instituit Marshamus.

XXXII. Quæ enim Sacra Historia tradit de Annis Regni Hoseæ, vel talem aliquem Synchronismum postulant, vel *novum* aliquod quasi

Inter-

Interregnum, *novem* fere *Annorum*, sive potius duplex Hoseæ Regis initium; alterum Achazi *quarto*, alterum *duodecimo*, vel *decimo-tertio*. Posterius tamquam simplicissimum & tam Historiæ quam Reipublicæ Israëlitarum illius temporis convenientissimum amplectimur. Specimen Chronologiæ hujus Periodi hæc exhibeat Tabella.

Reges Judæ, Ann. Regni.	Reges Israëlis.
1. *Athalia*, An. 6. - -	1. *Jehu*, An. 28.
5.	5.
6.	6.
1. *Joas*, 40. - - - -	VII.
10	16.
20	26.
21	27.
22	28.
XXIII. - - - - - -	1. *Jehoahas*, 17.
30.	8.
XXXVII. - - - - -	15. 1 *Joas* cum Patre, 16.
XXXVIII. 1 *Amazia* cum Patre, 29.	
39. 2.	17. 3.
40. 3.	
4	
5	
6	
XVI.	1. *Jerobeam*, II. 41.
	17.

17.	2.
&c.	&c.
XXIX. Decessit *Amazias.* - - - -	XIV.
: Interregnum : secundum Capp. : Ann. 12.	
1. *Uzzias,* 52. - -	XXVII.
2	
3.	
XV.	XLI. *Jeroboam* II decessit. *Interregnum* in Israële, per Ann. 22.
16	
17.	
&c.	
XXXVIII. - - - -	*Zacharias* Rex, 6 M.
XXXIX - - - - -	*Sallum,* M 1.
	1 *Menachem,* 10.
40.	2.
41.	3. &c.
L.	1. *Pekahja,* 2.
51.	2.
LII - - - - -	1. *Pekach,* Ann. 20.
1. *Jotham,* An. 16. -	II.
2.	
3.	
&c.	
16.	
1. *Achaz,* An 16. - -	XVIII.

2.	
3.	
IV. - - - - - - -	1. *Hosea* Regnum primo occupavit; sed id per turbas civiles amisit.
5.	2.
&c.	&c.
XIII.	1. Idem, Civilibus turbis pacatis, Regnum recuperavit.
14.	
15.	III.
XVI. 1 *Hiskias*. 29	IV
2	5
3	6
4	7
5	8
VI. - - - - - - -	IX Subversum Regnum Israëlis.

S. An. 173.

XXXIII. Sequuntur *Reges Judæ*, post subversum Regnum Ephraimiticum, usque ad Rempublicam destructam.

Reges Judæ.

	Anni
Hiskiæ restant	23.
Manasses,	55.
Amon,	2.
Josias,	31.

Joahas,

Joahas, M. 3.
Joiakim, 11.
ſive potius *Ann.* 10.
Menſ. 6.
Jechonias, M. 3. D. 10.
Tſedekias, 11.

Sum, 133.

90 XXXIV. Qui Numeri cum reliquis rudi-
173 ore Calculo in ſummam collecti, mihi dabunt
133 Annos 396.
396

XXXV. Quibus ſi demantur *tres*, quibus Judæi in fide erga Deum ſub *Rehabeamo* perſtiterunt: accedent illi proxime ad Numeros 390 *Annorum*, quibus apud Ezechielem circumſcribitur tempus *Defectionis Judæorum à Deo*. Præterquam quod Computus noſter ad extremam perfectionem Mathematicam exactus non ſit, quin & ob quædam obſcura & incerta exigi facile non poſſit. Et præſtat haud dubie *calculo Ezehielis* hic inhærere, & eſt probabile, triennium intercipi, quod in poſteriore laterculo Anni tres incompleti ſint, vel σύγχρονοι.

XXXVI. His vero iiſdem Annis ſi addamus 27 Annos Salomonis, cujus *Anno quarto* jacta ſunt templi Fundamenta, (in univerſum enim imperavit 40 Annis) ſteterit Templum Annis 433. ſecundum calculum Ezechielis, 430.

XXXVII. Ad alias jam difficultates, quæ in Hiſtoricis Sacræ Scripturæ Libris ex nume-

ris

tis oriuntur, expediendas, hæc pauca obſervari poſſunt, *α*. Fieri poſſe ut Numeri aliqui in Hiſtoria *Chronicorum*, quæ dicitur, à Librariis per ſocordiam fuerint corrupti, ut 2 *Chron*. XXII. 2. *coll*. cum 2 *Reg*. VIII. 26. 2 *Chron*. XXXVI. 9. 10. *coll*. cum 2 *Reg*. XXIV. 8. *β*. In numerandis Annis aliquando reſpici ad Æram aliquam proxima antiquiorem, ſed notiorem ſimul & clariorem, ut v. gr. quod Baëza *Ramam muro dicatur circumdediſſe Anno Aſa* 36, (2 *Chron*. XVI. 1.) quem tamen aliunde Anno *Aſa* 26 mortuum eſſe, conſtat. Putari itaque poteſt id factum Anno 36 ab *Æra* celebri *Diviſi Populi Iſraëlitici* ſub Rehabeamo, & Jerobeamo. *γ*. Quibus ſi adjiciantur, quæ in ſuperioribus monita ſunt & ex *Tabellis Chronologicis* colligi poſſunt de Annis *Exactis* probe diſtinguendis ab *Inchoatis*; Annis quoque, quos Filii in Regno communes habuerunt cum Patribus, ab Annis, quibus regnarunt abſque Socio; item de *Interregnis*, abſque quibus Hiſtoria ſibi non conſtat: omnia ſalva erunt & integra.

XXXVIII. Quando autem *Chronologiam Regum Juda* perduximus uſque ad ultima *Tſedekiæ Regis*: nolim inde præſumi, nos ab eodem initio demum in computo deducere 70 *Annos Exilii Babylonici*, quorum in Propheticis & Hiſtoricis Codicis Sacri Libris mentio, *Jer*. XXV. 12. 2 *Chron*. XXXVI. 21.

XXXIX. Probamus enim ut certam & veram

ram communiorem Hebræorum, & Christianorum peritiorum; sententiam; quam Petavius, Abramus, & Vorstius sequuti sunt & illustrarunt: illos 70 *Annos Exilii Babylonici* supputandos esse à *quarto Anno Regis Jehoiakimi*; qui *Nebucadnezaris* fuit *Primus*, tam argumento loci *Jer.* xxv. 1. 2, quam *Canonis Ptolemæi* & *Fragmenti Berosi* in Annis *Regum Babyloniorum*, quæ à *Nabocolassari* (est autem is *Nebucadnezar*) *Nabopolassaris* Filii, initiis usque ad *Cyrum* nobis dant 70 Annos: præter rationes alias minime contemnendas.

XL. Quo ipso itaque discedimus à sententia Scaligeri, qui 70 *Annorum* illlorum initium ducit à *Jechonia*, & Aliorum, qui eos demum supputant à *Conflagratione Templi sub Tsedekia*. Etsi enim in illa quoque tempora incidant *Transportationes Judæorum in Babyloniam*; desunt tamen illis reliqui characteres *Æra* 70 *Annorum*, & obstant *Regum Babyloniorum* tempora, Astrologicis Observationibus munita.

XLI. Demptis itaque de 433 Annis 18, qui intercesserunt inter 3 *Jehoiakimi* & 11 *Zedekiæ*, lapsi fuerint à *Templo Fundato* usque ad *initium Annorum* 70 *Exilii*, Anni 415, sive secundum Ezechielem 412.

XLII. *Hac* jam *Periodo* major nobis lux oritur in Historia Profana, quam volupe est in *Rebus Assyriorum*, *Ægyptiorum*, & *Babyloniorum* cum *Historia* Populi Dei; cujus res

harum

harum Gentium rebus permixtæ fuerunt, comparate, modo prudenter instituamus. Tum præterea, cum *Chronologia* una sit *Historiæ* anima & vita: *Rationes temporum Mundi* hac *Periodo* certius & clarius constituuntur ex nobilissimis *Æris Olympiadum*, *Romæ conditæ*, atque ante eam *Carthaginis* & *Nabonassareæ*. quæ cum in hanc Periodum incidant: eandem simul illustrant.

XLIII. Et quidem quod ad *Assyriaca*; etsi οἱ Ἀσσύϱιοι λόγοι *Commentarii de Rebus Assyriacis*, quos Herodotus alibi promittit, non extent: ex ipsa tamen illa, quæ præ manibus est, Herodoti Historia ad Biblicam de *Assyriorum Rebus* Historiam intelligendam proficimus, α. Cum *Assyriorum Regnum* floruisset in Asia per Annos 520, *Medos* primo, dein καὶ τ' ἄλλα ἔθνεα *alias quoque Gentes*, ab ipsis *defecisse*. quod quidem accidit secundum Marshamnm *Anno Nabonassareo* 39, qui est ante Babylonem à Cyro expugnatam A. 171, Period. Jul. 4006. secundum Usserium A. Period. Jul. 3967. ante destructum Babyloniorum Imperium 209. secundum Vorstium, A. Period. Jul. 3999. β. *Ninum* urbem, Assyriaci Imperii antiquissimam sedem, subversam demum & excisam esse à Cyaxare, Medorum Rege, non adeo longe ante initia Cyri: quando Regnum apud Judæos tenebat Tsedekias, & apud Babylonios Nabuchodonosorus. γ. *Senacharibum*, Regem Assyriorum & Arabum, (qui nimirum hoc ipso quo-

que nomine ab Herodoto ſignatur :) Ægyptum bello petentem, cum exercitu affectum eſſe magna & inuſitata clade.

XLIV. Quæ *in genere* nemo facile neget Sacram mirifice illuſtrare Hiſtoriam, quæ ejuſdem illius magnæ cladis Exercitus Senacheribi Regis, verſantis in Confiniis Ægypti, ſive in Judæa ſive in Arabia, per ſingularem Animadverſionem Divinam, exerte meminit; & ex qua inſuper patet, tam Imperium Aſſyriacum quam Ninum Imperii illius ſedem ad extrema uſque tempora Reipublicæ Judaicæ ante Babylonicam Captivitatem ſuperfuiſſe.

XLV. Unde itaque ſimul liquet, quæ fides adhibenda ſit Cteſiæ, narranti, Regnum Aſſyriorum, poſtquam per Annos 1300 aut paulo plures in Aſia floruiſſet, terminatum eſſe in *Sardanapalo*, & deſtructum fuiſſe ab *Arbace Medo*, ad id ſuſcitato & adjuto ab Amico ſuo *Beleſi*, τῶν ἱερέων ἐπισημοτάτῳ, ὃς Βαβυλώνιοι καλοῦσι χαλδαίους, Babyloniorum circa id tempus Præfecto; *trecentis* & quod excurrit Annis ante *initia Cyri*: quo eodem tempore ipſa Urbs *Ninus* ab his ipſis victoribus Arbace, Beleſi, aliiſque Aſſyriorum Regis Satrapis, conſpirationis Sociis, expugnata, diruta, & exciſa fuiſſet; ceu videri poteſt apud Diodorum Siculum.

XLVI. Utrumque certe ex adverſo pugnat cum Hiſtoria & Prophetia Sacra, quæ *Aſſyriorum* Reges, Phulem, Tiglat-Phul-Aſarem,

Sala-

Salman-assarem, Senacheribum, & Esar-haddonem, post Imperium Assyriorum dudum scilicet cum Urbe Nino secundum traditionem Ctesiæ destructum, signate memorat, quin & eorum prædicat potentiam; & præterea *Nini* Urbis longe post ea tempora superstitis & demum destruendæ expressimam mentionem facit.

XLVII. Cum qua Historia Sacra ut Ctesiam, sive qui Ctesiam hic sequutus est, Diodorum Siculum, commode conciliarent: Christiani Chronologi sibi fingunt Imperium Assyriacum, sub Sardanapalo destructum, in duas post id tempus divisum esse partes, quarum Altera (Media & Persia) *Arbaci Medo* tanquam victoriæ præmium cesserit, Altera, (Assyria & Babylonia) *Belesi illi* Diodori Siculi, Babyloniorum Præfecto, quem illi *Phul-Belochum* vocare solent; inter cujus itaque *Phul-Belochi* sive *Belesis* Successores numerant ipsos illos *Assyriæ* Reges, modo nominatos, quorum Nomina & Gesta in Historia Biblica referuntur.

XLVIII. Verum etsi secundum Ctesiam vere Arbaces Medus Belesim præfecerit Babyloniæ post subversum Assyriorum Imperium & destructam Niniven: quæ tamen de *novo* illo Assyriorum Regno jactantur, & novis Assyriaci Imperii Regibus, nec fide Historiæ nituntur, nec cum Biblica Historia aliis in partibus conciliari possunt.

XLIX. Et tamen Petavius, qui ipse quo-

que Ctesianæ narrationi de destructo à Medis *Assyriorum Imperio* fidem tribuit, nihil huc novæ lucis adferre potuit, nisi quod per conjecturam statuerit, *post antiquum illud Assyriorum extinctum vel in Medos translatum Imperium, paulatim exolescentibus Medis & propter ignaviam ac mollitiem eorum labefactatis viribus, Assyrios primum, deinde Babylonios à Medis defecisse*, & Ninivem Urbem, & cum Urbe Regnum, instaurasse. Sed res tam notabilis, si vere accidisset, quare in Historia Regum Medorum à Ctesia prorsus præterita est?

L. Probabiliores longe sunt conjecturæ Usserii; qui, licet in præcipua parte Historiæ Imperii Assyriaci Herodotum sequatur, ut in superioribus observavimus: Ctesiam tamen non prorsus deserit, sed eum cum Herodoto fere per has hypotheses componit. α. Vere extitisse in Mundo aliquem *Sardanapalum* inter Imperatores Assyriacos, quo regnante Assyriorum Imperium non quidem penitus subversum, sed potius fractum sit & attenuatum, variis Populis ab eo deficientibus. etsi sane alias Sardanapalum aliquem inter Assyriæ Reges extitisse, ex ipso quoque Herodoto probari possit. β. Illum Sardanapalum fuisse Filium *Phulis*, illius Assyriorum Regis, qui in Historia Sacra *Menachemum in Regno Israëlis confirmasse* dicitur: dictum *Sardan-Phul*, ut *Baladanis* Filius *Merodach*, Babyloniæ Rex, *Merodach-Baladan*. γ. Sub eo

itaque

itaque Sardanapalo defecisse ab Assyriis varios Populos, eorum Imperio ante subjectos, & eos inter præcipue *Medos* & *Babylonios*, circa Annum Period. Jul. 3967. & quidem Babyloniorum *Regem primum* fuisse Belesim illum *Diodori Siculi*, qui in *Canone Regum Babyloniorum* dicatur *Nabonassarus*. *δ*. Regnum vero Assyriacum eo quidem tempore nondum fuisse destructum, sed *ad proprios reductum fuisse terminos*. *ε*. Sardanapalum itaque habuisse Successorem *Ninum Juniorem*, fide Castoris Rhodii apud Eusebium, in Sacris Literis dictum *Tiglath-Pileser*.

L I. Marshamus vero adeo prorsus hic nullam rationem habet Ctesiæ, ut de eo cum Herodoto componendo nequaquam solicitus sit, sed in omnibus omnino confidat Herodoto: secundum eum statuens, Medos ab Assyriis defecisse circa Annum Nabonassaris 39. Period. Jul. 4005, aut 4006. *dum in Urbe Nino ob cædem Sennacheribi a Filiis interempti, eorumque fugam, res Assyriorum intestinis turbis confusæ fuerunt*: Regno Assyriorum eo tempore non exciso, sed attrito.

L I I. In quam eandem hypothesin venit Vorstius, Doctus pariter Vir & accuratus, qui rationes suas hac de re ita instituit. *α*. Soli Herodoto in Assyriacis fidem habendam esse: Scaligerum aliosque, qui Ctesiam cum Herodoto conciliare studuerunt, operam lusisse. *β*. Habendum itaque & tenendum ex Herodoto, Medos

ab Aſſyriis defeciſſe Anno 156 ante devictum à Cyro Aſtyagen, h. e. P. J. 3999. *ſex* nimirum Annis conceſſis *Medorum αὐτονομίᾳ*; quos Marshamus includit 53 Annis Deiocis, primi Medorum Regis, ſecùndum Herodotum. γ. Illum Annum reſpondere 14 *Anno Regis Hiskiæ*, quo Senacheribus, Aſſyriæ Rex, magna clade per Divinum Judicium affectus eſt. δ. Illam ipſam cladem Medis deficiendi ab Aſſyriis occaſionem dediſſe. ε. Habuiſſe autem Medos inter alia cauſſam Aſſyriorum jugum excutiendi, quod Senacheribi Deceſſor, Salmanaſſar, Iſraëlitas, quorum Regnum deſtruxit, *deportaverit* in *Mediam*. *Medos* viciſſim traduxerit in Canaanem & alias regiones. ζ. *Aſarhaddonem* autem, qui Senacheribo Patri ſuo ſucceſſit, in cujus initia Medorum defectio incidit, eundem illum eſſe *Sardanapalum*, in quo Vetus Traditio Hiſtorica habet terminatam eſſe Monarchiam Aſſyriorum. η. Eodem illo tempore, quo ab Aſſyriis defecerunt *Medi*, ab iis defeciſſe *Regem Babyloniorum*, qui hactenus *Aſſyriorum Regibus* fuerat obnoxius. θ. Argumento eſſe, quod *Merodach Baladan*, *Babyloniorum Rex*, Hiskiæ amicitiam affectaverit, poſtquam Hiskias jam a Rege Aſſyriorum defeciſſet.

LIII. Certe in Hiſtoria Sacra circa tempus Hiskiæ Regis aliquis memoratur *Babyloniorum Rex* diſtinctus à *Rege Aſſyriorum*, qui Hiskiæ Regis ambierit amicitiam, dictus *Merodach-Baladan*.

LIV. Quod

LIV. Quod idem clarissime liquet ex *Canone illo Regum Babyloniorum Ptolemai*, cujus primum Laterculum exhibet *Reges Babylonios* à *Nabonassaro* usque ad *Imperium Cyri* per Annos 209. qui à Scaligero primo, dein emendatius à Bambrigio, Calvisio, & Petavio, nuper rursus à Dodwello, in lucem emissus, Marshamo Judice, tam *bene congruit Sacris Literis, ut sine illo vix esset ullus ab Historia Sacra ad Exoticam transitus; neque satis notus esset primus ille Cyri Annus, quo soluta est Septuagenaria Judæorum Captivitas*.

LV. Etsi enim Reges illi in Inscriptione illius Canonis dicantur Ἀσσύριοι: vere tamen *Babylonios* fuisse, tum liquet ex Observationibus Astrologicis, sub iisdem illis Regibus *Babylone* factis, quæ apud Ptolemæum habentur; tum ex allis rationibus à Scaligero aliisque Viris Doctis, huc allatis. *Assyrii* itaque dicuntur primi illi Reges, sive quod vere *Assyrii* fuerint origine & gente; ut vult Marshamus: sive quod *Assyrii* nomen hic latiore capiatur significatu; ut passim quoque in Sacris Literis.

LVI. Incidit autem initium *Nabonassari*, primi illius Regis, qui in hoc Laterculo memoratur (sub quo antiquissimæ Observationes Astrologicæ factæ, quarum memoria ad posteritatem pervenit:) Chronologorum consensu, in Annum Period. Jul. 3967. regnante apud Judæos Jothamo, Uzziæ Filio, Achazi Patre.

LVII. Adeo ut qui *quintus* à Nabonassaro in hoc Canone Rex vocatur Μαρδοκέμπαδος idem ille sit *Merodac-Baladan*, Babyloniæ Rex, quem Historia Sacra Hiskiæ Regi valetudinem recuperatam gratulatum esse docet; *Baladan* vero ille ipse *Nabonassarus*, à quo hic ipsius Filius aut Nepos denominatus sit. Est enim *Mardokempadi* nomen, secundum Scaligerum compositum ex מרודך־כן־פד.

LVIII. *Chaldaicum* vero hoc *Regnum* an à Nabonassaro circa id tempus fundatum sit, ut vellent Usserius, Petavius, & Marshamus, licet diversis singuli innitantur principiis: num vero jam ante Nabonassarum plures fuerint Reges Babyloniæ, non satis est certum. Utique Berosus & Alexander Polyhistor apud Syncellum, posterius manifesto supponunt.

LIX. Quid vetat ita sentire? *Regnum Babylonicum*, sive Chaldaicum, olim à Nimrodo fundatum, omnino ab antiquissimis temporibus extitisse ab *Assyriaco* distinctum; prævalente dein Assyriorum in Oriente potentia Babylonios Assyriis fuisse subjectos, qui tamen, ut Orientalibus Imperatoribus mos erat, suos Babyloniis reliquerunt Reges, sed tributarios & καθ' νόμον; inter illos quoque Reges fuisse Nabonassarum illum, à cujus Regno memoriam habemus Observationum Astrologicarum; labefactato autem Imperio Assyriorum, & Medis se in αὐτονομίαν vindicantibus, *Babylonios*

lonios quoque tandem & *Judaeos*, sub Rege Hiskia, ab iis defecisse.

LX. Rediisse tamen hoc *Regnum Chaldaicum* in potestatem *Assyriorum* sub *Assarhaddone*, qui in *Canone* Ptolemaico *Assaradinus* dicitur: (licet Vorstius Assar-haddonem, Assyriæ Regem, qui in Historia Sacra occurrit, ab *Assaradino* Canonis Ptolemaici distinctum velit:) ex Historia Sacra non male à Marshamo colligitur, 2 *Par.* XXXIII. II.

LXI. Etsi sub Nabopolassare, Nabuchodonosori Patre, Babylonii se denuo vindicasse videantur in libertatem, & cum Medis ad Regnum Assyriorum, illiusque Regni Metropolim Ninum, subvertendum conspirasse.

LXII. *Assyriaci* vero *Imperii* æmulum hoc Intervallo fuit *Regnum Ægyptiacum*; quemadmodum ex Historia Sacra abunde liquet: etiamsi illud hoc Intervallo temporis diversa expertum sit fata.

LXIII. Cujus Regni Historia, quam non nisi laceram & mutilam habemus, quatenus ad Sacram Historiam illustrandam facit, ex eodem, & fere solo petenda est Herodoto; non diffitente Petavio.

LXIV. Certe in Historia Herodoti tres occurrunt Ægypti Reges; *Sabacon*, sive potius *Sevechus*; Æthiops; *Nechos* Psammetici Filius; & *Apries*; facile comparandi cum *Soo* illo Ægypti Rege, quicum res fuit *Hosea*, Israëlitarum Rege

ultimo; Pharaone *Necho*, qui Josiam Regem prostravit, & Pharaone *Hophra*, qui Regno exutus est, Ægypto à Chaldæis subacta & afflicta: nec male congruunt tempora.

LXV. Duæ itaque, quantum ex Fragmentis Historiæ Sacræ præsumere licet, sunt ætates in hoc nostro Intervallo, quibus Ægypti Regnum maxime floruit: Altera illa regnantibus Salomone & Rehabeamo, qua apud Judæos Ægyptiorum Sapientia, Divitiæ, Commercia, & Potentia quoque sub Rege *Sesako*, (qui nobis est *Sesonchis*; non *Sesostris*, ut post Josephum vellet Marshamus:) Orientem expilante, deprædicantur; Altera fere incidit in Regnum Hiskiæ Regis, quando Res Ægyptiorum, quorum in Historia intermedia vix ulla mentio fuerat, in melius versæ sunt, & ipsi cum Assyriis de palma Summi in Oriente Imperii aliquandiu decertarunt, usque quo tandem ipsis, sive potius Chaldæis, succubuerint.

LXVI. Quæ summa Ægyptiorum potentia circa ultima hujus Intervalli fraudi & exitio fuit Judæis, qui, nulla prorsus habita ratione Monitorum & Minarum Divinarum, nulla etiam Fidei suæ, Assyriis datæ, identidem ab Assyriis & Chaldæis, à quibus subacti erant, defectionem moliebantur, freti Sapientia & Viribus Ægyptiorum; cum quibus colludebant, tanquam Assyriorum potentiam facile æquaturis.

LXVII.

LXVII. Res vero illorum Populorum, quibus hoc Intervallo vix ullum commercium fuit cum Populo Dei, hic minus curamus; etsi negari nequeat, in hanc temporis *Periodum* plurima scitu dignissima gesta, & illustres incidere Casus.

LXVIII. Natæ hoc Intervallo sunt duæ Nobiles Urbes, & cum Urbibus Respublicæ, Roma, & Carthago: *Roma* quidem circa Annum P. J. 3960, qui *septimus* est ante initium Æræ Nabonassareæ, quo tempore inter Judæos Regnum tenebat sive Jothamus, sive Parens ejus Uzzias; *Carthago* autem, (sive potius *Carthada*, קרתאחדתא, quod Græcis Νεάπολις) illa antiquior, circa A. P. J. 3832, secundum Marshamum: tum etiam, utraque paulo recentior, *Syracusæ*. Imo jacta quoque sunt fundamenta Regni Macedonici.

LXIX. Græcia autem, in qua eminuerunt Respublicæ Atheniensis & Spartana, quarum natales ad superiora tempora jam designavimus, hoc sæculo varie coli & ornari cœpit, tam politis & æquis Legibus, quarum apud Lacedæmonios Auctor Lycurgus, apud Athenienses Draco; quam studiis Literarum, quarum Parentes vulgo habentur Homerus & Hesiodus; etsi dubium non sit quin Poësis ante illos in Græcia ab utriusque sexus Literarum Studiosis jam exculta fuerit. Floruerunt fere circa idem tempus, quod tamen non satis accurate & certo in Historia definiri

finiri poteſt: & quidem ſecundum Chronologiam Parii Homerus Anno *Æra Attica* 976, *Per. Jul.* 3807. regnante apud Judæos Jehoſaphato: multis integro fere ſæculo vetuſtior.

LXX. Verum illa demum pulcherrima res eſt, quod Græci hoc Intervallo cœperint habere rationem temporum per *Olympiades*: quarum celeberrima *Æra* huic Intervallo originem ſuam debet: eſtque ea vel *Vera*, quæ innectitur Anno Æræ Atticæ 699, Per. Jul. 3830, ab Iphito, Lycurgo, & Cleoſthene inſtituta, vel *Vulgaris*, quæ eſt Iphitea XXVIII, qua Corœbus Eleus ſtadio vicit, qui eſt Annus Æræ Att. 807. Per. Jul. 3938. Hæc incidit in Uzziæ, Illa in Jehorami, Filii Jehoſaphati, ſive Filii ipſius, Achaziæ, Regnum, apud Judæos. Inde jam paulo certiora apud Græcos ſunt tempora, licet ne ſic quidem tam explicata quam vellent Chronologi. Certe *Olympiadum* Æra ad rationes temporum in hiſtoria ſero admoveri cœpit,

Periodus Sexta, à Μετοικεσίᾳ *Babylonica ſub Jehoiakimo uſque ad Principatum Aſſamonæorum.*

I. *Sextum* illud *Intervallum temporis Oeconomia antiqua*, quod à Μετοικεσίᾳ *Babylonica ſub Jehoiakimo* ducitur ad *Principatum Aſſamonæorum*, non pauca rurſus continet digna commemoratio-

moratione, de quibus ex Historia Populi Dei; aut Monumentis Historiæ profanæ, liquet.

II. Hoc enim tempore Populus Dei, exactis Annis illis 70 qui *Exilio Babylonico* præfiniti erant, à Cyro, Persarum Rege, totius jam Orientis Monarcha, dimissus est ex Captivitate, & restitutus in Libertatem: ex quo qui reduces facti sunt in Canaanæam, hæreditariam Patrum suorum sedem Ducibus *Serubabele* Principe Populi & *Josua* Pontifice, Rem publicam constituerunt, & Cultum Sacrum secundum præscriptum Legum Mosaicarum instaurarunt, ipsis quoque Templi novi Fundamentis eodem illo tempore jactis. quod tamen Templum, remittente Populi zelo & in contrarium obnitentibus Samaritanis, Ecclesiæ veræ hostibus, demum exædificatum est ad exhortationes Prophetarum Haggæi & Zachariæ, imperante Persis *Dario*, Hystaspis quidem ut arbitramur, Filio: Inde *Ezras* Theologus, & post eum *Nehemias* Dux, rebus denuò collapsis sub *Artaxerxe* Longimano succurrerunt, & vitia Populi castigarunt atque emendarunt; imprimis operam dederunt, ut Populus, rite lustratus, imbueretur solida Divinæ Legis scientia: Ordo item Leviticus à criminibus, quibus se polluerat, purgaretur, & Sacrarum Literarum studia ab eo majore industria excolerentur, & urbs Hierosolyma, novæ Reipublicæ metropolis, probe muniretur adversus hostes. Qua tamen illorum

rum diligentia & zelo adeo cautum non est in futurum, ut non brevi post eadem vitia in Populo recruduerint, & qui maxime Sacrorum dignitatem tueri debebant Sacerdotes, ea sive simultatibus, odiis, & factionibus, sive profanis opinionibus, & impura vita sua, non prodiderint atque prostituerint. Quibus suis sceleribus cum Divinam vindictam dudum provocassent: non defuit Deo occasio Fœdifragorum impietatem severe puniendi, & exiguum semen piorum à fæce ac turba profanorum & Atheorum inter Judæos separandi per *Antiochum Epiphanem*, Syrorum Regem potentem & Religionis Judaicæ osorem, qui Templum Summi Dei horrendo exemplo profanavit, & Ecclesiam caussa Religionis gravissime afflixit, mox vindicandam per *Fratres Maccabæos*.

III. Extra vero Canaanæam qui in Assyria, Syria, & Ægypto domicilia sua fixerunt Judæi, varia experti sunt fata pro indole Regum; tum *Persarum*, usque ad destructum Imperium illorum per Græcos; tum *Syrorum* & *Ægyptiorum*, quorum subfuerunt potestati. Et in *Ægypto* quidem, ubi a temporibus Ptolemæi Lagi magna copia & numero habitarunt, à primis ab Alexandro Regibus sat habiti sunt munifice, nisi quod Ptolemæus Philopator, turpissimorum morum Rex, eos improbe vexaverit, & magnam iis paraverit lanienam; à qua tamen Deo per miraculum interveniente liberati sunt: si fides

des habenda ſit Auctori *tertii Libri Maccabæorum*.

IV. Quarum rerum hiſtoria uſque ad *ultima Artaxerxis Longimani* petenda eſt ex Libris Sacræ Scripturæ Hiſtoricis, *Ezræ*, *Nehemiæ*, *Eſtheræ*; & Propheticis, *Danielis*, *Haggæi*, *Zachariæ*, & *Malachiæ*: inde vero ex *Libris Maccabæorum*, & *Joſepho*. Libri tamen Maccabæorum, qui dicuntur, abſque aliquo judicii diſcrimine legendi non ſunt. Eſt enim *Primi* eorum longe major auctoritas quam *duorum poſteriorum*: quorum ille ex *quinque Libris Jaſonis Cyrenaici* excerptus, uterque fabulis Judaici ingenii repletus eſt.

V. Deus nimirum ſua providentia rem ita direxit, ut certa Hiſtoria rerum in & circa Eccleſiam geſtarum per *Prophetas*, & *Propheticos Viros inter Sacerdotes*, ad illud uſque tempus perduceretur, a quo Hiſtoriarum Studium inter homines florere cœpit, *Xerxis*, inquam, & *Artaxerxis Longimani*, quando Hiſtoriam ſuam conſcripſit Herodotus, quem alii plures procedente tempore in Græcia ſequuti ſunt. Quod ſtudium cum æque facile excoli potuerit à Viris Doctis, quos Eccleſia Judaica longe majore numero habuit poſt Exilium Babylonicum, ſive in Canaane ſive extra Canaanem, quam ante illud tempus: nulla erat gravis ratio, quare Deus Eccleſiæ extraordinario medio amplius provideret de *Prophetis*, qui munere *Hiſtorigraphorum* in Eccle-

clesia fungerentur: *Sacerdotum* & *Doctorum* fuit curare, ne florentibus jam ubique in Mundo & Ecclesia literarum studiis, Ecclesiæ deesset necessaria temporis præterlapsi memoria. de quorum tamen negligentia hac parte non parum habemus quod conqueramur.

VI. Ad *Historiam* autem *Sacram hujus Intervalli* distinctius intelligendam *tria* potissimum videntur requiri, α. Ut difficultates quædam Historicæ aut Chronologicæ, quæ nascuntur ex Historia Sacra collata cum Profana, quam fieri potest commodissime expediantur: Ex. gr. An Judiciis Divinis, Tyro, Ægypto, aliisque Populis per Prophetas denunciatis, sua in implemento constiterit veritas? Quis sit *Nabonidus* ille, sive *Nabonadius*, qui ultimus ante Cyrum Babyloniorum Rex notatur à *Beroso* & in *Canone Regum Babyloniorum*; num *Belsazar*, an potius *Darius Medus* Danielis? Quis *Darius* & *Artaxerxes* ille, de quibus in Historia Ezræ? an *Darius Hystaspis* & *Artaxerxes Longimanus*; num potius *Nothus*, & *Mnemon*? Quis sit *Assuerus Esthera*? &c. β. Ut Status Ecclesiæ Judaicæ, quo fuit sub *Babyloniis* primo ante Reditum ex Exilio; dein post Reditum sub *Persis*, & post eorum destructum Imperium, sub Alexandri Magni Successoribus, *Seleucidis* in Syria & *Lagidis* in Ægypto, probe intelligatur, & notabiles aliquot Casus, qui in Historia obscuriores sunt, inter quos est ipsa illa *Persequutio*

Epi-

Epiphanica, aliquanto clarius illustrentur. 7. Ut hujus Intervalli duratio secundum optimas temporum rationes exacte definiatur.

VII. Quorum omnium cum nihil omnino rite præstari possit, absque quo Historia Populorum & Imperiorum, quibuscum res fuit Populo Dei, quodammodo cognoscatur: id utique primo agendum erat, ut Imperiorum illorum notabiliores mutationes, Eorundemque Successiones, rudioribus saltem typis, in antecessum describantur.

VIII. Fuit autem Populo Dei hac Periodo temporis res cum Imperatoribus *Babylonicis*, & *Persis*; nec non cum *Regibus*, qui *Alexandro Macedoni* successerunt in *Syria* & *Ægypto*, illis quidem *Seleuco*, his *Ptolemæo Lagi* Filio oriundis.

IX. Babyloniorum Imperium, ad *ἀκμὴν* perductum sub *Nebucadnezare*, quem Canon Ptolemæi *Nabocolassarum* vocat, summam in Oriente auctoritatem tuitum est per Annos 68, quando illud eversum destructumque est à *Medis* & *Persis*.

X. De cujus Imperii Historia nihil fere aliud ex Veteribus reservatum est præter id quod extat in Fragmentis Berosi, Megasthenis, & Abydeni, apud Josephum & Eusebium: quæ à Scaligero cum aliis illius generis collecta & illustrata optimo consilio subjuncta sunt Operi de *Emendatione Temporum*. à quibus vix di-

ſcrepant caſtigatiores Editiones *Canonis Aſtronomici.*

XI. Summa traditionis Hiſtoricæ illorum Fragmentorum eſt, *Nabuchodonoſorum*, potentem & feliciſſimum Orientis Monarcham, regnaſſe Annis 43. Filium ejus *Evilmerodachum*, qui ei ſucceſſerat, poſt *biennium* intemperanter in Imperio exactum, à *Neriglissaro*, ſororis ipſius marito, per inſidias obtruncatum eſſe; *Neriglissarum* Regnum per Annos 4 tenuiſſe, & Filium reliquiſſe impuberem *Laboroſoarchodum*, eumque, cum ſolummodo *novem menſes* imperaſſet & pravæ indolis plura feciſſet indicia, ab Amicis interemptum, & Imperium delatum eſſe *Nabonedo* cuidam ſive *Nabannidocho*, *Babylonio*, conſpirationis ſocio, *nulla affinitate illi* (ſecundum Megaſthenem) conjuncto, qui ſummæ rerum præfuerit per Annos 17. quando victus à *Cyro*, Perſarum Rege, depoſito Imperio reliquum vitæ in *Carmania*, cujus Præfecturam Victoris indulgentia impetraverat, exegit.

XII. Quibus omnino conſentiunt meliores Editiones *Canonis Ptolemai*: niſi quod in iis *Laboroſoarchodus* puer, qui Imperium tantum per 9 Menſes tenuit, præteritus ſit;

		Anni
Ναβοπολλασσάρου, Patris *Nebucadnezaris*, pariter apud *Beroſum*.	καὶ	21.

Ναβο-

Ναβοκολασσάρου,	μγ.	43.
Nebucadnezaris, qui Ναβουχοδονόσορος *Beroso*.		
Ιλουαροδάμου,	β.	2.
Νεριγασσολασσάρου,	δ.	4.
Ναβοννάδου.	ιζ.	17.

XIII. Mirandum autem esset, Josephum; cum nullos omnino alios haberet quos heic sequeretur, Auctores, hanc ipsam tamen traditionem Historicam dedita opera corrupisse: nisi constaret, Josephum, non ubique optimæ fidei Scriptorem, hanc Historiam voluisse accommodare ad illas hypotheses, quibus arbitrabatur se indigere in interpretanda Scriptura. Quod tamen *Neriglissaro* apud ipsum Anni 40 dentur: non ipsi Josepho vitio vertendum, cujus hypothesi id ipsum quoque adversatur, sed Librariis, qui 40 scripserunt pro 4.

XIV. Nec est quod quis in eo hæreat, Annis, apud Berosum expressis, à *primo* Nebucadnezaris, unde numerandi sunt 70 *Anni Exilii Babylonici*, usque ad Monarchiam Cyri *quatuor Annos*, aut paulo minus, videri deesse, ut ex collectis Numeris patet;

	43
	2
	4
Mens. 9.	
	17
Ann. 66.	Mens. 9.

 XV.

XV. Clarissimum enim est, in Historiâ Scripturæ *Primum* illum dici Annum Nebucadnezaris, qui fuit Regni Parentis ipsius *undevicesimus*, quando Parentis sui jussu illam suscepit expeditionem, quâ Syros, Phœnices, & Ægyptios, qui ab ipso defecerant, in ordinem redigeret: de qua Berosus exerte meminit. Qui ipse ille Annus est *Jehojakimi Regis quartus*, à quo numerantur 70 Anni Babylonici Exilii. Sic nimirum tribuendi erunt Nebucadnezari in universum Anni 45. Conferantur loca 2 *Reg.* XXV. 27. *Dan.* II. I.

XVI. Præterea supponendum, Cyro, *altero* demum *Anno* ab expugnata Babylone, nimirum post excessum *Darii Medi*, h. e. *Cyaxaris*, Soceri & Avunculi ipsius, obtigisse summum in Oriente Imperium: qui idem ille est Annus, quo Cyrus Judæis potestatem fecit in Patriam suam revertendi. quæ caussa quod Xenophon Cyro Monarchæ det 7 Annos, cum contra *Canon Ptolemæi* illi det 9 Annos. Sic sibi exacte constabit numerus 70 Annorum Exilii Babylonici, à *Jehojakimi* Regis 4; qui Nebucadnezaris *Primus*, usque ad apertos à Cyro Carceres Babylonicos.

XVII. Probabiliores utique nobis hæ videntur hypotheses, quam Vorstii illæ: *Evilmerodachum*, cui in Canone solummodo tribuitur biennium, vere *Imperium tractasse per quinquennium*. Nebucadnezaris vero initium refe-

rendum

rendum esse ad Annum Æræ Nabonassareæ, (non CXLIV) sed CXL, quo Parens Nabopolassarus, qui tum 17 Annos regnaverat, cum ipso Imperium communicasset. Secundum quas hypotheses *Annus* solutæ Captivitatis est Cyri *vigesimus secundus*; *primus* nimirum illorum *novem Annorum*, quibus post devictos Babylonios imperavit.

XVIII. Quicquid sit, cum Cyro Regi passim ab Historicis 30 attribuantur Anni: duplex illius initium in Historia diligenter observandum est; Alterum quidem *Regni Persici*, quod consensione Veterum & Novorum Chronologorum incidit in *Annum primum* Olympiadis *quinquagesimæ quintæ*, à quo 30 illi Anni Regni Cyri supputari debent; Alterum *Imperii Babylonici*, à subversa nimirum Babyloniorum Monarchia, quod in Canone definitur Annis 9. ac proin censeri debet iniisse Anno Cyri 22. vel secundum Xenophontem, Anno 24.

XIX, Cyrum sequutus est ejusdem Imperii Monarcha *Cambyses*, Cyri Filius, crudelis Princeps, expeditione in Ægyptum celebris, cui in Canone Astronomico dantur Anni 8, sed quibus includendi sunt *Menses* 7, quos post ipsum in Imperio exegit *Smerdis*, in *Canone* præteritus, sed ex Herodoto notus: sive is vere fuerit frater Cambysis, (de quo forte dubitari posset:) sive, ut vult Herodotus, Smerdi jussu fratris Cambysis interemto, Magus quidam,

qui Smerdim mentitus ſed agnitus & detectus poſt breve Imperii tempus à *Septem* Perſarum *Principibus* obtruncatus eſt.

XX. Ex quibus qui Imperium ſolertia ſua adeptus eſt *Darius Hyſtaſpis* Filius, illud ſecundum *Canonem* adminiſtravit Annis 36, magnarum equidem virium & potentiæ Rex, nec vulgari præditus virtute, expeditionibus tamen adverſus Scythas & Græcos ſuſceptis, infelix.

XXI. Ex hoc *Dario* orti ſunt reliqui omnes Perſici Imperii Monarchæ uſque ad ultimum *Darium Codomannum*:

Xerxes, celeberrimus ille tam potentia & opibus quam cladibus à Græcis acceptis, ſecundum Can. Ann. 21.

Artaxerxes Primus, ſive *Longimanus*, Virtutibus quam gloria bellica illuſtrior, 41.

Darius Secundus, ſive *Nothus*, Artaxerxis ex Pellice Filius, paci quam bello magis intentus. 19.

Artaxerxes Secundus, ſive *Mnemon*, Princeps minime malus, nec tamen par virtute fratri Cyro, inferiori Aſiæ Præfecto, cujus laudes & Epeditionem bellicam adverſus fratrem Artaxerxem, quæ tamen induſtrio Principi fatalis fuit, deſcripſit Xenophon. Præterquam enim quod à fratre victor redierit, nihil adverſus Græcos & Ægyptios egit pro majeſtate tanti Imperii, 46.

Ochus,

Ochus, sive *Artaxerxes Ochus*, moribus asper & crudelis, qui intentus fuit Imperio non augendo sed sustinendo, dum variæ Gentes, Phœnices, Sidonii, Ægyptii, ab ipso deficiebant; quos tamen in ordinem redegit. 21.
Arogus, sive potius, *Arses*, vel *Arsames*, ipse quoque ab eodem Bagoa, Eunucho, militum Præfecto, qui Parentem è medio sustulerat, in *Adolescentia* veneno cum liberis necatus. 2.

XXII. Quem, deficiente successione Hystaspidis, excepit ultimus Persarum Monarcha, *Darius* ille *Codomannus*, virtute inter alios Satrapas clarissimus, beneficio Bagoæ Eunuchi ad summum hoc fastigium evectus, qui post Annos in Imperio propemodum *sex* (secundum Can. *quatuor*) exactos, eo exutus est ab *Alexandro* Macedoniæ Rege, *Philippi* Filio, communi Græcorum adversus Persas designato Imperatore; triplici prælio fusus & tandem à suis destitutus, atque peremptus.

XXIII. A cujus morte *Alexander*, tanta fortuna immoderate usus, Imperio in tot Populos præfuit per *Annos* 6 & *Menses* 10. quod enim Illi in *Canone* dentur *Anni* 8, illius rei haud dubie ratio est, quod initium *Monarchiæ* ipsius varie figatur. Dario enim in *Canone* tribuuntur solummodo Anni 4.

XXIV. Alexandro à Ducibus Copiarum ipsius post varias contentiones Successor datus

 frater

frater ipsius *Aridæus*, Philippi ex pellice Filius; cui ob imbecillitatem mentis ad tantum Imperium gerendum inepto *Tutor* appositus fuit *Perdiccas*, Equitum sub Alexandro Præfectus, Vir fortissimus: simul reliquis nobilioribus Exercitus Ducibus suæ assignatæ sunt *Provinciæ*, sive *Satrapiæ*, quibus præessent.

XXV. Quos inter, dum potentia, dignitate, & virtute plerique fere pares erant, & omnes pleni ambitione, facile exarsit æmulatio, & ex æmulatione *Bella*, quibus cum Alii perierint, ut *Perdiccas*, Ptolemæum Lagi oppugnaturus, & *Eumenes*, Cappadociæ & Paphlagoniæ Præfectus, qui *Perdiccæ* partes sequebatur: Alii multi præda & accessio facti sint Potentiorum: rerum summa potestas devoluta est ad hos primum *Principes quinque*, *Ptolemæum Lagi*, *Antigonum*, *Seleucum*, *Antipatrum*, & *Lysimachum*: quorum *Antipater* sub Aridæo Rege præerat Macedoniæ, *Ptolemæus* Ægypto, *Seleucus* Babyloniæ primum, deinde quoque Syriæ: *Antigonus* Asiæ Inferiori, *Lysimachus* Thraciæ, qui, Antipatro jam è vivis sublato, ad exemplum *Antigoni* ejusque Filii *Demetrii* sibi vindicarunt nomen & dignitatem *Regiam*.

XXVI. Hæc ipsa tamen *Regna*, aliquo post tempore novis rursus motibus inter se collisa sunt, & magnas Deo scelerum vindici pœnas dederunt. *Asiaticum* illud, quod per *Antigonum*, ejusque Filium *Demetrium*, peritum & for-

fortem bellatorem, ad magnum potentiæ fastigium creverat, à reliquis Regibus Seleuco, Ptolemæo, Cassandro, & Lysimacho, in id fœdere junctis, subversum est, Antigono cæso, & Filio ejus Demetrio cum Exercitu Asia excedere coacto. *Tracense* post Lysimachum à Seleuco debellatum idem fatum subiit, nisi tamen quod in Thracia pariter ac Inferiore Asia alia quædam minora Regna circiter id tempus subnata sint. *Macedonicum*, post mortem Antipatri, & vel maxime Cassandri, Filii ipsius, triste & memorandum aliquandiu præbuit fortunæ ludibrium, dum à Potentioribus prædæ instar raptum Dominos sæpe mutavit: donec tandem, successione quodammodo stabilita in posteris *Demetrii* illius *Poliorcetis*, Filii *Antigoni*, qui illud Asia expulsus occupaverat, Macedonia venerit in potestatem Romanorum, Philippo & post eum Perseo Regibus bello superatis: quod quidem accidit circa finem hujus Intervalli, quo tempore *Epiphanes* præerat Syris.

XXVII. In *Syriæ* itaque & *Ægypti* amplissimis Regnis, quibuscum res fuit Populo Dei, præcipue spectanda est *Macedonici Imperii* Successio: quorum illud quidem, ut jam monitum, à *Seleuco Nicatore*, hoc à *Ptolemæo Lagi* fundatum, utrumque ad posteros longa serie transmissum est, usque quo ad exemplum Regni Macedonici subacta & destructa fuerint à Romanis. Seriem eorum hac Tabula exhibemus.

Reges Syriæ. Anni

Seleucus Nicator.

Vir præſtans virtute, magni animi, & bellicoſus. Babyloniæ primum & Syriæ, dein poſt devictum Antigonum toti fere Aſiæ imperavit. à morte Alexandri, 43.

Antiochus Soter.

Potentia magis quam virtute & geſtis notabilis. 19.

Antiochus Theos.

Convenit inter ipſum & *Ptolomæum Philadelphum*, ut repudiata Uxore ſua *Laodice*, ex qua Filios habebat *Seleucum Callinicum* & *Antiochum Hieracem*, filiam Philadelphi *Berenicen* Uxorem duceret: quam *Seleucus Callinicus*, per Matrem *Laodicen* à Marito ſuo revocatam, poſt Antiochum veneno ſublatum, ad Regnum promotus, cum Filio ejus interemit. 15.

Reges Ægypti.

Ptolomæus Lagi.

Dux virtute clarus, qui Regnum hoc rebus feliciter geſtis egregie ſtabilivit, 39.

Ptolemæus Philadelphus.

Egregius Princeps, ingeniorum felicium Æſtimator, Liberalium ſtudiorum fautor munificus. Bellum illi cum *Antiocho Theo.* 38.

Ptolemæus Euergetes.

Ultus eſt Sororis ſuæ Berenices necem, & Syriam fere totam in poteſtatem ſuam redegit: nec tamen retinuit. Princeps minime malus. 25.

Seleu-

Seleucus Callinicus.

Bella, caussa interemptæ *Berenices*, infeliciter gessit cum *Ptolemæo Euergete*, *Berenices* fratre, nec non cum fratre suo *Hierace*: quem tamen tandem ab ipso Ptolemæo adjutus superavit. 20.

Seleucus Ceraunus.

Res illi cum Attalo Pergamenorum Rege. 3.

Antiochus Magnus.

Frater Cerauni. Bellum propter Cœlen Syriam improspere gessit cum *Ptolomæo Philopatore*; felicius cum Filio ipsius *Epiphane*, à Romanis victus Asia minore cedere debuit. 36.
2

Seleucus Philopator.

Insidiis Heliodori periit. 12.

Antiochus Epiphanes.

Philopatoris Frater, Antiochi M. Filius natu secundus; homo callidus, versutus, ambitiosus, superstitiosus, crudelis, Ægypto, cui Ptolemæus Philometor tum præerat tenera adhuc ætate, frustra inhiavit, repressus à Romanis. veræ Religionis Adversarius & Persequutor Populi Dei, 12.

Ptolemæus Philopator.

Indole pravus, nec tamen Bello cum Antiocho M. gesto infelix. 17.

Ptolemæus Epiphanes.

Nullis admodum rebus gestis celebris. Accepit ille Cœlen-Syriam & Judæam dotem cum Filia Antiochi M. Cleopatra. 24.

Ptolemæi Philometor & Euergetes.

Quorum Tutor Antiochus Epiphanes, Ægyptum specioso hoc obtentu rapere & sibi vindicare annisus est. 35.

XXVIII. In quo nostro *Diagrammate* observari cupimus, Ptolemæi & Seleuci Annos Regni à nobis numerari ab *excessu Alexandri*: etsi aliquot annis post hoc tempus demum dicti sint Reges, & alias certum ac satis notum sit, Seleuci verum initium connecti cum Anno ab Alexandri excessu *duodecimo*: qui est Olymp. CXVII. *primus*, Period. Jul. 4402. quo tempore Seleucus *Babylonia Præfecturam*, quam metu Antigoni deseruerat, à Ptolemæo Lagi adjutus, exigua manu recuperavit: quam *Epocham* in Historia Judaica nomine *Æræ Contractuum* celebrem, nuper ex *Numis* erudite illustravit Rev. Norisius.

XXIX. Temporis autem hujus Intervalli plenior historia præcipue petenda est ex Herodoto, Excerptis Photii ex Ctesia, Thucydide, Xenophonte, Polybio, Diodoro Siculo, Plutarcho, Arriano, Curtio, Appiano, Justino Trogi, præter quæ sparsim apud alios leguntur, neque hic sane negligendi sunt Nummi; ex quibus Regum Syrorum rebus & successioni non parum lucis attulit Vaillantius.

XXX. Quin imo, quod merito quis miretur: ut illustres *Prophetiæ* Danielis intelligi nequeunt absque accuratiore aliqua cognitione ipsarum illarum rerum in Mundo gestarum, quæ hauriri debet ex Historia Profana: sic vicissim Historia Profana hujus Intervalli multum luminis accipit ex *Prophetiis* illis *Danielis*, quippe qui-

quibus præcipua Fata historiæ hujus temporis & Regnorum, tum *Persici*, tum etiam *Syriaci* & *Ægyptiaci*; αἰνιγματωδῶς quidem, ut mos est Prophetis, eleganter tamen, verbisque post eventum facile intelligendis, describuntur.

XXXI. Ubi vero *Historiam Sacram* de iis, quæ sub Imperio *Babylonico*, *Persico*, aut *Macedonico*, gesta sunt erga Populum Dei, comparamus cum *Historia Profana*: (quod suprà monuimus, ad Sacra hujus Intervalli illustrandà *Primo* pertinere:) varia eaque illustria occurrunt *Dubia*, quæ Doctissimorum Virorum ingenia non parum exercuerunt, & tanta literarum luce, quanta Ecclesiæ superiore Sæculo exorta est, vix commode solvuntur.

XXXII. Inter quæ *primum* meritò obtinet locum Quæsitum de Vaticiniis Jeremiæ & Ezechielis, quibus gravissimæ *Clades Tyri* & *Ægypti* per *Nebucadnezarem* prænunciantur: An nimirum Vaticinia illa vere implementum suum consequuta sint in *Excidio Tyri* & *Desolatione Ægypti* per Nebucadnezarem, de quo nihil omnino constat ex Historia Profana, exceptis, quæ Josephus ex Philostrato produxit de *Tyro* à Nebucadnezare *obsessa*; num vero Deus hasce suas interminationes vel remissius sit exsequutus, ut de Tyro existimat Usserius, quam non vi expugnatam sed *deditione* pervenisse putat in potestatem Nebucadnezaris; vel etiam cladem, quam Ægypto minatus erat, in aliud tempus distu-

distulerit, ut Scaliger? Reverentia, qua feror erga Verbum Dei clarissime hoc in casu expressum, facit, ut cum Marshamo aliisque Doctis priorem sententiam absque hæsitatione amplectar, statuamque adeo, *Tyrum* (Veterem nempe illam, ut Docti putant, dictam *Palætyrum*, in *Continente* sitam) à Nebucadnezare vi expugnatam & excisam esse sub Rege Tyriorum *Ithobalo*; *Ægyptum* vero ab eodem Principe subactam & gravi desolatione afflictam fuisse, regnante apud Ægyptios *Aprie*, superbissimo homine. Quod etsi Ægyptii Sacerdotes Herodotum celaverint: non desunt tamen alia apud ipsum Herodotum, ex quibus id probabiliter evinci potest.

XXXIII. Nobilior illa & paulo impeditior est disputatio inter Doctos, quis sit *Belsazar* ille, quis item *Darius Medus*, quorum mentio apud Danielem? Num *Belsazar* Danielis sit *Evilmerodachus*, Nebucadnezaris Filius, & *Darius Medus* Medorum Rex *Astyages*, Avus Cyri, qui Patrem habuerit & Filium *Cyaxarem*, sive *Asuerum*; quod Marshamo in mentem venit sentire: sive an *Belsazar* ille habendus sit *Laborosoarchodus* Berosi, & *Darius Medus* sit ille, qui Laborosoarchodum excepit *Nabonadius* vel *Nabonedus*: in quam sententiam Scaliger & Petavius, qui fere in aliis omnibus hujus generis Problematibus definiendis dissentiunt, pari concordia & fiducia conspirant, quos inter alios

Vor-

Vorstius sequutus est: sive potius ita sit habendum, *Belsazarem* illum Danielis vere esse *Nabonedum*, ultimum Babylonici Imperii Monarcham, quem familiari Babyloniis Literarum L & N permutatione *Labynitum* vocat Herodotus; *Darium* autem *Medum*, Filium Assueri, ipsissimum esse *Cyaxarem* Xenophontis, Regem Medorum ultimum, Filium Astyagis, Cyri Socerum & Avunculum: cui opinioni inter Veteres favent Josephus & Hieronymus; inter Recentiores Torniellus, Usserius, Spanhemius, & qui peculiari Dissertatione copiose & docte eam prosequutus est, Abramus.

XXXIV. Certum est, sententiæ Scaligeri & Petavii (de Marshami enim hypothesibus hic minus sumus soliciti:) tot fere obstare rationes non exigui ponderis, quot verba in Historia Sacra de *Belsazare* & præsertim de *Dario Medo* leguntur: quare omnino mirandum esset, potuisse duos Viros in hac scientia Principes, quibus nec eruditio defuit nec perspicacia, in eam consentire, nisi ambo præjudicium aliquod alte imbibissent, quod ipsis non permisit Darium Medum per *Cyaxarem* exponere.

XXXV. Putant nempe Illi, *Cyaxarem* illum Medorum Regem, quem Xenophon Parenti *Astyagi* in Regno successisse tradit, Fratrem *Mandanes*, Matris *Cyri*, hominem esse novum & à Xenophonte ad Historiam suam belle exornandam fictum; ficta itaque pariter esse,

quæ

quæ de Cambyſe *tanquam Perſarum Rege*, de *Cyri Educatione* & *Commercio cum Avo Aſtyage*, nec non de *Sociali Bello* Cyaxaris & Cambyſis ac Cyri, Xenophon prolixe ſcripſit: contra, nihil eſſe certius in Hiſtoria Vetere, quam *Aſtyagem* ultimum fuiſſe Medorum Regem, à Cyro nepote ſuo, Cambyſe quidem, ſed nobili Perſa, ac privato homine, & Mandane, Aſtyagis Filia, edito, devictum, & Imperio exutum, quemadmodum res narratur ab Herodoto; cum quo, quod ad ſummam rei attinet, h. e. *Aſtyagem à Cyro Imperio exutum*, conſentit Cteſias, in paucis circumſtantiis ab eo diſſentiens: quos itaque Veteres fere omnes Hiſtoriographi ſequuntur.

XXXVI. Ego vero tam nihil hic moveor horum Virorum auctoritate, quæ cæteroquin apud me maxima eſt, ut contra Xenophontis de Medorum & Perſarum rebus hiſtoriam, omnibus ſibi partibus conformem, veriſſimam credam; exceptis in quibus Hiſtoriographi Græci nimis luxuriati ſunt & maxime omnium in hac hiſtoria Xenophon, Hiſtoriæ illius ornamentis.

XXXVII. Fuit Xenophon Vir magnæ dignitatis & optimæ fidei, ἐπαινούμενος (quod alibi de ipſo Diodorus Siculus:) κατὰ τὴν ἀλήθειαν τῶν ἱστοριῶν; hiſtoria ipſius nihil habet paradoxi, ſed omnibus partibus ſuis pulchre cohæret; & Herodotus ipſe teſtatur, præter ea,

quæ

quæ ipſe de Cyro ſcripſit, τριφασίας ἄλλας λόγων ὁδὺς φῆναι *triplicem aliam eſſe de Cyro narrandi viam:* ex quibus τὸ πιθανώτατον cuique eligendum ſit.

XXXVIII. Ad quæ accedit, quod hic abſque omni dubitatione præcipue conſiderandum eſt, inter *Xenophontis Hiſtoriam* & *Narrationem Biblicam* non modo hac in parte, ſed & in aliis notabilibus rebus, amiciſſimum eſſe conſenſum: ut v.gr. quod *Medis* in ſubvertendo Imperio Babylonico potiores tribuantur partes quam *Perſis*; quod Urbs Babylon capta ſit *nocte*, qua *Babylonii indulgebant comeſſationibus*; (Herodotus ait, *Diem* illum fuiſſe ἑορτὴν *feſtum:*) *Rex ipſe* eadem nocte *in Palatio* ſuo *obtruncatus ſit*; & quæ his ſimilia.

XXXIX. Sit itaque *Nabonnidus* vel *Nabonadius* ille, ultimus Babylonici Imperii Monarcha, idem ille *Belſazar*, impius Princeps, cujus Hiſtoriam habemus apud Danielem; *Babylonius* quidem, ut ſcribit Beroſus, ſed tamen vere *nepos Nebucadnezaris*, fide tum Herodoti, qui *Labynitum* Juniorem, ſub quo ſubverſa eſt à Cyro Babyloniorum Monarchia, *Labyniti* Majoris; per quem haud dubie Nebucadnezarem intelligit, *Filium*, fuiſſe affirmat; tum præcipue clariſſimi loci *Jer.* XXVII. 7. præterquam quod, ut jam à doctis obſervatum eſt, *Labyniti* & *Belſazaris* nomina, inter quæ non exigua differentia eſſe videtur, vere inter ſe conveniant.

XL. Quando omnino concedendum erit, *Darium Medum*, qui Parentem habuit *Asuerum*, & consortem Imperii *Cyrum*; & Imperium in Babylonios suscepit, quo tempore expirare cœperunt LXX Anni Exilio præfiniti: vere fuisse *Cyaxarem* Xenophontis; atque adeo opus non fuerit, hunc *Darium Medum*, ut à quibusdam fit, cum *Cyro* confundere.

XLI. Quæ si forte non infeliciter expedita sint: aliud jam suboritur non minus vexatum *Problema*, quis inter Monarchas Persicos ille sit *Darius*, cujus auspiciis Templi secundi ædificatio perfecta est; quis ille *Artaxerxes*, sub quo Ezras & Nehemias res apud Judæos reduces collapsas instaurarunt; ac proin, quinam illi sint *Asuerus* & *Artaxerxes*, qui apud Ezram *cap.* IV. 6. 7. occurrunt? Cum enim Historici Sacri sæpe non designent Monarchas exteros illis nominibus, quibus veniunt in Historia Profana; & plures horum nominum Principes inter Monarchas Persicos reperiantur: Eruditorum Divini Verbi Interpretum est scire, ad quos præcise Monarcharum Persicorum, quæ sub iis gesta feruntur in Historia Sacra, sint relaturi.

XLII. Atque hic certe nescio an ulla habenda sit ratio sententiæ prorsus novæ, nisi fallor, hactenus & inauditæ, quam *sex* ab hinc *annis* Eruditis expendendam dedit Cl. Vir, Joh. Christophorus Artopæus, quæ statuit, *Cyrum* illum, per quem soluta est Captivitas

Baby-

Babylonica, habendum esse non *Cyrum* illum Majorem, Imperii Persici secundum vulgarem Traditionem Historicam Conditorem, sed *Cyrum Juniorem*, Artaxerxis Mnemonis fratrem; *Nebucadanezarem* proin, qui Judæos in Exilium abduxit, ipsissimum esse *Xerxem*, famosum illum in Historia Græca: fictos porro in *Canone Ptolemæi* esse Reges *Babylonicos* à *Medo-Persicis* aut *Persicis* distinctos; quin ipsum *Cyrum Majorem* esse *Nabonassarum* Ptolemæi: & quæ his plura alia similia sunt. Per has hypotheses stare putat posse Calculum *Hebdomadarum Danielis*, & *Ezræ* ac *Nehemiæ* Historias absque difficultate intelligi. Ego vero, pace Cl. Viri, misere agi existimo cum Historia Biblica, si ad eam intelligendam advocari & fingi debeant hypotheses, per quas constantissima Veteris Historiæ Traditio, observationibus Astrologicis & notabilibus Factis insignita, penitus destruitur. præterquam quod ipsa Scripturæ Historia in contrarium clamet.

XLIII. Supposito itaque, Cyrum illum, per quem Judæi ex Exilio revocati sunt, vere esse Cyrum Majorem: si quid sapio, eundum hic est in alterutram opinionum, quas Chronologorum Principes, Scaliger & Petavius, pari fiducia, & magna utrinque rationum probabilitate, defenderunt. Vel dicendum, *Darium* illum, sub quo absolutum est Templi Ædificium, esse *Darium Hystaspidem*, & *Artaxer-*

xem, ſub quo Ezras & Nehemias Rempublicam in melius inſtaurarunt, eſſe *Artaxerxem Longimanum*; quod Petavius cum Veteribus tenet: vel, *Darium* illum, cujus modo meminimus, eſſe *Nothum*, qui dicitur, Artaxerxis Longimani Filium, &, qui poſt eum in Hiſtoria Ezræ nominatur *Artaxerxes*, eſſe *Artaxerxem* Mnemonem: quod Scaliger Eruditorum multis perſuaſit.

XLIV. Ego priores partes, quæ Petavii ſunt, hic amplector, quas erudita poſt Petavium Diſſertatione tuitus eſt Vorſtius. Stat pro iis clariſſimus locus *Zach.* I. 12. ex hac hypotheſi eleganter ab Abramo & Vorſtio expoſitus: præterquam quod longævitas utriuſque Principis Populi Dei, Zerubabelis & Joſuæ, qua ficta Scaliger ad ſententiam ſuam explicandam opus habet, à communi ratione & fide alienior videatur: ne alia memorem quæ apud Petavium legi aut ex Scriptoribus Sacris facile colligi poſſunt.

XLV. Nec ſperno quod à Vorſtio demonſtratum eſt: in præcipuo loco *Ezræ cap.* IV. 5. 6. 7. qui adverſus hanc ſententiam producitur à Scaligero, longe plus ineſſe rationis ad Scaligeri hypotheſin oppugnandam quam aſſerendam; *Aſuerum* itaque & *Artaxerxem*, qui in illis verbis ſupponuntur interceſſiſſe inter *Cyrum* & *Darium* aliquem, exponendos eſſe, *Aſuerum* quidem per *Cambyſem*, & *Artaxerxem* per *Smerdem Magum*, qui ſecundum Herodoti & Cte-

ſiæ

siæ traditionem rerum potitus est per VII *Menses:* ipse quoque ab Æschylo inter *Imperatore Persicos* ordine suo recensitus.

XLVI. Qui *Assuerus Ezræ* propterea non magis confunditur cum *Asuero Esthera*, quam cum *Asuero* Danielis, Darii Medi Patre; etiamsi prius tenuerit Abramus, posterius Mercator, *Asueri* enim nomen, quod majestatis est, æquivalens nominibus *Cyaxaris* & *Xerxis*, Scriptores Sacri commune faciunt Monarchis Medicis & Persicis, haud secus ac nomen *Pharaonis* Regibus Ægypti.

XLVII. Mihi tamen ita videtur, in loco Ezræ cum Scriptori propositum esset historiæ suæ inserere integrum *Fragmentum Chaldæum* de impedito Templi Ædificio sub *Artaxasta* (h. e. *Cambyse*, Cyri Filio, sic communi nomine dicto:) eoque tandem repetito & ad exitum perducto sub *Dario*; quod *Fragmentum* hic legitur à *Cap.* IV. 7. usque ad ℣. 19. *Cap.* VI. id, inquam, cum propositum esset Scriptori hujus libri, & in una veluti tabella exhibere vellet molimina Adversariorum ad turbandas res Judæorum, *anticipasse* illum loqui de conaminibus hostium Judæorum sub *Xerxe*, quem recte *Asuerum* vocat, *brevissimis verbis* & generalibus, ℣. 6: quia videbat, postea sibi occasionem non savituram esse de *Xerxe* loquendi; quæ ὑπόληψις facilis est & nihil habet paradoxi. Quin favet locus ipse, recte inspectus, in quo de *im-*

pedito opere Templi sub Asuero ne verbum quidem dicitur; sed solummodo Adversarios in *initio Imperii* illius *accusatorias* adversus Judæos ad Aulam misisse.

XLVIII. Sic poterit *Auserus* ille hujus loci esse *Asuerus*, Estheræ maritus; etsi vere post tot Doctorum & ingeniosissimorum Virorum labores & disputationes tam videatur esse dubia & incerta decisio litis de *Asuero*, Estheræ Marito, ut nulla hactenus in medium prolata sit sententia, quæ non notabilibus prematur incommodis; sive quis *Asuerum* illum cum Marshamo faciat *Cyaxarem*, qui secundum ipsius hypothesin est Filius Astyagis *Medi*, Filii Cyaxaris, *Persarum* Regis, qui apud Danielem vocatur *Darius Medus*; sive *Darium Hystaspis*, cum Funccio, Usserio, & Baillio; sive *Xerxem*, cum Scaligero & Calvisio; sive *Artaxerxem Longimanum*, cum Petavio & Saliano post Josephum; ne Cappelli & Simsonis mentionem faciam, qui hic *Artaxerxem Ochum* intelligunt.

XLIX. Tota Estheræ Historia clamat, per *Ahasuerum* illum, qui Estheram connubio sibi copulavit, intelligendum esse potentem aliquem Monarcham non *Medo-Persicum*, sed *Perso-Medicum*, cujus in Imperio *Persæ* prævaluerunt. Præterquam enim quod *Persæ* passim in Historia Estheræ præponantur *Medis*: Forma Regiminis, Metropolis Regni, Amplitudo Imperii, cui

cui subjectæ quoque fuerunt איי הים *Insulæ Maris*; Vocabula Persica plura, in Estheræ Libello obvia, id clarissime videntur evincere: quæ itaque simul hic excludunt Astyagem & Cyaxarem, Monarchas Medicos.

L. Inter *Persicos* autem, sive *Perso-Medicos* Monarchas, neminem invenio, cui characteres omnes, quos Historia in hoc Principe *Assuero* ostendit, tam bene conveniant quam *Xerxi*; quem ab Auctore hujus Historiæ sub *Assueri* nomine, quod idem est cum nomine *Xerxis*, hic descriptum esse, ex collata Herodoti Historia cum Libello Estheræ, aliisque argumentis non contemnendis, mihi prorsus persuadeo cum Scaligero. etsi non abnuam, Historiam suas habere difficultates, quarum præcipuæ à Scaligero expeditæ sunt.

LI. Qua admissa hypothesi, non difficulter percipiemus, quod Sacra Historia non obscure tradit, Judæos in Aula *Artaxerxis Longimani*, Xerxis Filii & Successoris, magna apud hunc Principem & Proceres Regni gratia atque favore valuisse; quo Judæorum res collapsæ Præside *Ezra* instauratæ, & *Hierosolyma* Urbs cura *Nehemiæ* muris cincta & adversus hostes & insidiatores Libertatis Judaicæ munita sit. Prius incidit in Annum *Septimum*, Posterius in *Vicesimum* Annum Imperii hujus *Artaxerxis*.

LII. A quorum Annorum altero putamus ducendum esse initium LXX illarum *Hebdomadarum*,

rum, quibus apud Danielem *cap.* IX. 24. *Messiæ* Principis, à tota Judæorum Gente tot sæcula expectati, Ἐπιφάνεια, *Mors*, & quæ per mortem *facta* est, *Fœderis Gratiæ Confirmatio*, cum *Beneficiis omnibus eam consequuturis*, circumscribuntur.

LIII. Suppono itaque hic ad illustris hujus Vaticinii intellectum, α. Per *Hebdomadas* illas Danielis intelligendas esse *Hebdomadas*, non *Dierum*, sed *Annorum*, & quidem non *Lunarium*, sed *Solarium*, adversus hypothesin Africani. β. Tempus illud LXX *Hebdomadarum*, sive 490 Annorum, prænunciari tanquam quod continua & non interrupta serie decursurum esset ab *initio* usque ad *terminum* sive *complementum suum*, tam respectu totius hujus temporis LXX *Hebdomadarum*, quam respectu *partium*, in quas hæ Hebdomadæ in Vaticinio Danielis dividuntur, Hebdomadarum VII, LXII, & *unius* Hebdomadæ. quod præcipue quidem contra novam Marshami interpretationem, tum etiam adversus Scaligerum & Coccejum observandum est. γ. Terminari has Hebdomadas in *triennio illo*, quod *Mortem Christi Jesu* proxime excepit, quæ nimirum Christi Jesu mors incidere debuit in *medium Hebdomadæ ultimæ*, post VII & LXII *Hebdomadas* jam elapsas. adversus Scaligerum, qui eas terminari vult in ultimo Hierosolymorum Excidio per Romanos.

LIV. De *initio* itaque harum Hebdomadarum

rum recte figéndo præcipue laborandum est, quod quidem in Oratione Angeli apud Danielem dicitur מוצא דבר להשיב ולבנות ירושלם *Exitus Verbi ad reducendum & ædificandum Hierosolymam*; h. e. Hebræa phrasi, quæ hic diligenter observanda est, ad *rursus ædificandam Hierosolymam:* quo haud dubie innuitur *Edictum alicujus Monarchæ*, cujus Imperio Judæi subjecti erant, quo permittitur vel jubetur Instauratio Urbis Hierosolymæ.

LV. Quibus verbis si presse inhæreamus: fatendum est, nullam sententiam æque videri probabilem ac eam Petavii, acceptam à Pererio, referenda nimirum esse hæc Gabrielis verba ad *Edictum Artaxerxis Longimani de readificanda Hierosolyma*, editum Anno Imperii ipsius *vicesimo*, quo tempore Nehemias, summa per ipsum instructus potestate, iter in Judæam suscepit. In Edictis enim Cyri, Darii Hystaspidis, & ipsius hujus Artaxerxis *Anno* Imperii *Septimo*, quibus provisum est rebus Judææ Gentis, nihil exerte habetur de *Readificanda Urbe Hierosolyma*. quod notatu dignum.

LVI. Optima autem res esset, si hæc sententia, ut est speciosa & verisimilis, tam etiam bene conveniret rationibus temporum. At vero Petavius, qui egregiam operam impendit huic sententiæ illustrandæ, & post ipsum alii plures, observarunt, inter 20 Annum Artaxerxis Longimani, qui innectitur Anno P. J. 4269, & 15

Annum Tiberii, qui illigatur Anno P. J. 4742, quo Christus Dominus vulgo supponitur Publica Muneris sui auspicia fecisse, lapsos solummodo esse Annos 473: cum secundum hypothesin lapsi omnino esse deberent Anni 483. quot nimirum Annos faciunt 7 & 62 Hebdomadæ. Deest itaque huic Intervallo in Rationibus temporum *Decennium*, vel, si *Anni* Artaxerxis *vigesimi* ratio habeatur in Calculo, *Novennium*.

LVII. Quæ causa est quod Docti quidam Viri, A Lapide, Funccius, Helvicus, Cappellus uterque, cum non viderent, qua commoda ratione hæc superari posset difficultas, recurrere maluerint ad VII Annum ejusdem hujus nostri *Artaxerxis*, quando Ezras profectionem in Canaanæam cum plurimis Exulibus aliis suscepit: quæ sententia, ab Abramo digne illustrata, omnino posset tolerari, si constaret illo tempore ab Artaxerxe Edictum de Hierosolyma reædificanda emissum esse.

LVIII. At Petavius, cum hac parte se maxime sentiret urgeri, ad nodum hunc solvendum reperisse sibi visus est in Historia, *Artaxerxem Longimanum* per *Decennium* cum Patre suo *Xerxe*, qui eum inter Filios suos Successorem Imperii designaverat, ante Patris sui obitum regnasse: Nehemiam vero ab hoc initio Annos Artaxerxis supputare quando certe nulla hic restat difficultas.

LIX. Nec tamen in hac Petaviana hypothesi,

si, etsi eam ipse sibi solide satis adstruere visus est ex historia Themistoclis apud Thucydidem; omnes Eruditi passim acquiescunt, quia tum Herodotus, Ctesias, Diodorus, & Justinus, hujus rei nullam mentionem faciunt; tum etiam ex iisdem Scriptoribus liquet, Artaxerxem inter Filios Xerxis non fuisse natu maximum. quas difficultates novissime, post eruditas censuras Huetii, Petavio objecit Vir Eruditione non minus quam Dignitate & Meritis Illustris Ezechiel Spanhemius, in *Observationibus ad Julianum*; & postea etiam peritissimus Historiæ Dodwellus.

LX. Quicquid autem hujus rei sit: putem nihilominus, Vorstium, qui in has *Danielis Hebdomadas* doctam scripsit Diatribam, apposite urgere, Diodorum Siculum, quando in eo est ut narret mortem sive potius cædem Xerxis per Artabanum, eum in modum loqui de *Artaxerxe*, ac si is omnino à Patre declaratus esset Successor in Imperio, quod Frater natu major Darius ipsi conatus fuerit eripere & ad se transferre: nec repugnat Ctesias, aut mores & exempla translati Regiminis à Majoribus natu ad Minores similia apud Persas.

LXI. Forte tamen rectius statuerimus cum Usserio, Xerxi vulgo per errorem in historia XX aut XXI Annos dari, cum illi vere solummodo competant Anni XII. aut XIII. quando successorem habuit Filium Artaxer-

xem. Id optime convenit historiæ Thucydidis.

LXII. Magis utique id mihi placet quam cum Huetio subsidium quærere ab *Annis Lunaribus*, quos ipse à *vigesimo Artaxerxis* usque ad Publicam Messiæ Jesu Apparitionem demonstrat lapsos esse CCCCLXXXIII.

LXIII. Qui vero inter Doctos Templum supponunt demum esse ædificatum sub *Dario Notho*, & Urbem instauratam sub *Artaxerxe Memorioso*, illi *primo* quidem dicere coguntur, LXX Hebdomadas terminari in Excidio Hierosolymæ; *Dein* prorsus hærent in Hebdomadis VII & LXII commode explicandis, ut exemplo suo probavit Scaliger: quo itaque novo argumento veritas hypothesis de Templo constructo sub Dario Hystaspis, à nobis in superioribus assumptæ, patet.

LXIV. De cætero quando Daniel, Alexandri Imperium post ipsius obitum in *quatuor Regna* dividendum esse, prædicit, cum ex Historia videatur patere, id in longe plures Satrapias, & tandem in *quinque Regna* divisum esse: id nobis ita accipiendum videtur, vel quod Scriptura *Thraciæ Regnum*, cui præerat Lysimachus, cum Macedonico, cui proximum erat, confuderit; vel, quod reliquis minus esset, in censu præterierit; vel quod respexerit ad *Regna Successorum Alexandri* χέρσ ad 4 *Cœli cardines*.

LXV. Quod

LXV. Quod vero ad *Statum* attinet *Judæorum*, & *Casus*, qui iis acciderunt, natabiliores sub Imperatoribus & Regibus hujus Intervalli, hactenus recensitis: (quæ supra monui, *Secundam* conficere *partem* Historiæ hujustemporis:) Status quidem Gentis in universum miser fuit & afflictus, qui tamen pro variis Judæorum conditionibus diversimode considerandus est, vel, nempe, *in ipso Exilio*, *ante Reditum in Canaaneam*; vel, *post Libertatem*, *à Cyro promulgatam*, *in Canaaneam redeundi*: Qua *Libertate* cum alii usi sint, qui in Palæstinam reversi, Templum & Rempublicam instaurarunt; alii uti neglexerint, qui in *Syria*, *Babylonia*, *Media*, *Persia*, & deinceps maxime in *Ægypto*, sedes suas stabiliverunt: duplicem patet esse faciem Judaismi post Edictum Cyri; aliam nempe *Reipublicæ Judaicæ in Palæstina*; aliam *Judæorum extra Palæstinam* in Exilio commorantium in variis Mundi Regionibus.

LXVI. De *Statu Judæorum* in *Babylonico Exilio* LXX *Annorum* nihil nos putem habere certi, nisi quod Conventus fecerint ad ædes Prophetarum aut illustriorum Doctorum in quibus Deo Precibus & Jejuniis supplicarunt, & Divinam Voluntatem sive ex Prophetis, in Exilio superstitibus, sive ex ipso Dei Verbo, tunc temporis ab iis diligentius lecto, explorarunt: quippe quod ex Scriptis *Jeremiæ*, *Ezechielis*, & *Zachariæ* satis liquet. qui *conventus* originem dederunt *Synagogis*.

LXVII.

LXVII. Fuisse enim iis Judices suæ Gentis, qui non civiles tantum caussas terminarint, (quod absurdum non est statuere:) sed & jus capitalis supplicii exigendi habuerint: nemo facile dicet, nisi qui fabulosa Susannæ Historia sibi imponi passus fuerit.

LXVIII. Imo vero Judæos vere in Babylonia passim Divinæ cura Providentiæ in locis sibi assignatis commodis, infra Babyloniam, apud Euphratem, propius Canaanæam Patriam suam, sub Regimine Præfectorum suæ Gentis vixisse, floruisse, & ibidem rem fecisse, multis prosequitur & erudite Georgius Ericius Phaletranus: præter quem hoc argumentum commentati sunt Raphael Eglinus, & Christophorus Cellarius.

LXIX. Qui in *Canaanæam* ad *Edicta Regum Persiæ* reversi sunt Judæi, ibidem instaurarunt *Religionem*, & *Civitatem*.

LXX. *Religio*, ab idololatria purgata, exercita est sacris solennibus secundum *Definitiones Mosaicas*; faciendis à Sacerdotibus, Levitis, & universo Populo.

LXXI. Illius Præsides & Arbitri erant *Pontifices*, quorum successio præcipue petenda est ex Libro *Nehemiæ*, & *Josepho*: nisi quod Josepho non conveniat cum Auctore *Secundi Libri Maccabæorum* in Historia Jasonis & Menelai, ultimorum hujus Intervalli Pontificum, profligatæ malitiæ hominum, qui Judææ Genti ar-

cessive-

cessiverunt calamitatem Epiphanicam. Inter paucos certe hujus Intervalli bonos eminuit *Simon*, *Oniæ primi Filius*, cujus laudes decantantur à Siracide.

LXXII. *Regiminis Politici* Populi Dei eam sub Imperatoribus Persicis putem fuisse rationem, ut Judæa Gens ad modum aliorum Populorum ab iis devictorum, subfuerit *Satrapis*, ex sua Gente electis, arbitrio Regum Persiæ subjectis, quorum nomine tributa, Genti imposita, exigebant, & in civilibus ac criminalibus à Senatibus Forensibus jus dici, curæ habebant. id enim facile ex Libris *Ezræ* & *Nehemiæ* colligere est.

LXXIII. Quos *Satrapas*, sive Duces aut Præfectos Gentis, probari nequit post *Serubabelem* Davidica Familia fuisse prognatos, quemadmodum in *Systematibus Historiæ Sacræ* passim, licet nullo, quod sciam, certo fundamento, traditur.

LXXIV. Post destructum Imperium Persicum primo quidem Judæi cum omnibus Orientis Populis redacti sunt in potestatem Alexandri, qui eos satis clementer habuit, sed parum curavit; ejusque Successorum *Ægypti Regum* usque ad *Antiochum Magnum*, qui Judæos suæ ditioni per vim adjecit, sed mox iterum cum *Cœle-Syria* dotem dedit *Ptolemæo Epiphani*, ducenti Filiam ejus Cleopatram. quam tamen Antiochus Epiphanes rursus summa iniquitate Ptolemæo

lemæo *Philometori* nepoti suo ex sorore eripuit.

LXXV. Quo rerum statu in Sacris non tantum, sed & in Civilibus summa auctoritas & potestas fuit apud *Pontifices*, ut ex diserto Josephi testimonio, ejusque, ut & Maccabaica Historia, liquet: præter quos Gens Judæa in singulis Urbibus suas habuit *γερουσίας Senatus Forenses*, &. unum quidem *Senatum Maximum* Hierosolymitanum, ex Historia Josephi cognitum.

LXXVI. *Ægypti* vero aut *Syriæ* Regum negotia, quæ fere erant tributa ipsis ad eorum placitum persolvenda, curabantur ab *Exactoribus*, qui sub Pontificibus nummis illis commodissime corradendis invigilabant, ab ipsis Ægypti Regibus ad hoc officium promotis: ut pariter colligas ex Josepho.

LXXVII. Ex quibus quam tenues fuerint hoc Intervallo Judæorum res, quam eorum tristis & afflicta conditio, facile perspicitur. Neque enim perpeti tantum debuerunt Exactiones & Expilationes Regum Ægypti & Syriæ: (quos inter tamen *Ægypti* Reges illos passim multo clementius & indulgentius habuerunt:) sed subjecti quoque fuerunt *depopulationibus* Agrorum & Urbium suarum in Bellis, quæ inter Ægypti & Syriæ Reges caussa *Cœlesyriæ* gerebantur: &, qui cumulus calamitatibus hisce accessit, sacra subinde à Pontificibus, iisque subjectis

jectis Sacerdotibus ac Levitis, inter quos multi fuerunt vita impuri & sententiis profani, tepide administrabantur:. unde vitia & impietas in Populo, & plurium ex ipsis Sacerdotibus & Levitis defectio ad *Idololatriam Græcanicam*.

LXXVIII. *Extra* vero *Canaanæam* qui *post tempora Cyri in Exilio* vivere maluerunt Judæi quam redire in Regionem Patriam, ubi misere vivebatur: (sive illi sedes suas fixerint in Babylonia & Syria, sive in Ægypto, in quam plurimi eorum tam vi abducti sunt à Ptolemæo Lagi, quam sponte ejus indulgentia allecti migrarunt:) passim à Dominis suis non inclementer habiti sunt, (si Ægypti Regibus exceperis Ptolemæum Philopatorem:) & sacra sua secundum *moralem* Mosis *disciplinam* (quin & *ceremonialem*, ut deinceps monebimus:) exercere potuerunt.

LXXIX. Facit autem ad hunc ipsum *Statum Judææ Gentis & Ecclesiæ:* sive in Canaanæa sive in Exilio: propius cognoscendum, ut observentur *Casus* aliquot illustriores, qui Judææ Genti hoc Intervallo accidisse feruntur, vel etiam vere acciderunt: digni qui notentur.

LXXX. Sit inter illos *Primus*, quod Judaica Traditio habeat, floruisse in *Republica Judaica*, post Exilium Babylonicum in Canaane instaurata, *Concilium* aliquod doctorum, prudentium, & sanctorum hominum, qui ab *Ezra*, sive à *tribus Prophetis*, hujus Concilii *Præ-*

ſilibus, uſque ad *Simeonem Juſtum*, qui eorum ultimus fuiſſe fertur, extiterint numero cxx, vulgo Judæis dicti, אנשי כנסת הגדולה *Viri Synagogæ Magnæ*.

LXXXI. Quibus paſſim tanquam Auctoribus vindicant præclara opera Sacræ Scripturæ Libros in Canonem referendi, eoſdemque diligenter recenſendi, notatis variis plurium Codicum collatorum Lectionibus, tum etiam Textum Hebræum Sacræ Scripturæ Punctis inſtruendi Vocalibus, & præcipuam partem *Leiturgiæ Judaicæ*, ut in Synagogico Cultu obtinet, componendi.

LXXXII. Nec tamen hæc tam ſunt certa quam vulgata: etiamſi non negemus, extitiſſe cum & poſt Ezram doctos quoſdam & in Sacra Scriptura exercitatos Viros, qui Libris Scripturæ recenſendis, & eorundem germanæ Lectioni ſtabiliendæ, tum quoque Cultui Sacro componendo, incubuerint. *Puncta Vocalia* & קרין וכתיבן nobis ſunt recentioris originis.

LXXXIII. Non multo certior eſt alius quidam *Caſus*, ex hiſtoria Joſephi ſatis cognitus, *Templi* à Saneballatho, Cuthæorum Principe, exædificati in monte *Garizim*, in uſum Generi ſui *Manaſſis*, Fratris *Jaddi*, Pontificis Judæorum, Summo ibi functuri Sacerdotio; deinceps deſtruendi à Joanne Hyrcano. Sane Templum aliquod tale exſtructum circa illa tempora fuiſſe à Cuthæis in Monte Garizim, & eo

eo ipso non parum accensum esse vatinianum illud odium, quo Judæi Samaritanos prosequuti sunt: aliunde etiam liquet, nec est quod negem. De *circumstantiis* tamen narrationis Josephi suspendo judicium.

LXXXIV. Pariter ut facio in historia *Jaddi Pontificis*, Alexandro Magno post Tyrum expugnatam habitu Sacerdotali, & Sacerdotum ac Levitarum choro cincti, magna majestate occurrentis, eumque Judæis jure offensum, sed Sacratissimi hujus viri summa affectum reverentia, placantis; quam historiam idem prodidit Josephus.

LXXXV. Et quicquid Morinus, Waltonus, Vossius, aliique ex Doctis multi contra eant; idem sentiendum videtur de *Circumstantiis*, cum quibus Aristeas, & ex ipso Josephus, *Versionem Græcam* Codicis Sacri V. T. vulgo notam nomine *Versionis* LXX *Viralis*, sub Ptolemæo Philadelpho cusam esse asserunt. Fabula, fateor, pulchre exornata, & belle conscripta est, sed quæ ubique olet ingenium Judaicum. Vix videntur, qui veritati sincere student, de eo posse dubitare.

LXXXVI. Certior forte narratio est de amicitia inter Lacedæmonios & Judæos per Legatos & Literas inita, regnante apud Spartanos *Ario*, & apud Judæos Pontificatum gerente *Onia*, ob fidem *Primi Maccabæorum Libri*,

qui Literas *Arii Regis* ad *Oniam* & responsorias *Jonathæ* Pontificis, Fratris Judæ Maccabæi (usque ad illud enim tempus Judæi responsum distulerant:) exhibet: tametsi, quis hic fuerit *Onias* inter tres hujus nominis Pontifices, (qui Josepho omnino est *Onias* III, cujus sententiam Drusium amplexum esse apparet:) & quo fundamento Spartanorum Rex origines suæ Gentis cum Judæis *ab Abrahamo* deducere possit, sit obscurius & incertius, vel post erudita Huetii, & nuper etiam, Morini conjectanea.

LXXXVII. Sed quiquid etiam de his, quos hactenus commemoravi, judicandum sit Casibus: id utique pro re certa & indubia habendum est, quod *Antiochus Epiphanes*,[r] Syriæ Rex, horrendo & lugubri exemplo, post Hierosolymam cum Templo bis direptam & magnas in ea strages insidiose editas tam per se quam per Præfectum tributis colligendis *Apollonium*, instituerit sub finem hujus Intervalli Judæos inducere ad mutandam Religionem Patriam, adhibitis in hunc usum tum *Philosophis* ex Græcia, tum vel maxime quibuslibet *tormentis & cruciatibus*, quibus miseros Judæos, tenaces Patriæ Religionis, (cui tamen ex Populo & Sacerdotibus plurimi, iique ditiores & potentiores, renunciarunt:) sævissime excarnificabat.

LXXXVII. Hierosolyma Urbem ipse occupavit Antiochus, sive vi sive dolo, reversus ex Ægypto, Anno *Æra Græcorum* CXLIII,

cam-

eamque, Templo omnibus suis ornamentis & thesauris improbe spoliato, plurimis cædibus innocentium replevit, quando hactenus tamen Judæos ab institutis Patriis recedere non coëgit; biennio post, h. e. Anno Græc. CXLV, Apollonius, tributis exigendis Præfectus, Urbem denuo insidiose captam, gravissima affecit clade, civibus innocuis magno numero obtruncatis atque in servitutem abductis, & urbe direpta. exiguo post tempore (paucis interjectis mensibus). Rex Templum Sacrificiis Idololatricis & impuris Gentium cærimoniis profanari; Judæos omnes, derelicta Religione Patria in Græcanicas Superstitiones transire; omnia item Legis Mosaicæ exemplaria, comburi jussit. quando ex Judæis multi, qui discrimen cruciatuum & mortis caussa Religionis extra necessitatem perferendorum subire nolebant, Urbibus & vicis, in quibus habitabant, derelictis, fugerunt in *Deserta* ac *Solitudines*, in quibus ut & in Antris & speluncis se tenuissimo victus genere sustentarunt. Inter quos fuit quoque *Mattathias* Sacerdos, cum Filiis eximiæ virtutis, dictis *Maccabæis* quos Parens heroico facinore bellis Domini feliciter gerendis initiavit. Satis hic ὁμόφωνοι uterque Auctor Librorum, qui *Maccabæorum* gesta continent; à quibus in circumstantiis quibusdam frustra dissentit Josephus.

IXC. Qui ipse Josephus alium quoque errorem satis vulgatum plurimis Viris Eruditis præ-

ivit, acsi quæ ab Antiocho Hierosolymis inique & impie facta sunt, ab ipso essent peracta, postquam à Legatis Romanis, quorum Princeps erat Popilius Lænas, duro Imperio Ægypto jussus esset excedere, qui itaque, ex Ægypto domum redux, iram, quam animo conceperat & premebat, maximam in Judæos effudisset.

XC. Contra satis est certum ex comparatione instituta narrationis gestorum Antiochi post primam illam afflictionem, quam Hierosolymitanis intulit, cum annis regni ejus; Antiochum in Regnum revertentem post *secundam expeditionem*, quam in Ægyptum susceperat, Hierosolymam occupasse. quod ipsum quoque in *Secundo* Maccabæorum *Libro* totidem verbis dicitur.

XCI. Nempe cum Antiochi Epiphanis, Regno Ægypti inhiantis, *tres* fuerint in Ægyptum *Expeditiones*, quarum mentio apud Auctores profanos & in Vaticinio Danielis: (non *quatuor*, ut vellet ὁ πάνυ Armachanus:) *Prima*, qua profligato exercitu Ptolemæi Philometoris Ægyptum fere totam, excepta Alexandria, occupavit & retinuit; *Secunda*, qua Philometorem à fratre Euergete, qui Alexandriæ Regnum obtinebat cum sorore Cleopatra, Regno exclusum, specioso prætextu in Regnum reducere & ipsam Alexandriam in potestatem suam redigere conatus est; *Tertia*, qua fratres duos inter se reconciliatos magna rursus vi, qua terra

terra qua mari, oppugnare aggressus est, quando imperio Romanorum repulsus & se intra limites Regni sui continere jussus est: observandum hic est, Antiochum, cum *Secunda vice* ex Ægypto domum reverteretur, Hierosolymitanos durissime excepisse atque afflixisse, Anno Regni sui *Sexto*, & Græcorum Æræ 143. verum stragem in eosdem Judæos per Apollonium edidit, & postea Templum profanari jussit, eodem illo *Anno*, quo Romanorum mandato Ægyptum dereliquit, h. e. Anno Æræ Græc. 145.

XCII. Caussam Hierosolymæ occupandæ & expilandæ habuit Antiochus, quod sibi persuaderet, Judæos Hierosolymitanos, in quos, dum ipse in Ægypto versabatur, ad famam mortis ipsius *Jason*, per Menelaum Sacerdotio extrusus, impressionem fecerat, à se defectionem moliri; ut dubium non est, quin ex Civibus Hierosolymitanis, quibus passim exosus erat Menelaus, plures sequuti fuerint Jasonis partes. Hanc utique superbus Rex captavit occasionem, hunc habuit prætextum in Judæos sæviendi.

XCIII. Quod vero postmodum, quando spem perdiderat *Ægypti* obtinendæ & Regno suo uniendæ, Judæos jusserit *Ritus* Religionis suæ mutare & Græcanicam Superstitionem amplecti: haud dubie inter alia factum, ut commercium, quod erat inter *Judæos Canaanæos* &

Ægyptos rescinderet, & *Judæam* ac *Cœlesyriam* tanto facilius in sua retineret potestate; sive ut *unam* ex Populis, Regno suo subjectis, *Gentem faceret.* ut *Auctor Primi Libri Maccabæorum.*

XCIV. Eratque Regi spes illud suum propositum pro voto exequendi, quia per duos profligatæ impietatis Pontifices, *Jasonem* & *Menelaum*, (*illum* quidem *fratrem* Oniæ III, *hunc* vero *Beniaminitam*, fratrem cujusdam *Simonis*, Præfecti Templi, non, ut Josephus scribit, ipsius *Oniæ* III quoque & *Jasonis* fratrem:) Græcorum Ritus & Mores invecti erant in Judæorum Urbes & Urbium reliquarum Metropolim Hierosolymam, quibus Græcorum Moribus, Ludis, & Exercitiis idololatricis atque profanis Populus tantopere capiebatur, ut ex Sacerdotibus, Magnatibus, & Plebe plurimi suam Religionem & Instituta Patria contemptui haberent, & *Deo Patrum suorum* ejusque Cultui, & *suæ spei*, qua omnibus Gentibus præstabant, palam renunciarent.

XCV. Unde simul apparet, quæ caussa fuerit Deo Judæam Gentem tanta severitate castigandi, & *hoc* veluti *igne afflictionum* Pios, sive *Hasidæos* (חסידים. hoc enim nomine sinceri Dei Cultores ab hominibus Profanis tum discernebantur:) separandi à fæcibus impiorum, qui sacratissimam suam Religionem prodebant atque prostituebant.

XCVI. Præ-

XCVI. Præter hæc Fata autem tam Populi Dei quam Imperiorum & Regnorum, quibus commercium fuit cum illo Dei Populo, hactenus strictim percensita: observari merentur magnæ illæ mutationes, quas Mundus hoc Intervallo aliis suis partibus, sive Regionibus, subiit.

XCVII. *Græcia* quidem, præclaræ partis Europæi orbis, hac Periodo admiranda fuit fortuna, & varia facies. Studia *Sapientiæ*, quæ postmodum *Philosophia* dici cœpit, quin & omnigenæ *Eruditionis*, jam ab initiis hujus Periodi certatim ab excellentibus & præclaris ingeniis incredibili contentione diversimode exculta sunt, discedentibus Philosophis in varias sectas. quam culturæ ingeniorum summam laudem Græcia sibi per multa deinceps sæcula quasi propriam habuit. Nec minus in ea eminuit *Virtus Bellica*, quando se adversus *Persarum*, hoc est, totius Orientis, vires coacti sunt sub clarissimis Imperatoribus defendere, & sua fortitudine, prudentia, atque constantia rem eo perduxerunt, ut ipsis tandem Persis aliquando etiam Leges præscripserint. Quo suæ virtutis fructu pacifice potuissent gaudere, rebus eorum indies majora incrementa capientibus, nisi inter potentiores Græciæ Civitates, præcipue *Atheniensem* & *Spartanam*, quarum dissidiis aliæ implicitæ erant, nata æmulatio varia produxisset bella, *illi* primo, dein *huic*, (Atheniensium partes susti-

nentibus *Thebanis*;) funesta. Ad quæ accessit, quod sub finem Monarchiæ Persicæ Virtutis Bellicæ *gloria* à Græcis transiverit ad *Macedones*, quorum Rex Philippus, Pater Alexandri, Græcarum Civitatum & Rerum-publicarum, intestinis illis dissidiis jam enervatarum, libertati insidiatus est, Græcorumque vires & animos fregit: florentibus tamen interea apud Athenienses Ingeniis ac Literis. Quod exemplum alii post Alexandrum Reges imitati sunt, donec, Regno Macedonico à Romanis destructo, Græcis *Civitatibus* Libertas ab iisdem illis Romanis reddita est. quod in ultima hujus Intervalli incidit.

XCVIII. *Roma* interea (vere per eventum רָמָה:) sive *Romana Respublica*, hoc Intervallo longum tempus luctata cum intestinis dissidiis, & finitimis in Italia Populis, crescentis ipsius potentiæ & virtutis æmulis, mutatis varie Regiminis sui formis, tandem, Bellis in Italia gerendis defuncta admirando quodam Divinæ Providentiæ lusu, devictis Siculis, Pœnis, Macedonibus, Asianis, Illyriis, brevi tempore sibi vindicavit summum Orbis terrarum Imperium, (quod nimirum post *Antiocho Magno* Pacis Leges præscriptas non longe ante finem hujus Periodi evenit:) tanta cum fortitudinis, magnanimitatis, *prudentiæ*, constantiæ, & *justitiæ* laude, quanta in hominibus, ut nunc sunt mortalium ingenia & mores, prædicari major non potest.

XCIX. Quod

XCIX. Quod vero tandem ad *Durationem hujus Epochæ* attinet: indubium nobis est, eam ex sola Scriptura Sacra finiri certo non posse, quippe qua neque omnes Persiæ Reges recensentur, neque tempora cujusque Regni notantur; sed in subsidium hic esse vocanda Monumenta profana, sive sint Historiæ, sive Observationes Astrologicæ, ex quibus ratio horum temporum exacte colligi potest.

C. Quod enim Beroaldus, & quidam sequaces, Gueinzius, Weinheimerus, alii etiam nostra ætate, contendant, *continuam & non interruptam annorum seriem inde à Mundo condito usque ad passionem Domini ex solis Sacris Literis posse hauriri*, si nempe LXX Anni Exilii Babylonici ducantur à IV Joiakimi usque ad Cyrum; à *Cyro* autem, secundum Vaticinium Danielis, mox numerentur Anni illi 490 LXX Hebdomadarum, terminandi in *tertio post passionem Christi:* eam nos hypothesin non tantum putamus esse falsam, sed & absurdam, quia Historiæ profanæ series, tum etiam *Observationes* Cœlestium Motuum ad tempora illius Historiæ applicatæ à Ptolemæo aliisque Astrologis, & postremis hisce sæculis recollectæ atque examinatæ à Prudentissimis & Peritissimis hujus scientiæ Viris, certissimam fidem faciunt, a *Cyro* usque ad *Mortem* Domini longe majus spatium effluxisse quam Annorum 490. Quæ Monumenta & Subsidia temporum bene digerendorum hic *ἀνθα-*

δῶ-

δῶς neglectui habere, & *quæ de Regum Persarum Annis* in Historia profana habentur, *falsa & conficta prædicare*; non est moderati sed præfidentis, & male Scripturarum auctoritati consulentis, ingenii, & vere, quod dicitur; *nodum secare, non solvere.*

CI. Ergo nos potius veram hujus Epochæ durationem ex paucis hisce colligamus principiis. *α.* Demonstratum est à Ptolemæo, à Thoth Nabonassari usque ad Thoth illius Anni, quo Alexander mortuus est, lapsos esse Annos Ægyptiacos 424, qui sunt Juliani 423, & dies 259. *β.* Historia docet clarissime, a morte Alexandri usque ad initium *Seleuci*, fluxisse Annos 11, adeo ut *duodecimus* à morte Alexandri sit primus *Æræ Seleucidarum. γ.* Ex Libro Maccabæorum constat, initia *Judæ Maccabæi* cadere in Annum 146 *Æræ Seleucidarum. δ.* Non minus liquidum est, Principium Annorum 70 Captivitatis Babylonicæ, figendum esse in Anno *Æræ Nabonassareæ* 141. qui est Nabopolassari Regis, Patris Nebucadnezaris, *nonus decimus*; ipsius vero *Nebucadnezaris* secundum stylum Sripturæ *primus.* Est enim à Ptolemæo demonstratum ex Eclipsibus, inter *quartum Annum Nabopolassari* & *Septimum Cambysis* intercessisse spatium 98 *Annorum.* unde sequitur, undevicesimum Nabopollassari esse *primum* Exil. Babyl.

CII. Quod si jam Numeri secundum hæc principia colligantur: Ab

Ab *Anno* Primo Exil. Babyl. qui est *Nabonass.* 141. usque ad Annum ejusdem Æræ 424, quo obiit Alexander, sunt 284.

A morte Alex. usque ad Æram Seleuc. 11.

Ab Æra Seleuc. usque ad initia Judæ Maccab. 145.

Dabunt illi rudiore calculo Annos 440.

Periodus Septima, *à* Principatu Assamonæorum *usque ad natum inter homines* Christum Jesum, Σωτῆρα *Mundi.*

I. Sequitur *Periodus*, quæ nos perducet ad expectatum per tot sæcula & ætates Christum Jesum, tandem aliquando, postquam Judæi maximis defuncti calamitatibus, Rempublicam quidem suam instaurassent, eandemque per Maccabæos fratres eorumque Posteros vindicassent in libertatem atque amplificassent; rursus eandem intestinis dissidiis enervassent, & Romanis occasionem præbuissent suo eam perstringendi late patente Imperio; secundum promissa & vaticinia sub *Herode Rege* φανερωθέντα ἐν σαρκὶ: quo tempore pauci in Ecclesia boni illam *spem Israëlis* ardentibus desideriis expetebant,

bant, & longe maxima Judaismi pars, *vel* perversis imbuta erat opinionibus de *Justitia* sua adipiscenda ex *Operibus Legis*, *vel* animis à Deo alienata, & carnalibus immersa cupiditatibus, terrestria tantum & mundana magno sectabantur studio.

II. Cujus Periodi historia cum intelligi nequeat, nisi Historia Regnorum & Imperiorum, quibuscum res fuit Populo Dei, ut sunt *Ægyptiacum*, *Syriacum*, &, quod His in Oriente successit, *Romanum*, quasi ἐν τύπῳ cognita habeatur: id *primo* agendum erit, ut seriem successionis illorum Regnorum, ad superius Intervallum cœptam, hic pertexamus; quando *deinde* observanda erunt, α. Externa *Forma Regiminis Reipublicæ Judaicæ*, quæ quoad *Politiam*, hoc Intervallo sæpe variavit. β. *Status* Populi Dei *Externus* sub illa varia Regiminis forma. γ. Ejusdem *Populi Constitutio Interior*, qua fecit *Ecclesiam*. δ. *Casus* aliquot *notabiliores*, qui Ecclesiæ Dei hoc Intervallo temporis acciderunt. Quibus tandem subnectenda erit *Vera* hujus Epochæ *duratio*, ex certis colligenda rationibus temporum.

III. *Syriæ* & *Ægypti* Regum, qui *Epiphanem* & *Philometorem* exceperunt, hæc notetur Successio:

Reges

Reges Syriæ.

Antiochus Eupator.

Antiochus Epiphanis Filius, impuber, Regno excussus & vita privatus à *Demetrio*, Seleuci Philopatoris Filio. 2.

Demetrius Soter.

Nullus Princeps Virtutibus. exosus Populo, & Regibus vicinis. 11.

Alexander Bala.

Antiochi ferebatur ex pellice Filius: à Ptolemæo, Attalo, & Ariarathe, Ægypti, Asiæ, & Cappadociæ Regibus, adversus *Soterem* excitatus, eorumque instructus auxiliis Regno potitus est, quod tamen male administravit. 5.

Demetrius Nicator.

Demetrii Soteris Filius, ope Ptolemæi Philometoris, qui *Alexandrum Balam* generum suum destituebat, Regnum consecutus, & cum Regno Filiam Ptolemæi *Cleopatram*, quæ Alexandri uxor fuerat. malorum quoque morum Princeps. 2.

Tryphon.

Antiochum, Alexanderi Balæ Filium, (*Deum* & *Epiphanem* in *Nummis*:) dum Demetrius Rempublicam male tractat, Regem constituit, & partem aliquam

Reges Ægypti.

Philometor

regnat apud Ægyptios: Princeps deses, iners, voluptatibus deditus; nec tamen Syriam negligens.

Ptolemæus Euergetes sive *Physcon.*

Philometoris frater. *Physcon* dictus ob saginam ventris; plusquam barbaræ sævitiæ homo: ipse tamen *Syriæ* quoque intentus. 29.

Regni nomine & titulo *Tutoris* occupat: mox autem, *Demetrio Nicatore* à Parthis capto, Pupillo sublato, Regnum sibi ipse vindicat. 7.

Antiochus Sidetes.

Demetrii Soterii Filius, & *Nicatoris* Frater, qui in Syriam veniens, ducta in uxorem Fratris Uxore *Cleopatra*, Regno potitus est. 9.

Demetrius Nicator.

Hactenus apud Parthos, à quibus bello victus & captus erat, licet *pro cultu pristinæ fortunæ ab iis habitus*, egerat, à quibus ad Regnum suum, quod frater ejus Antiochus nunc obtinebat, recuperandum dimissus, illud *denuo* occupavit, dum interea frater ejus infeliciter cum Parthis congressus, perit. 4.

Alexander Zabinna.

Demetrio rursus ob pessimos mores omnibus exoso atque inviso, Rex hic à Physcone subornatus datusque Syris est hoc nomine, quod esset Alexandri Balæ Filius. 4.

Seleucus.

Demetrii Nicatoris Filius, ex *Cleopatra*; qui, quod injussu matris diadema sumpsisset, ab ea confossus est.

Antiochus Grypus.

Dictus quoque *Philometor*: alter

Ptolomæus Lathurus.

Ptolomæi *Physconis* ex Cleopatra

alter *Demetrii Nicatoris* Filius ex *Cleopatra*; Alexandrum occidit, & Matri quoque Cleopatræ, mali ingenii fœminæ, necem intulit. 29.

Antiochus Cyzicenus.

Antiochi Sidetis Filius ex *Cleopatra*, uterinus frater *Seleuci* & *Grypi*, qui jam per plures annos bella moverat fratri *Grypo* de Regno Syriæ, idque tandem à *Ptolemæo Lathuro* adjutus obtinuit. qui rursus à *Seleuco*, *Grypi* Filio, impetitus; hic rursus à Cyziceni Filio, *Antiocho Eusebe*, Regno pulsus; cui vices redditæ sunt à *Seleuci* Fratre, &c. 10.

Tigranes.

Armeniæ Rex; cui se tandem Syri discordiarum inter æmulos Successionis fratres & patrueles pertæsi, tradiderunt, 18.

Quo à Romanis Imperatoribus *Lucullo* & *Pompejo* victo, *Syria* à Pompejo facta est Romanorum Provincia. eoque statu fuit quando inter homines editus est Christus Jesus. 60.

patra, Cleopatræ ipsius quoque Sororis & Uxoris ipsius Filia, Filius: Ipse quoque nulla virtute Princeps, à Matre Cleopatra Regno pulsus. 16.

Ptolemæus Alexander.

Fratri *Ptolemæo Lathuro* à Matre Cleopatra substitutus, dum Frater *Lathurus* se detinebat in Cypro: sic tamen ut vis imperii apud Matrem fuerit, quam impiam mulierem, huic ipsi tandem Filio suo insidias parantem, Filius prævenit. 12.

Ptolemæus Lathurus.

Ejecto ab Alexandrinis Matricida fratre, in Regnum revocatur. 8.

Cleopatra.

Lathuri Filia, Ptol. Alexandri Uxor, M. 6.

Alexander.

Alexandri, Lathuri Fratris, Filius, ducta in uxorem Cleopatra, sed ea mox interempta, præfuit Regno. 15.

Ptolemæus Auletes.

Nothus Filius Ptolemæi Lathuri. expulso Alexandro ab

Alexandrinis suffectus; rursus ab iis ejectus, & à Romanis in Regnum reductus. 14.

Ptolemæus Dionysius
& *Cleopatra.*

Major natu Filius & Filia *Ptolemæi Auletæ.* Cleopatra, à fratre paucis post annis Regno expulsa, à Cæsare, ejus amore capto, restituta est: quo bello Frater & maritus ejus periit, ipsa vero Juniori Fratri suo *Ptolemæo* collocata: qui ab ipsa veneno deinceps sublatus est. post Cæsaris mortem Antonii amoribus implicita, cum eo periit, bello victa ab Augusto. 22.

Ægyptus facta Provincia P. R. ante Christum Annis 29.

IV. Cui Historiæ compilandæ potissimum inserviunt Polybii Legationes; Excerpta Veterum Historicorum, & præcipue Diodori Siculi; Appianus in Syriacis, & Justinus: præter ea, quæ ad singularia hujus Intervalli Gesta, & Romanam inprimis Historiam illustrandam, ex Valerio Maximo, Strabone, Plutarcho, Athenæo, & Historiæ Romanæ Auctoribus ac Nummis peti possunt.

V. Josephus autem Historiographus unicus fere

fere auctor est, ex quo, hoc tempore, Historia Ecclesiæ hujus Periodi præcipue à temporibus Joannis Hyrcani: (ad quæ nos perducit *primus Liber Maccabaeorum:*) colligi potest: cui in Historia sua componenda subsidio fuerunt duo priores Libri Maccabæorum, qui adhucdum supersunt, & forte *quartus* aliquis *ejusdem tituli* Liber, Gesta Joannis Hyrcani continens, quem in Bibliotheca Santis Pagnini apud Lugdunenses extare asseverat Sixtus Senensis; tum etiam Nicolaus Damascenus, Strabo, & Commentarii Herodis.

VI. Qui Celebris Scriptor etiamsi ubique magno cum discrimine judicii legendus est: absit tamen, ut in narrationibus probabilibus & verisimilibus, quibus circumstantiæ favent, fidem illi negemus, vel ullam habeamus rationem immanis paradoxi, quod Eruditorum judiciis nuper submisit & argumentis adstruere conatus est Joannes Harduinus, Jesuita Gallus, *Dissertatione de Nummis Herodiadum*, ac si quæ Josephi nomine circumferuntur Scripta, falsum fictumque præferrent nomen.

VII. Ex Maccabaicis itaque & Josepho liquet, *Formam Regiminis* Populo Dei hoc Intervallo temporis non fuisse æquabilem, sed eandem *quater* variasse, dum Judæi pro summo suo Magistratu alternatim venerati sunt *Ethnarchas* & *Reges*.

VIII. Sub *Ethnarchis*, qui iidem functi

sunt summo honore *Pontificatus*, (quæ Regiminis Forma jam ante recepta erat:) egerunt per Annos admodum 60; inde Assamonæos experti Reges Annis fere 42; rursus *Hyrcano* Regi ad arbitrium Pompeji paruerunt tanquam *Ethnarchæ* per Annos 23. quando ad *Regnum* promotus *Herodes*, tituli illius honore quidem per 37 Annos gavisus, ipsum vero Regnum per 34 Annos administravit.

IX. *Pontifices*, qui iidem fuerunt *Ethnarchæ* Gentis, ab initiis *Judæ Maccabæi*, quæ inciderunt in Annum 146 Æræ Seleucidarum, post *Menelaum* illum impium, cujus in superioribus mentionem injecimus, fuerunt

Alcimus.

Sacerdotali quidem, nec tamen Pontificali Familia oriundus, ab *Eupatore* ad hanc dignitatem evectus, quam per *triennium* gessit. Pontifex pariter impius, & adversarius *Judæ Maccabæi*, qui Rempublicam & Ecclesiam magnis ausibus instaurare & vindicare nitebatur, paulo ante Alcimi obitum defuncti. *Judas Maccabæus* interea Imperatorem egit, Annis 6.

Jonathan.

Vir fortis & egregius, Frater *Judæ Maccabæi*; quo fatis cedente ipse Asidæorum Imperator & Religionis Vindex à Populo Dei factus est: & tandem quoque, postquam *Pontificatus* per *Septennium* à morte *Alcimi* vacivus fuisset, ad Pontificatum promotus. Exercitibus Populi Dei præfuit Annis 17, Pontificatum gessit Annis 9. Quam dignitatem ipse inter fratres Assamonæos primus consecutus est beneficio *Alexandri Balæ*, 1 Maccab. x. 20. Quod enim vulgo Doctissimi etiam

Viri,

Viri, ut Petavius, Seldenus, &c. *Judam Maccabæum* quoque ad Pontificatum à Populo Judaico evectum tradant auctoritate cujusdam loci Josephi, haud dubie factum est per errorem. Josephus si verba L. XII. C. XVII. vere sint ab ipsius manu; sibi hic non constat, alibi contrarium testatus; & præterea clarissime refutatur ex Primo Maccabæorum. 17.

Simon.

Judæ & Jonathanis frater; Pontifex & Ethnarcha Judææ Gentis. ejusdem ingenii iisdemque insignis virtutibus. 8.

Joannes Hyrcanus.

Patri Simoni in Præfectura Gentis & Sacrorum successit: magni animi, virtutis, pietatis, Princeps; bellis gerendis felicissimus, 29.

X. *Reges* ex eadem Assamonæorum stirpe illis successerunt.

Judas, sive *Aristobulus*.

Maximus natu Joannis Hyrcani Filius, qui se ipse ex Principe *Regem* fecit. Matri & fratribus gravis, exitium, quod vitare cupiebat, maturavit. 1.

Alexander Jannæus.

Aristobuli frater, Joannis Hyrcani Filius tertius: bellicosus quidem Princeps, sed crudelis, & ipsi tandem Genti suæ exosus. 27.

Alexandra.

Aristobuli primo, dein Alexandri Uxor; Pharisæis addicta eorumque in administratione Regni usa consiliis. 9.

Hyrcanus.

Major natu Filius Alexandri, jam à Parentis sui morte functus Pontificatu: quem Josephus post *tres menses* à Fratre Aristobulo, ad res gerendas aptiore & animosiore, Regno & Pontificatu privatum scripsit, sed cui, si Fratri ejus Aristobulo triennium tantum cum eodem Josepho tribuendum sit: Usserius vindicat Annos fere 3.

Aristobulus.

Fratrem Hyrcanum, prœlio victum, coëgit Regnum cum Pontificatu sibi pacto tradere: quibus honoribus gavisus est paulo plus quam Annos 3.

XI. Inde rursus mutata rerum facies, & Præfectura Gentis ac Sacrorum rediit ad

Hyrcanum:

Qui cum consiliis Antipatri & auxiliis Aretæ Arabum Regis usus, Regnum recuperare niteretur & Fratrem jam redegisset ad angustias, judicio *Pompeji*, Aristobulo ob ferociam suam infensi, rursus præfectus est Judææ Genti, absque diademate, titulo *Ethnarchæ* & *Pontificis*; in qua dignitate postmodum à *Cæsare Julio* confirmatus est. 23.

XII. Quem cum Antigonus, Aristobuli Filius, ope Parthorum de illa dignitate rursus deturbasset, auribus mutilatum & captivum abductum Babylonem,

Herodes,

Filius *Antipatri*, potentis Viri apud Idumæos, & *invitâ* Judææ

Judææ sub Hyrcano beneficio Julii Cæsaris; Galilææ primo Præfectus à Cæsare, dein quoque ab *Antonio* Tetrarcha factus, *Hyrcano* tamen obnoxius, favore ejusdem *Antonii* & *Augusti*, *Regis Judæorum* titulo nec opinato ornatus est à Senatu Romano, cui tamen Muneri adversus Antigonum vindicando, à Romanis adjutus, fere impendit triennium. Princeps magnificus, liberalis, fortis, potens; nec tamen domi fortunatus aut Populo dilectus. Regnavit in universum Annis 37.

XIII. Si tamen Josepho fides: *Ethnarchæ* & *Reges*, qui Populo Judæo hac Periodo temporis præfuerunt, in gravioribus *negotiis Civilibus* nihil agere potuerunt *Populo inconsulto*, in *Criminalibus* vero judicium suum submittere coacti sunt *Synedrio Hierosolymitano*, in quo prævalebat factio Pharisæorum, quorum à temporibus *Joannis Hyrcani* magna erat in Republica auctoritas.

XIV. Fuit autem ipsius quoque Populi Dei, si ad *Externam* Reipublicæ *Constitutionem* attendamus, sub hac *varia* Regiminis *Forma*, non una sane sed *varia* etiam *facies*, modo lætior, modo tristior & luctuosior: cujus hac Periodo *tria* commode videmur notare posse *Intervalla*.

XV. Turbulentus & instabilis fuit Reipublicæ status & misera passim Judæorum in Canaane conditio *prioribus* fere hujus Periodi *viginti tribus annis*, sub Ducatu *Judæ Maccabæi* & *Jonathanis*, Præfectorum Exercitus Asidæorum: quo tempore non tantum adhuc subjecti fuerunt

Regibus Syriæ, duris Dominis, quorum alius alium Regno per breve tempus occupato armis vel dolo extrudebat; sed & vexati atque infestati à validis Exercitibus eorundem illorum Syriæ Regum, qui Canaanæam populabantur; obvios quosque abducebant in servitutem; in Asidæos, si quos assequerentur, crudeliter sæviebant; & Populo Dei magnum continuo incutiebant metum, dum Judæ & Jonathani cum exigua hominum manu cum iis dubia sæpe acie esset decertandum. Imprimis tamen calamitosum fuit *sexennium* imperii *Judæ Maccabæi*, ultimis Antiochi Epiphanis, sub Eupatore, & initiis Demetrii, qui, licet cum clarissimis Ducibus & maximis exercitibus passim stupenda animi fortitudine, prudentia, & fortuna congressus esset, tandem à Bacchide, Demetrii Duce, victus & fusus, cum sua morte res Populi Dei in summa reliquit *ἀπορίᾳ*.

XVI. Lætiora ipsius affulgere cœperunt tempora sub *Simone*, Viro strenuo pariter & prudente, qui Rempublicam à primo Principatus sui Anno vindicavit in *Libertatem*, & duro *Macedonum Imperio* subtraxit, Arcesque libertati Judæorum infestas redegit in potestatem. Inde habiti honoratique sunt Judæi ut *Populus liber* & *sui juris*, atque ipsi Syriæ Reges dehinc cum iis egerunt tanquam cum φίλοις & συμμάχοις. Quo in statu perstiterunt usque quo res ipsorum, occasione imprudentis contentionis Hyr-

Hyrcani & Aristobuli de Principatu, accisæ fuerunt à Pompejo, & Romanis quodammodo cœperunt esse obnoxii.

XVII. Hoc potissimum temporis spatio, quod fere circumscriptum Annis 80, sub *Simone*, ejusque Filio *Joanne Hyrcano*, & nepote *Alexandro* Rege, res Judæorum insignia accęperunt incrementa. Idumæa, Phœnicia maritima; tum etiam non obscura Syriæ & Moabitidis oppida, à Judæis possidebantur. Tunc itaque *multiplicati* & *benedicti supra Patres* imperium habuerunt amplissimum, quod beneficium tanquam certum signum instantis adventus Messiæ ipsis à Mose & nobilioribus Prophetis clarissime promissum & prænunciatum erat. Præcipue eminuit virtus *Joannis Hyrcani*, qui bellis feliciter gestis paria cum *Davide*, si non majora, præstitit, & forte etiam *Dono Prophetandi* præditus fuit.

XVIII. Sed accisæ rursus & attenuatæ fuerunt Judæorum res à Pompejo, & tam de libertate quam de amplitudine & splendore suo Respublica non parum amisit, quando Pompejus Hierosolymam, & quidem Templum, quod Aristobuli factio adversus ipsum defendebat, vi cepit: 60 plus minus annis ante natum Christum. Nec enim tantum Hierosolyma per ipsum facta est tributaria & Cœlesyriæ aliæque urbes, quibus ditionem suam ampliaverant, ipsis fuerunt ademtæ; sed res ipsorum deinceps quoque im-

plicitæ fuerunt rebus casibusque Romani Imperii: cujus Proceres Pompejus & Cæsar, Factio Bruti ac Cassii & Antonii ac Augusti, tum etiam ipse Antonius & Augustus, cum civilibus Bellis de summa rei inter se dimicarent: coacti sunt Judæi partes eligere, & quas elegerant fovere & instruere cum non exiguo suo detrimento.

XIX. Ad quæ accedebat: *Syriæ Præsides*, Judææ ab eo tempore imminentes, multo plus sibi in eam arrogasse juris quam ipsis competebat; nemine facile iis auso resistere; & Aristobulo genitos Alexandrum & Antigonum, Regni ambitione flagrantes, statum Judææ Gentis non semel turbasse.

XX. Magis equidem omnia rursus floruerunt sub Herode, qui, Romanorum Principum Antonii & Augusti amicitia gavisus, Regnum Judæorum denuo amplificavit, & præclaris operibus promovere studuit nomen & gloriam Judææ Gentis: nec tamen Judæi se hoc Rege felices putarunt, quia & ἀλλόφυλος fuit, & nimis, quam cuperent, obnoxius Romanis, quibus supra fas & modum adulatus est.

XXI. De *Interiore* vero *Constitutione Populi Judæorum*, secundum quam ille Populus dictus est *Ecclesia* & *Populus Dei*, si recte judicare velimus, duo rursus existimem discernenda esse temporum Intervalla; *Alterum*, quo Judæa Gens adhuc subjecta fuit Syris, ut fuit sub Duci-

Ducibus Juda Maccabæo & Jonathane; *Alterum*, quo vindicata in Libertatem res suas egit & in exercitio Sacrorum ab aliis Gentibus turbata non est.

XXII. *Priore Intervallo* illo in initio miserabilis fuit conditio *Ecclesiæ*, quæ tamen sensim in melius mutata est. Judæi eo tempore divisi erant in duas, sibi maxime oppositas & contrarias, factiones. Magna pars ditiorum & potentiorum, inter quos multi Sacerdotes, palam desciscebant à Deo, & profanas amplexi de Religione sententias, Syriæ Regibus in subvertenda vera Religione favebant. Pars alia, quorum Patronos & Vindices agebant Assamonæi Fratres, sincero erga Religionem affecti zelo, se à profanis nomine *Asidæorum* (חסידים *Piorum*, sive *Studiosorum Legis*) discernebant: qui proprie *veram Ecclesiam* & *Populum Dei* constituebant. in initio quidem *pauciores numero*, sed qui tamen sensim adeo auctus est, ut tota ab iis occupata sit Respublica.

XXIII. *Posteriore* illo Intervallo à *Simonis Pontificatu* usque ad *natum Christum* hæc fere fuit *Ecclesiæ* conditio. Profanis illis hominibus, qui Regibus Syriæ obnoxii & dediti erant in promovendis illorum nefariis consiliis, subactis aut Patria exactis per Assamonæos, supererant tamen & superfuerunt deinceps ad ultima Reipublicæ plurimi Judæi, qui, Græcanica imbuti Philosophia, liberius de Religione Mosaica, præ-

cipue

XXVIII. 4. *Templum* Hierosolymitano suppar *extructum in Ægypto* ab *Onia*, *Oniæ tertii Filio*, impetrata venia à Philometore Ægypti Rege, in Agro Heliopolitano, ubi Sacra secundum Ritum Mosaicum à Sacerdotibus peracta sunt. Res videri posset vere nova & peregrina, nisi ex ipso constaret Josepho, plura illius generis Templa alia circa illud tempus in Ægypto & aliis Regionibus, damnanda Judæorum superstitione, exædificata fuisse. Clausum demum fuit hoc Oniæ Templum sub Vespasiano.

XXIX. 5. *Festum* novum *Encaniorum*, (חנוכה Hebræis:) sive λυχνοκαίας *accensorum luminum*, celebrandum die *vigesimo quinto Mensis Casleu*, qui incidit in brumam, in memoriam Cultus Templi eo tempore post triennium integrum, quo sacra jacuerant in squalore, instaurati.

XXX. 6. *Ortum trium* Αἱρέσεων *sectarum*, sive diversarum de *Dogmatibus Religionis* sententiarum apud Judæos, sub nominibus *Pharisæorum*, *Sadducæorum*, & *Essæorum*, de quibus cum à Scaligero, Drusio, Serario, Casaubono, & Spanhemio, multa tradita sint scitu utilia: observasse nunc suffecerit, cum parva omnium rerum sint initia, has sectas alia facie seostentasse in progressu quam in ortu, qui simplicior fuisse videtur.

XXXI. *Essæi* dicti, qui se occupatos habue-

buerunt *contemplationibus* Divinæ Legis *Allegoricis*, & studio ac *praxi* veræ virtutis, humanitatis, charitatis, pietatis, sive *conjuges* sive *cœlibes*, *solitariam* amantes vitam, qualem postea inter Christianos *Cœnobitæ*; electis locis à strepitu & commercio hominum remotioribus in Australi Canaanææ tractu prope mare Sodomæum; *silentii* observantes, & *Ritualem* legem minus curantes, quales describuntur à Philone. Origo illorum & nominis ratio repetenda à חסידים *Piis*, qui sic dicebantur, à *profanis* distinctis qui cum Juda Maccabæo se conatibus Antiochi opposuerunt. Ἀσιδαῖοι in Historia Maccabæorum. unde formatum nomen *Essæorum*.

XXXII. *Pharisæorum* ortus est posterior, & referendus ad initia Joannis Hyrcani. Characteres illorum, quales erant in ortu suo, diacritici erant, α. Accuratus cultus illarum *legum Mosaicarum*, quæ de *puritate* & *impuritate Legali & Rituali* agunt; quæ caussa quod se ab aliis tanquam *puriores* in commercio vitæ *separarent* & cum *sui tantum ordinis* hominibus, Legis divinæ studiosis, versarentur, unde dicti פרושים à פרש / *separare*, & חברים *Socii*. β. Studium *Traditionum* Παραδόσεων Πατροπαραδότων, sive Legis oralis; cujus studii præcipui promotores *Simeon ben Schetach*, sub *Alexandro Jannæo*, & *Hillel Babylonius*, ante & circa tempora Herodis.

XXXIII.

XXXIII. *Tsadducæi* interea dicti sunt, qui *Civilium legum* & *justitia* Societatis humanæ habiti sunt observantiores, nomine formato a צדיק/ ut videtur; non à צדוק *Tsadoho*, celebri doctore, auctore Sectæ; qui iidem de studio *traditionum* Legis ritualis minus honeste senserunt, & cum *Karais* olim confusi fuerunt; postea ab iis distincti.

XXXIV. Sed formatæ Sectæ & ab invicem jam distinctæ, post fundatas Scholas & Academias, florente Republica, & luxuriantibus ingeniis, *peculiaria* sibi quæque *dogmata* Religionis *Theoretica* adsciverunt, dum *Pharisæi* defenderent *liberi arbitrii* vires, *ἀνταπόδοσιν boni operis*, *æternam vitam*, *Resurrectionem piorum*, *Animarum post fata existentiam*; simul se applicarent ad Philosophiam *Platonicam*, his dogmatibus faventem; *Sadducæi* hæc & horum affinia & consequentia negarent, ad *Epicuræismum* propensiores; *Essæi* autem sive *Stoicorum*, sive *Pythagoreorum* disciplinam sectarentur. Notatu interea dignum est, Judæos ante hæc tempora nunquam disputasse de *theoreticis Dogmatibus suæ Fidei*; & postquam de iis disputari cœptum est, dissensum in gravissimis etiam Fidei articulis, quos totidem verbis in Mosaica Lege non constabat definitos esse, tanti non fecisse.

XXXV. 7. *Templum Garizimiticum*, quod æmulatione Templi Hierosolymitani extruxerant Cuthæi circa tempora Alexandri, destructum à

Joan-

Joanne Hyrcano; & *Idumaeos*, armis victos; & ab eodem Hyrcano coactos circumcisionem & ritus Judaïcos admittere: juxta vaticinia, jam ante de hac re, tanquam signo praenuncio adventus Messiae, edita.

XXXVI. 8. *Templum* denique Hierosolymitanum destructum, & ornatu longe splendidiore magnis continuisque operis, singulari curâ Herodis Regis denuo exstructum: in qua tamen historia, ut à Josepho tradita ornataque est, dissimulare nolim non pauca mihi & levia occurrere, quae illius fidem parum apud me probabilem reddant. Non nego tamen, Herodem Regem gloriae suae hunc adjecisse cumulum, ut Templi Ædificium necessariis locis reparari, ejusque Porticus à latere potissimum meridionali amplificari, & pro dignitate Gentis & Religionis magnifice extrui curaverit.

XXXVII. Quod jam ultimo ad *Durationem* hujus *Epochae* attinet: videtur illa absque magnis ambagibus hac simplice ratione commode à nobis posse demonstrari.

Liquet ex *Primo Maccabaeorum Libro*, *Judae Maccabaei* initia incidere in *Annum secundum* à polluto Templo, qui erat Æræ Graecorum 146.


Certum est, ex comparatiône Ærarum à Petavio & Doctis instituta, Annum 146 *Æræ Seleucidarum*, respondere Anno *Urbis Conditae* 587. quem praecessit celebris ille Annus 586,

quo extinctum est Regnum Macedonicum, & Legati Romanorum Antiochum Epiphanem jusserunt excedere Ægypto, variis Observationibus Astronomicis notatus & munitus.

Pariter extra dubium est, vulgatam Æram Natalium Christi figi in Anno *Juliano* 46, qui est *Urbis Conditæ* 754.

Unde jam sequitur, Intervallum, quod inter
753 *initia Judæ Maccabæi* & *Vulgatam Æram* inter-
587 cessit, constare Annis Julianis. 166.
166. Quam Æram si quis cum Usserio aliisque Doctorum forte statuat *quadriennio* vinci à vera *Æra Natalium Christi*, supererunt huic Periodo Anni 162.

Æ D.



AD
HISTORIAM
ECCLESIÆ,
POST
CHRISTI JESU
Ἐπιφάνειαν.



Προλεγόμενα.



Ltera pars Historiæ rerum in Ecclesia gestarum exordium suum ducit *à Christo* inter homines *nato*, & pertexitur ad *hæc ipsa*, quæ vivimus, *tempora*: quod fere est spatium *mille* & *septingentorum Annorum*.

II. Potest autem narratio rerum, ad Historiam hujus temporis pertinentium, duobus potissimum modis institui; *vel* nimirum ut continui texantur Annales secundum Annorum singulo-

gulorum, sibi succedentium, seriem, quibus quæ memorabilia in qualicunque rerum genere acciderunt, distincte edisserantur; cujusmodi exemplum habemus in *Annalibus Baronii* & *Suerii*; vel, ut totum hoc tempus dispescatur in majora quædam plurium Annorum Intervalla, ad quæ res in Ecclesia gestæ referantur; sive illa jam Intervalla circumscribantur *Annorum Centuriis*, quæ *Sacula* dicuntur, sive Majoribus aut Minoribus spatiis indefinitis, prout Ecclesia in hoc vel illo statu brevius aut longius perstitit: prorsus eum in modum, ut res ante Christi φανέρωσιν gestas, per certa quædam Intervalla, compendio digessimus.

III. Posterior Historiæ tractandæ modus magis juvat memoriam, & idcirco convenit *Institutionibus Scholæ*. In quo etsi omnino, si res plane nostri esset arbitrii, præferremus istam rerum tradendarum rationem, quæ *Intervalla temporum* metitur secundum variantes Ecclesiæ status & conditiones: illam tamen nunc methodum propositum est sequi, quæ gesta refert ad Annorum ἑκατοντάδας sive SÆCULA, quam *Centuriatores Magdeburgenses* magno cum fructu elegerunt, quia nulla hodie familiarior est & magis recepta. à qua nemo fere recedere possit, nisi Juventutis studia quodammodo conturbet.

IV. Quod si tamen res ipsa illud exigat: licebit *Saculum* in minora aliqua Intervalla dividere.

V. Quo-

V. Quomodo *Primum* Christianismi Sæculum in duo distinguimus Spatia, quorum *Prius* terminatum in Anno *trigesimo tertio* Natalium Christi *secundum Æram Vulgarem*, complectetur Historiam tam Ecclesiæ Judaicæ quam Christi, hoc ipso Anno, secundum nostras rationes, evecti ad summam in Cœlo majestatem: *Posterius* decurret usque ad *Sæculi finem*, à cujus principio ordiemur Historiam ipsius *Ecclesiæ Christianæ*, quæ ab eo potissimum tempore in unum aliquod *Corpus* & *Societatem*, distincta à Cœtibus incredulorum Judæorum, opera Apostolorum, post effusa dona Spiritus Sancti, formari cœpit.

VI. Quando autem *Historia Christi* & *Ecclesiæ* intelligi non poterit absque rudiore saltem cognitione *Historiæ profanæ* illorum Regnorum, aut Imperiorum, ad quæ Ecclesia peculiarem quandam σχέσιν habuit: commodum fuerit, Historiæ Ecclesiæ cujusque Ἑκατονταέτηρος præmittere τύπον quendam breviorem Historiæ profanæ: quod jam ad *Historiam Superioris Oeconomiæ* instituimus.

SÆCULUM I.

PARS I.

A Vera Æra *Natalium Christi* *usque ad Annum* XXXIV Æræ Vulgatæ.

I. Populi & Regna, quorum potentia Judææ Genti olim terrori erat, omnia erant in potestate *Romani Populi*, circa illud ipsum tempus, quo ad homines in terris visitavit Christus Jesus. Ægypti & Syriæ Regna à Romanis Præfectis administrabantur. Armenii, Parthi, & Arabes non detrectabant obsequium. Imo totus hic orbis terrarum, qua à politioribus Gentibus inhabitabatur, singulari quodam Divinæ Providentiæ moderamine *Romæ* parebat *Urbi*. *Romani* itaque *Imperii* historia ad Ecclesiæ horum & sequentium temporum Constitutionem recte intelligendam, cognitu perutilis & necessaria est.

II. In Romana Republica, cujus imperii incrementa & amplitudinem *superiore Intervallo* jam observavimus, à Regibus primo aliquandiu, deinde à *Consulibus*, aut *Tribunis Consularibus*,

ribus, recta, non longe ante τὴν ἐπιφάνειαν Christi Principatum sibi armis vindicaverat, victo Pompejo, *Cajus Julius Cæsar*, ingentis animi Vir, *altero* Anno, à quo *Calendarium Romanum* reformaverat, (unde *Anni Juliani* initium habent:) à conjuratis in Curia confossus; à quo summa illa potestas transiit ad *Augustum*, inde ad reliquos, qui dicuntur, Cæsares aut Imperatores.

III. *Syria*, dum salva erat libertas P. R. dudum redacta in formam Provinciæ, administrabatur per PROCOSS. Inde mutata paulo Regiminis Forma, M. Antonius Trium-Vir, qui in Oriente pro lubitu dominabatur, eam rexit per *Legatos* suos, ante *Prælium Actiacum*: post quod tempus peculiari quodam jure Augusto subjici cœpit, dum ipse divisis inter se & Populum Romanum Provinciis Imperii, hanc Provinciam inter alias sibi vindicavit, & ad eam gubernandam *Legatos* misit *Consulares*, Græcis Ἡγεμόνας dictos: quod idem fecerunt Imperatores *Augustum* sequuti.

IV. *Imperatorum* itaque *Romanorum*, & *Præsidum Syriæ*, qui in *Primam Partem* Historiæ hujus Intervalli incurrunt, hæc observetur διαδοχή.

Cæsares Romani.

Octavianus Cæsar Augustus.

Patrem habuit C. *Octavium*, magnis in Republica perfunctum honoribus. Matre natus est Atia, M. Atio Balbo & *Julia*, sorore C. Cæsaris, genita. A. C. Cæsare Testamento adoptatus est; unde plenum illi nomen: *G. Julius Cæsar Octavianus*. Anno sequente cædem Cæsaris, qui est U. C. 711. *Pansa* & *Hirtio* Coss. Primo illi *Imperium extraordinarium* à Senatu datum est: deinde eodem Anno, postquam ambo illi Consules in Bello adversus M. Antonium occubuissent, ipse *Consulatum* init, aut potius, *invasit*, & societatem contraxit cum Antonio & Lepido: *à quo tempore primum cum ipsis illis M. Antonio & M. Lepido, dein tantum cum Antonio, per* XII *Annos; novissime per* IV *&* XL *solus Remp. tenuit*. Princeps, si Rempublicam spectes, post necem Antonii, optimus. Præfuit Imperio ab initio Consulatus solidis Annis LVI. Si vero Anni Au-

Præsides Syriæ.

Legati Antonii.

Ventidius Bassus.

Sosius.

Cujus initium incidit in A. U. C. 716.

L. Munacius Plancus.

L. Calpurnius Bibulus.

Mortuus, dum Syriam administrabat, Anno U. C. 723.

Q. Didius.

Legati Augusti post Victoriam Actiacam.

Agrippa.

Cum summa potestate ad res non Syriæ tantum sed & totius Asiæ ordinandas bis ab Augusto in Orientem missus, qui tamen *Syriam* aliasque Provincias per

Ieu-

Augusti reputentur à cæde Julii Cæsaris, ut à multis instituitur: dandi illi sunt Anni LVII, Menses V, Dies IX. Quod si jam posueris, Christum in lucem esse editum Anno *Augusti* à *primo* ejus *Consulatu* 39, ac proin Veram Æram Natalium Christi figendam esse in Anno Augusti 40 (de quo suo loco:) an li erunt Augusto; à Nativitate Messiæ, Anni 17.

Tiberius Nero.

Genitus Tiberio Nerone & *Livia Drusilla*, quæ in conjugium *Augusti*, marito permittente, transiit. Ab An-

Υπες ρατηγοις, ut Dio scribit, administravit ab A. V. 731 ad 741: inter quos Præfectos, Agrippæ subordinatos, fuerunt

Marcus Titius,

Pariter Josepho memoratus:

& Varro,

Cujus mentio apud Josephum. Obtinebat is Præfecturam Syriæ A. V. C. 732.

C. Sentius Saturninus.

Anno U. C. 746, Aug. 36. *Legatus* in Syriam missus. Vir Consularis, Præfuit Syriæ usque ad A. Augusti 38.

P. Quintilius Varus.

Non longe ante Herodis mortem hac Præfectura donatus,

P. Sulpicius Quirinus.

Eo tempore in Syriam missus, quo Archelaus Viennam est relegatus, qui est Annus Æræ Dionysianæ 6. Aug. 49. *C. Sentium Saturninum* inter *Varum* & *Quirinum* desiderari, Norisio & Pagio non damus.

&c.

Augusto adoptatus, illi successit, dum *Agrippa*, Augusti ex Filia nepos, imperio ineptus esset. Princeps callidus, simulator, malignus, crudelis, imprimis sub vitæ finem: sub quo tamen hactenus Imperium stetit. Præfuit illi A. 22. M. 6. D. 26.

V. Repetantur, quæ ad hanc historiæ Romanæ partem illustrandam faciunt, ex suis quæque Auctoribus, Suetonio, Dione, Vellejo, Tacito; tum etiam Cicerone, Appiano, & Plutarcho; nec non Nummis & Inscriptionibus. Syriæ Præsidibus ex Josepho, Dione, & Appiano recensendis post Baronium, cui ille conatus non admodum feliciter successerat, operam dederunt Casaubonus & Montacutius; novissime Norisius & Pagius, de Historia præclare meriti.

VI. Ad hos Orbis terrarum & Syriæ Præsides peculiarem σχέσιν hoc Intervallo habuit *Ecclesia Dei*, quam adhucdum constituebat *Populus Judæus*, nondum à Deo repudiatus, quippe in quo latebat verum semen electorum Dei: cujus Historiam habemus in Josepho & Euangeliis Discipulorum Christi.

VII. *Populi Judaici* duplex est facies, (quod & in superioribus observavimus:) vel qua *Civitatem* facit, vel qua *Ecclesiam*.

VIII. In

VIII. In *Civitate Populi* Dei consideranda sunt, tum *Forma Regiminis*, tum *Status* illius Populi sub *illo Regimine*.

IX. *Forma Regiminis Civilis* Judaici Populi *in Canaane* (de Statu enim hujus Populi *extra Canaanem* satis in antecedentibus dictum:) hoc brevi Intervallo non minus quam superiore variavit.

X. In initio hujus Epochæ præerat adhuc Judæis *Herodes*, Idumæus, *Magni* cognomine notus, titulo *Regis*, Amici & Socii Imperatoris *Augusti*, cujus favorem sibi usque ad extrema vitæ tempora conservavit. qui omnino, si stent Josephi rationes, fatum suum obiisse videtur *Anno* August 40, qui sequutus est *Annum* Christi Jesu *Natalem*, de quo deinceps.

XI. Is *Regnum*, quod reliquerat amplissimum, Filiis suis *Archelao*, *Antipæ*, & *Philippo*, eum in modum Testamento divisit, ut illius majorem partem, Judæam, Idumæam, & Samariam, quæ *dimidiam* quasi *partem* Herodiani Regni faciebant, teneret *Archelaus*, titulo *Regis*: *Antipas* Galilæam & Peræam; *Philippus* Gauloniticam, Trachoniticam, Batanæam, & Paneada; titulo *Tetrarcharum*.

XII. De qua Herodis dispositione cum coram Augusto disputatum esset: Augustus eam potiore parte confirmavit: *Archelaum* tamen Judæis præesse voluit titulo *Ethnarchæ*, non *Regis*.

XIII. Qui

XIII. Qui cum hanc suam ditionem pessime administraret & hoc nomine à Proceribus Judæorum apud Augustum delatus esset: *decimo* Anno a morte Patris, Præfectura sua privatus & Viennam in Gallias ab Augusto relegatus est: quo tempore *Judæa Sceptrum amisit*, & tanquam Provincia Romani Populi Syriæ accensita, & à *Procuratoribus Romanis* recta est, *Facultatibus* jussu *Quirini* descriptis.

XIV. Seriem administrationis & successionis Regni Herodiani, ex Josepho potissimum repetendam, hoc schemate exhibemus.

Anni Augusti.

39.
40. *Herodes* M. amplissimus Judæorum Rex excessit.

Herodes	*Archelaus.*	*Phillippus.*
Antipas. Galilææ & Peraææ Tetracha. Injustus & pravæ indolis Princeps, in quo tamen aliquod adhuc studium externum Religionis ut in *Achabo*, sed to-	Ethnarcha Judæorum, Samaritanorum & Idumæorum: *Decimo* Ethnarchiæ Anno in exilium pulsus ab Augusto. Mentio illius Matth. II: 12. Procuratores Cæsaris Augusti in Judæa, obnoxii Præsidibus Syriæ *Copo-*	Filiorum, quos Herodes reliquit optimus: Gaulonitidis & Trachonitidis Tetracha. Superfuit usque ad Finem hujus Intervalli. Mentio illius Luc. III: 1. du-

totus

50	totus obnoxius *Herodiadi*, veræ Isabeli, Uxori Fratris Philippi, quam ingratiis Fratris sui ad se transtulit. quæ eadem necem machinata est *Joannis Baptistæ*. Mentio illius non infrequens in Evangeliis, Matth. XIV. 1. Luc. III: 1 XXIII. 7. Superfuit	*Coponius.* Vir equestris ordinis. Cum P. *Quirino* venit in Judæam.	dubium an etiam Matt. XIV. 3. num potius locus ille de alio quodam *Philippo*, Herodis filio, intelligendus sit; quod probabile ex Josepho.
53		*Marcus Ambivius.* Hujus tempore Salome, Herodis M. Soror, diem clausit.	
56		*Annius Rufus.* Hoc Procuratore decessit *Augustus*.	
Tiberii 2.	per totum hoc Intervallum.	*Valerius Gratus.* In *Annii Rufi* locum à *Tiberio* in Judæam missus.	
13		*Pontius Pilatus.* Ex Historia Euangelica notus. Superfuit usque ad Finem hujus Intervalli.	

XV. *Status* vero *Populi* Judæi *Civilis* sub his Principibus & Præfectis passim, utique in Judæa & Galilæa; minime lætus fuit & optatus; etsi Gens Judæa ipsa quam maxime floreret;

ret: quippe à quibus majorem in modum vexabatur & expilabatur. Herodiani Principes exactione tributorum non suæ tantum ambitioni debebant satisfacere, sed & avaritiam Præsidum Syriæ satiare. Procuratores autem Romani, quos inter eminuit Pontius Pilatus, insuper rapinis, injuriis, cladibus & cædibus Populum affligebant: ut de Pontio Pilato certus testis est *Philo*, Lib. de *Legatione ad Cajum*.

XVI. Quæ incommoda cum Judæi partim jam experirentur, partim extimescerent graviora, *Judas Galilæus*, Quirino censum agente, Gentem voluit vindicare in libertatem, excusso Romanorum jugo: sed irrito conatu, *Act.* v. 37.

XVII. Non paulo melior fuit aspectus hujus Gentis qua parte *Ecclesiam* fecit: sive illius *Statum Externum*, sive *Internum* respicias.

XVIII. *Externe* quidem sibi adhuc constabat Publicum Religionis Exercitium secundum præscriptum Mosaicæ Legis in Templo ab Herode splendide ornato sub *Pontificibus* & *Sacerdotibus*. Synagogarum quoque & Scholarum, Doctorum & Studiosorum Eruditionis Legalis, (qui νομικοὶ, γραμματεῖς, &c.) tanta per totam Canaaæam fuit copia, quanta nunquam alias.

XIX. Quis negat tamen, valde imminutum esse Religionis decus, quando *Pontifices*, Religionis externæ summi Præfecti, ad arbitrium *Herodis* aut *Herodiadum*, vel etiam *Præsidum* *Syriæ*,

Syriæ, aut *Procuratorum Judeæ*, constituti & rursus ab officio remoti sunt, absque ulla habita ratione Successionis Legalis, Dignitatis, & Dotium, ad hoc munus requisitorum? Familia tamen *Anani*, qui in Euangeliis *Annas* dicitur, cujus gener fuit *Josephus Cajaphas*, hoc honore præ aliis claruit circa & diu post ætatem Christi, ut patet ex Eusebio; clarius ex Seldeno.

XX. Sed vero ejusdem illius Ecclesiæ fuit conditio miserrima, si quis *Interiorem* illius *Constitutionem* respiciat; h. e. *Virtutes* & *Vitia* hominum, quibus Ecclesia constitit.

XXI. Doctrina, quæ à Doctoribus in Scholis & Synagogis tradebatur, erat Literalis & Superficiaria, & in plurimis ac gravissimis Religionis Capitibus corrupta. Pietas & severitas morum, quam præ se ferebant *Pharisæi*, ficta & simulata, dum ambitione, avaritia, invidia, odio, æmulatione, aliisque vitiis intus deformes & coram Deo abominandi erant; *Sadducæi* sententiis profani & moribus turpes ac scelerati, quorum Princeps erat *Herodes Antipas*, unde eidem quoque dicti *Herodiani*; *Plebis* Pars dementata hypocrisi Doctorum suorum, flagrabat erroneo zelo *Justitiæ Operum ex Lege*; Pars alia erant *ἁμαρτωλοὶ graviores Peccatores*, qui induerant mores Gentium; vita vel impuri vel flagitiosi. *Pauci* supererant tanta in multitudine hominum, qui de *vera Israelis salute* recte sentiebant, & eam ardentibus votis *expectabant*.

XXII. Hoc

XXII. Hoc ſtatu rerum homines in his terris inviſit Filius Dei Jesus, verus *Meſſias*, ſive Christus; Patribus à longa ſæculorum ſerie promiſſus, & Typis, Vaticiniis, ac Viſionibus ante frequens deſcriptus, unicus electi Seminis *Aſſertor* & *Soſpitator:* cujus *Hiſtoria* Alteram & Præcipuam Partem facit Rerum hoc Intervallo geſtarum. Hoc enim *Caſu* nullum in omni hiſtoria reperias illuſtriorem.

XXIII. *Hiſtoria Chriſti* complectitur Chriſti Jeſu *Ortum*, *Vitam*, *Exitum*, &, quæ mortem ſequuta ſunt conſectaria, Ἀνάςασιν & Ἀνάληψιν.

XXIV. In Hiſtoria *Ortus* Chriſti conſideranda ſunt Chriſti Jeſu *Conceptio* & *Nativitas.*

XXV. *Conceptio* autem cum ſupponat *Generationem:* docet Hiſtoria, *Spiritum* aliquem *Sanctum* (Πνεῦμα ἅγιον) h. e. *Perſonam* aliquam *Divinam*, ſua virtute omnipotente impleſſe uterum *Mariæ*, caſtiſſimæ & pientiſſimæ Virginis, deſponſæ *Joſepho*, honeſto & ſancto Viro, quæ prolem à ſe conceptam ſecundum naturæ Leges ſtato tempore enixa ſit.

XXVI. Tota hiſtoria & doctrina Euangelica ſupponit, *Mariam* æque ortam eſſe *tribu Juda* & *Familia Davidica*, ac *Joſephum*, de quo illud ex *Genealogiis* & clariſſimis Euangeliſtarum teſtimoniis certiſſimum.. etſi Marcus Antonius de Dominis & Ludovicus Wolzogenius, aliique forte inter Doctores Chriſtianos

recentiores (ut de antiquioribus sileam:) nihil absurdi viderint in sententia, *Mariam* tribu *Levi* esse oriundam; quod olim Celsus, Porphyrius, aliique Christiani nominis hostes contendebant.

XXVII. Dubium etiam an utraque Genealogia *Matthæi* & *Lucæ* pertineat ad *Josephum*: ut Evangelistæ historiam suam secundum hanc conscripserint hypothesin, quod *Maria* omninò censenda sit in *Josepho*, cui solenniter erat *desponsa*, adeo ut ejus γυνὴ *uxor* haberetur: num potius *hæc* sit *Mariæ* per Patrem ejus. *Genealogiarum* autem conciliandarum, si ambæ ad Josephum referantur, optimam & maxime probabilem rationem jam olim tradidit Africanus, inter Veteris Ecclesiæ Doctores politioris judicii Vir.

XXVIII. Præcipue autem hic attendendum ad *Casus*, & *Circumstantias* illustris hujus *Nativitatis*: quos cum brevioris compendii ratio non ferat omnes recensere & illustrare, duas hic potissimum observare suffecerit, *Loci* & *Temporis*.

XXIX. De *Priore* nulla prorsus est controversia. Certum enim, Christum Dominum in lucem Mundi editum esse *Bethlehemi* in *Judæa*, quæ urbs non magna, illustrium Virorum & ipsius præsertim *Davidis* natalis, Hierosolymæ sita est ad meridiem in colle, *sex* admodum *passuum millibus* ea distans.

XXX. De *Tempore* Christi nati in genere

quidem ex Historia Euangelica constat, tantum beneficium mortalibus obtigisse clavum Imperii apud Romanos tenente AUGUSTO; apud Judæos regnante *Herode*, Seniore. Superest tamen, de quo inter Eruditos disputetur, sive jam, quo præcise *Anno* cujuscunque Æræ Celebrioris Christus Jesus lucem videre cœperit; sive, quo Anni *Die*, aut *Tempestate*. Utrumque enim obscurum habetur & incertum.

XXXI. *Æra Dionysiana* Natalium Christi, quam Christianismus jam à longo tempore sequutus est, & nos quoque nunc in Computo familiariter adhibemus, supponit, Christum Jesum natum esse sub finem Anni P. J. 4713, qui est *Julianus* (h. e. à Calendario reformato per Julium Cæsarem:) 45, *Augusti* (à Primo ejus Consulatu:) 43: atque adeo secundum illam hypothesin *Primus Æræ Christianæ Annus* fixus est in Anno sequente, qui est P. J. 4714. *Jul.* 46. *Aug.* 44. *V. C.* 754. *Olympiad.* 197. *Anno.* 1. *Cycl.* S. 10. *Cycl.* L. 2. *Ind.* 4. Coss. *Cajo Cæsare* & *L. Æmilio Paulo.* sive jam ipse *Dionysius Exiguus*, Abbas Romanus Sæc. 6. qui primus Christianos in Occidente Annos à Christo nato numerare docuit, vere hunc ipsum Annum hac nota insigniverit; sive potius Beda postmodum hanc sententiam Dionysio per errorem adscripserit, quæ deinde ob fidem & auctoritatem Bedæ absque diligentiore examine recepta sit; cum potius Dionysius

fius ipse *Æram Incarnationis* auspicatus sit ab Anno antecedente, sive Juliano 45. ut Petavius, Langius, aliique probabiliter disputant.

XXXII. Passim tamen nunc receptum est, paucis in contrarium nitentibus, in hac Epocha figenda non exiguum commissum esse errorem, *tum* quod præcipui & antiquissimi Ecclesiæ Doctores, qui Dionysium præcesserunt, Irenæus, Tertullianus, Clemens, Eusebius, &c. de Anno Christi natali diversum senserint ut plurimum tradentes aut supponentes, Christum Jesum editum esse Anno *Augusti* 41 (Annis Augusti computatis *à primo ejus Consulatu*, quod contra Pagium hic observandum:) sive *Juliano* 43 h. e. biennio ante *Æram Vulgarem Dionysianam: tum* vel maxime, quod non videatur conciliari posse cum *characteribus* Anni Christi *Natalis*, qui ex Historia Euangelica facile enotari possunt.

XXXIII. Sed vero cum auctoritas Patrum, quibus in Chronologia Christi tuto fidere non licet, hic minoris sit momenti: facile consentient Doctiores, hic præcipue habendam esse rationem *Characterum*, qui ex historia Christi, ut ab Euangelistis conscripta est, possint observari,

XXXIV. Characterum illorum *Primus* est, quod Lucas referat, Christum Dominum illo natum esse Anno, quo facta sit ἀπογραφὴ *De-*

 scrip-

ſcriptio aliqua, & quidem πάσης τῆς οἰκυμένης *totius terrarum orbis, juſſu Cæſaris Auguſti:* cujus imperio ut parerent Joſephus & Maria, illos ex Galilæa profectos eſſe *Bethlehemum* in *Judæam*, ubi Maria fœtum ſuum enixa ſit.

XXXV. Nec tamen hic *Character* temporis ita comparatus eſt, ut nos ducere poſſit in certiorem hujus hiſtoriæ cognitionem. Exteri enim Scriptores hujus Ἀπογραφῆς *Deſcriptionis* nullam prorſus faciunt mentionem: & Lucas ipſe in ſua hiſtoria non meminit hujus *deſcriptionis*, ut eam adduceret tanquam *characterem temporis Nati Chriſti*, ſed ſolummodo cauſſam explicaret, cur *Meſſias* natus ſit *Bethlehemi:* tum prætérea verba Lucæ, de hac *Deſcriptione* accurate, ut videtur, loquentis, non unam pariunt difficultatem, ſi cum *Circumſtantiis* illius temporis ex Hiſtoria profana notis conferantur.

XXXVI. Primo enim obſcurius videtur, quod Auguſtus imperaverit *Deſcriptionem*, vel *Cenſum* Incolarum Judææ, *regnante* inter eos *Herode:* Deinde quam difficillima intellectu eſt hujus *Deſcriptionis* declaratio, quam per modum παρενθέσεως ſuæ Hiſtoriæ inſeruit Lucas: Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίυ. quibus verbis dicere videtur Hiſtoricus, hanc Deſcriptionem eundem illum eſſe *Cenſum*, quem in Judæa egit Publius Sulpitius Quirinus, *Syriæ Præſes*, quo tempore *Archelaus* Viennam relegatus eſt.

XXXVII.

XXXVII. Qui tamen sensus admitti non potest cum ob alia, tum quod Matthæus Evangelista & ipse Lucas, exerte scripserint, Christum natum esse *superstite* adhuc inter mortales *Herode Seniore.*

XXXVIII. Cum vero certum sit, sub extrema Herodis *Quirinum Syriæ* ordinario Imperio *non præfuisse*; & variæ rationes obstent, quominus dicamus, *Quirinum* ad hanc Ἀπογραφὴν extra ordinem ab Augusto fuisse delegatum: quæ sententia cæteroquin à Chronologorum plurimis tenetur: nec dicere etiam sustineamus, hanc parenthesin ab alia esse manu quam Lucæ: vel, Lectionem hujus parenthesis in nomine Κυρηνίου esse corruptam: gratias debemus Eruditis Viris, qui post Herwartum, Steuberum, Coccejum, & alios, certius adstruxerunt, verba Lucæ hanc commodissime ferre posse interpretationem: *Hæc descriptio prius facta est, quam Syriæ præesset Cyrenius.*

XXXIX. Etenim quando πρῶτος opponitur τῷ δεύτερος (ubi de *duobus* sermo est:) eodem modo construi solet quo *comparativum* πρότερος, h. e. cum *Casu Genitivo*, quia in vicem *comparativi* usurpatur, *Joh.* I. 30. XV. 18. nec desunt exempla apud Profanos. ut adeo immerito id aliquibus durum videatur.

XL. Supponendum itaque, Lucam, hæc scribentem, intentum fuisse *duabus Descriptionibus*, in Canaane factis, quarum cum *Posterior,*

rior, facta à Præside Syriæ Quirino in *Judæa*, Judæis multo notior & celebrior esset *Priore illa*; Lucas prudenter monuit lectorem, se de *Posteriore* illa *Descriptione* quæ facta sit sub *Quirino*, non loqui, sed de alia, quæ per *totam* οἰκουμένην (non tantum in *Judæa*:) facta sit annis aliquot ante Præfecturam *Quirini*.

XLI. Celebrior autem & notior Judæis fuit illa *Descriptio*, quæ facta est sub *Quirino*, priore illa, de qua Lucas, quia *Quirini* illa *Descriptio* fuit ἀποτίμησις οὐσιῶν *Descriptio Facultatum*, qualem Romani in Populis bello victis *tributi caussa* instituebant, quæ Gentibus, Romano Imperio obnoxiis, molestissima fuit, &, cum in Judæa sub Quirino fieret, magnas turbas dedit auctore *Juda Gaulonita*, sive *Galilæo*: sed *Descriptio* illa *Herodiana*, Augusti jussu facta, fuit Ἀπογραφὴ *hominum*, sive *Familiarum & Personarum*: qualem in *Regno Socio* Populi Romani fieri, non repugnabat.

XLII. Cum igitur ex hac nota temporis nihil proficiamus ob defectum Historiæ profanæ: subsidium petitur ab alio quodam loco Lucæ, cap. III. 1. 2. in quo *Joannes Baptista* Ministerium suum inter Judæos *exorsus esse* dicitur *Anno Imperatoris Tiberii quinto decimo*; Judæi vero magno numero & confluxu ab illo baptizati; & *Christus* quoque *Jesus* inter cæteros aqua tinctus esse, tum temporis ὢν ἐτῶν ὡσεὶ τριάκοντα *Annos* natus QUASI *triginta*.

XLIII.

XLIII. Quod si Christus, ut vulgo ex hoc loco supponitur, *Anno Tiberii quinto decimo* jam implesset ætatem 30 Annorum: fieri plane non potest, ut incarnatus sit Anno Augusti 43, sed potius Augusti 41: quia *quintus Decimus* Tiberii secundum Æram Dionysii respondet 28 Anno Christi, ut ex collatione instituta inter Annos Augusti & Tiberii cum Æra Vulgari facile liquet: ut adeo statuendum sit, Dionysianam Æram ad minimum per biennium posteriorem esse vera Natalium Christi Epocha.

XLIV. Si tamen non fallor, aliquanto plus ex loco Lucæ passim colligitur, quam in eo jacet. Lucas non dicit, Christum 15 Tiberii egisse 30 Annos, sed Joannem Baptistam Anno 15 Tiberii Ministerium suum auspicatum esse. Non video autem, absurde statui, Christum Dominum *Baptizatum*, vel *Officio Doctoris* fungi cœpisse inter Judæos biennio post auspicia Joannis Baptistæ; nec video etiam id cum historia Lucæ non posse conciliari.

XLV. Quare ne ex hoc quidem temporis Natalium Christi *charactere secundo*, si seorsim consideretur: certo colligi posse putem, *Dionysium Æram Nati Christi male fixisse*, nisi aliud accederet, quod omnes hujus Æræ rationes penitus conturbat.

XLVI. Nempe, qui *tertius character* sit hujus, in quod inquirimus, temporis: Matthæus, & Lucas quoque, in historia sua diserte

 tradit,

tradit, Christum natum esse superstite adhuc inter vivos *Herode*, *Seniore*. Herodem autem Seniorem ante 44 Annum Augusti vivere desiisse, nemo negat, nisi qui Historiæ Josephi omnem negat fidem, ut nuper instituit Cl. Harduinus: quod tamen non videtur esse hominis bene consulti.

XLVII. Neque tamen, si quis vel maximam Josepho fidem tribuat; sic omnia satis salva sunt & clara, cum Docti, quorum quisque suis hypothesibus litat, quæ Josephus satis perspicue & ὁμοφώνως de Annis Herodis, ejusque Filiorum Archelai, & Philippi, scripsit, confundant, & suis illis disputationibus limpida turbent.

XLVIII. *Herodis* Magni, qui dicitur, quo regnante ὁ Κύριος natus est, duo sunt initia. *Alterum*, à quo Romæ Rex designatus est ab Antonio & Augusto; *Alterum*, à quo, expugnatis Hierosolymis & victo Antigono, in plenam Regni potestatem venit. A *Priore* usque ad Ejus excessum sunt Anni 37, à *Posteriore*, 34.

XLIX. Utriusque Epochæ principia suis characteribus à Josepho industrie notata sunt. *Regem* factum esse dicit Josephus, *Cn. Domitio Calvino* II & *C. Asinio Pollione* Coss. qui est Annus Jul. 6. Aug. 4. Regnum vero ab Herode occupatum esse, *M. Vipsanio Agrippa* & *L. Caninio Gallo*, Coss. qui est Annus Jul. 9. Aug. 7.

L. Unde

L. Unde indubitato colligendum videtur, Herodem diem suum obiisse, vel in fine Anni Jul. 42. Aug. 40; vel in initio A. J. 43. Aug. 41. *ante Pascha.* Annus enim Herodis Regis 37 terminatur in A. Jul. 43. quippe Regnum currente Jul. VI. primum iniit *Autumno.* Ante *Pascha* vero eum mortuum esse, liquet ex Josepho. etsi sane optandum esset, ut Josephus *emortualem Annum Herodis* tam *certis characteribus* consignasset quam *Regni* ejus *natales.*

LI. Certe si Herodes secundum traditionem Judaicam *Megillath Taanith* obierit *Mense Casleu:* absque dubitatione viveret desiit Anno *Jul.* 42. *Aug.* 40. P. *Jul.* 4710.

LII. Cui hypothesi optime consentiunt, quæ Josephus de Annis Archelai & Philippi, Filiorum Herodis, & Dio quoque de Annis Archelai, habet. ne Observationem aliquam Cœlestem, sed quæ hic incerta est, in partes vocem.

LIII. Cæterum cum ex historia Evangelica colligendum videatur, non adeo longum temporis intervallum interfluxisse inter *Natales Christi*, & *Herodis mortem:* omnino videntur Natales Christi veri figendi esse in hoc ipso anno.

LIV. Qui tamen majus hic interstitium postulant, aut Herodem *ante Pascha* Anni Jul. 42 fato functum, supponunt, (quod tamen citra necessitatem fit:) referunt *Natalem Domini*

in Annum proxime præcedentem, *Jul.* 41. *Aug.* 39. atque adeo statuunt, Dionysianam Æram solido *quadriennio* vinci à vera Æra Natalis Christi; quam sententiam Dekerii, fere in partu extinctam, postmodum peritissimi Chronologi, inter quos Usserius, calculo suo probarunt. Quin ipse Petavius: *Si Josephi ac Dionis auctoritatem sequimur*, (atqui illas hic spernere, tutum non est:) eam *probabilem maxime videri*, fassus est. Quibus, si *Natales* Domini longius ab emortuali Die Herodis omnino removere voluisset Pagius, nomen suum ratione magis probabili adscribere potuisset, quam amplecti hypothesin, à Keplero, insigni Mathematico, in medium productam, quæ Annum Domini Natalem conjicit in præteritum, hoc est, *Jul.* 40. *Aug.* 38. à Petavio refutatam. De Scaligero enim, qui Herodem decessisse statuit *Anno Jul.* 45. *ante Nisan*, & Christum Jesum natum Anno Jul. 43. Aug. 41. *Period. Jul.* 4711. *in fine* aut 4712. *in principio*, quem fere Calvisius, Langius, alii, sequuntur, hic non adeo sumus soliciti, cum sententia illa historiæ Josephi minus congruat; licet Veterum plures ita præiverint.

LV. Difficultas, quæ adversus hypothesin nostram movetur ex *Luc.* III. 23. ubi dicitur Christus ἀρχόμενος, hoc est, ut videtur, *se incipiens Judææ Genti manifestare*, aut Munus publicum auspicatus, fuisse ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα *quasi*

quasi triginta annorum, *quinto Decimo Anno Imperatoris Tiberii*, cùm tamen ætatem *triginta annorum* secundum nostram hypothesin jam statui debeat supergressus esse Anno Imperii Tiberiani *quinto decimo*; ab Eruditis Viris hoc modo removetur, ut *vel* contendant, Græcam comparativam ὡσεὶ aliquam in significatione admittere posse latitudinem; vel statuant, Lucam Imperii Tiberiani Annos putasse secundum *Imperium* illud *Tiberii Proconsulare in omnes Provincias Romani Imperii*, quod ab Augusto biennio ante ejus excessum in eum collatum est; de quo mox. Prius hic facilius, & vere nulla laborat difficultate.

LVI. Quod si jam tempora, quæ lapsa sunt à Mundo Condito usque ad Natalem Christi, rudiore calculo in summam trahantur: dabunt illa nobis Annos 4010,

A. M. C. ad Mundum à Diluvio restitutum:	1656.
A Diluvio usque ad Abrahamum;	427.
Inde usque ad Ἔξοδον;	430.
Inde usque ad Fundatum Templum:	480.
Inde usque ad IV Jehoiakimi, à quo numerantur 70 Anni Exilii Babylonici;	415.
Inde usque ad initia Judæ Maccabæi;	440.
Inde usque ad Veram Æram Natalium Christi;	162.
	4010.

LVII. Cæterum ut Annus Natalium Christi Jesu non nisi summa cum difficultate detegi potu-

potuit ab Eruditis Viris: sic merito metuendum, ne opera omnis, quantumvis magnorum ingeniorum, frustra impendatur quærendo ejusdem nostri Assertoris *Diei Natali*, quem Ecclesia celebrare solet VIII Kal. *Jannarii*, sive XXV *Decembris.* quod institutum Ecclesiæ Occidentalis (incertum, cujus præcise temporis:) Orientalis Ecclesia sequuta est ab usque Sæc. V. cum ante illud tempus τὰ Ἐπιφάνια Christi coleret VI *Januarii.*

LVIII. Langius quidem summa fidentia jactat, Traditionem Occidentalis Ecclesiæ non tantum *esse verisimilem* sed & *veram:* etsi interea nihil certius sit, quam traditionem illam levissimis rationibus subnixam esse. Scaliger autem, neglecta disputatione de *Die Natali*, de qua prudenter statuit nihil certi definiri posse: *Mensem* Christi Jesu *Natalem* ingeniose demonstrare conatus est *Septembrem* ex successione Ephemeriarum Sacerdotalium post tempora Maccabæorum: quæ demonstratio, si vel maxime certi essemus de Anno Christi Natali, quibusdam adhuc laborat incommodis, quibus nunquam expediri poterit.

LIX. Plane ut difficultate omni libera non est alia quædam docta vere & ingeniosa Observatio, quæ ex traditione Libelli *Megillath Taanith*, qua Herodes mortuus esse dicitur *septimo* Mensis *Caslew*, qui hoc anno secundum Livelejum incidit in 25 *Novembris*, collata cum

Cha-

Characteribus quibusdam in Historia Evangelica consignatis, veluti; *Christum Jesum Deo ex Lege oblatum esse in Templo die quadragesimo primo Puerperii Mariæ*; & quidem *post fugam in Ægyptum*; *septiduo* circiter post mortem *Herodis* & initia *Archelai*; (quippe Matthæus Evangelista terminum habitationis in Ægypto copulat cum die emortuali Herodis, sive primo Regiminis Archelai; & Lucas reditum in Galilæam cum Sacris Puerperii Mariæ;) colligit, Christum natum esse trigesimo tertio circiter die ante obitum Herodis, ac proinde *Octob.* 22.

LX. Præterquam enim quod Historia Josephi de tempore obitus Herodis minus faveat traditioni Judaicæ in *Megillath Taanith*, & *Accidentia* & *Consequentia* Nativitatis Christi & *Fuga* in Ægyptum ac *Reditus* ex Ægypto, plus temporis videantur requirere, quam hæc hypothesis admittit: obstare etiam videtur locus *Matth.* II. 12. Vellem itaque dictum *Lucæ*, cap. II. 39. *de reditu in Galilæam post sacra puerperii* non tam presse interpretari, acsi inter illa Sacra & Fugam in Ægyptum nihil aliud intervenisset, cum Historici casus, tempore disjunctos, sæpius inter se connectant ut continuos, nec tamen intermedia excludant; ut exemplum est notabile in ipso Luca in historia Pauli *Act.* IX. 26. coll. cum *Gal.* I. 17. ut adeo Josephus & Maria sacris defuncti ad res suas componendas putari queant rediisse Bethlehemum,

non

non procul Hierosolymis distantem, & post breve moniti fugisse in Ægyptum, & inde prætereuntes Hierosolymam, ubi sedes erat Archelai, quem metuebant, reversi esse in Galilæam. Bethlehemi enim illos fugam in Ægyptum suscepisse, non ex Galilæa, omnino statuendum videtur, dissentiente Usserio. Nec tamen hanc sententiam, speciosum & boni ingenii fœtum, plane sepono; quin consideratione dignissimam habeo.

LXI. *Natus* Christus Jesus à Parentibus secundum Mosaicam Legem habitus est; & pie, circumspecte, ac honeste *educatus* Nazarethæ in Galilæa post reditum ex Ægypto: tum etiam singulari cura Spiritus S. paratus ad præclarum illud officium, cui administrando, Divino Consilio, destinatus erat. Legit & meditatus est diligenter Verbum Dei, & Sermones de eo seruit cum Doctis Viris, ubi id ferebat occasio. An artem quoque fabrilem tractarit, quod aliqui colligunt ex *Marc.* VI. 3. incertum. Absurdum non est ita sentire, quia novimus, Christum *in omnibus tentari debuisse, ut nos.*

LXII. De singularibus quibusdam *Casibus*, qui Christo acciderunt, dum apud Parentes privatam egit vitam, ut sunt *Reverentia, ipsi exhibita à Magis ex Oriente; Fuga in Ægyptum; Infanticidium Bethlehemiticum; &c.* nihil nobis aliunde liquet quam ex Historia Evangelica: cujus simplex & sana narratio probe distinguenda.

da est à Fabulis, quibus Christinani sequiorum temporum eam adsperserunt.

LXIII. Postquam *triginta Annos natus* esset: se Judæis manifestum facere cœpit tanquam נגיד *Ducem Populi Dei*, à JOANNE Sacerdote, qui *viam ipsi paravit* concionibus ad Populum pœnitentialibus, Baptizatus, & Muneri Publico, præcipue *Prophetico*, à Deo singularibus quibusdam gratiæ signis inauguratus: deinde etiam illo *Munere Doctoris* Publici & Summi Prophetæ adsiduis institutionibus & frequentibus miraculis in Galilæa & Judæa fideliter functus; usque quo, Deo secundum æternum Consilium suum permittente, à Judæorum Proceribus apud Pontium Pilatum fictorum criminum ex invidia falso accusatus, à Romanis cruci suffixus est.

LXIV. Ex qua morte tertio die Divina potentia in vitam revocatus, postquam cum familiaribus suis per quadraginta dies versatus esset in Galilæa, ex Monte Oliveti, qui Hierosolymæ est ad Orientem, evectus est in cœlos, & summam illam capessivit gloriam ac majestatem, quæ ipsi à Deo Patre post τὰ παθήματα decreta erat.

LXV. Quæ Christi Jesu Dicta, Gesta, & Casus, cum instituti nostri ratio non ferat prolixe enarrare & exponere, tanquam quod Commentatores & Harmoniæ Evangelicæ Scriptores, & qui Natales ac Passionem Christi docte

illu-

illustravit, Cl. Bynæus, abunde præstiterunt: negligenda tamen nobis prorsus non sunt, quæ extra Historiam Evangelicam in Historicis Monumentis illius ævi de Christo feruntur extare.

LXVI. Monumenta de Christo præter Historiam Evangelicam duo habemus: Literas *Abgari* (sive *Agbari*) Edessenorum Principis ad Christum, ac Christi ad ipsum responsorias, quas utrasque in Historia sua ex Archivis Edessenis exhibet Eusebius; & testimonium de Christo, quod hodieque in *Josephi Libris Antiquitatum* legitur.

LXVII. Sed quid dissimulem, utrumque illud Monumentum mihi esse suspectum? De Christi Literis ad Agbarum, de quibus Doctissimi aliqui in Anglia Viri benignius sentiunt, & nuper quoque Cl Caveus: neminem puto dubitare posse quin sint spuriæ, nisi qui nimia affectus sit reverentia erga Antiquitatem, quæ tot aliis in casibus nobis imposuit atque illusit.

LXVIII. De Josephi autem illo celebri testimonio de Christo, ita existimo; graves esse rationes, quæ suadeant, illud à Josepho profectum non esse: quam tamen sententiam ab Eruditis Viris jam defensam, si quis paulo putet audaciorem; dicat ille, Josephi hanc laciniam historicam de Christo à Christianis quibusdam, qui pias fraudes amabant, esse interpolatam. Scripseritne Josephus hac verba: Εἴγε ἄνδρα

αὐτὸν

αὐτὸν λέγειν χρή. Credidit ne igitur, Christum *Deum* esse aut *Angelum*? Tum etiam illa: Ἐφάνη γὰρ αὐτοῖς τρίτην ἔχων ἡμέραν πάλιν, τῶν θείων Προφητῶν ταῦτα καὶ ἄλλα μυρία θαυμάσια περὶ αὐτοῦ εἰρηκότων. Non facile inducar ut credam, Josephum hæc scripsisse verba, nisi concedatur, Josephum non *pene*, ut vellet Usserius, sed vere & penitus fuisse Christianum. quod tamen longe à vero abest. Certum aliunde est, Josephum quibusdam locis à Christianis quibusdam, non optimæ fidei hominibus, esse adulteratum.

LXIX. Functus autem est Christus Jesus Munere illo suo per *totam Canaanæam*, quam tanquam *Terram Immanuëlis* pede suo calcare debuit. Peræam & Samariam quoque ipsam non neglexit, etsi in Galilæa & Judæa potissimum versatus sit.

LXX. Quantum *temporis* officio huic suo administrando apud Hebræos insumpserit, & quo præcise Anno illud *inceperit* & *absolverit*; facilius movetur dubium quam solvitur, cum Evangelistæ id nullibi explicate tradant. Nec tamen hic prorsus omni luce sumus destituti.

LXXI. Et *primo* quidem tuto asserimus, Christum Functionem Muneris sui orsum non esse ante *quintum decimum Annum* Tiberii Imperatoris, qui illigatur Anno Æræ Vulgatæ XXVIII. *Ap. Julio Silano*, & *P. Silio Nerva* Coss. Ante enim illud tempus non est *baptiza-*

tus, fide loci *Luc.* III. I. imo probabile est, non esse initiatum Muneri publico per baptismum, nisi anno sequente, Æræ Vulg. XXIX, quo incepit Tiberii XVI.

LXXII. Dissentiunt equidem post Herwartum, M. Antonius Capellus, Isaacus Vossius, Usserius, & novissime Pagius ac Shelstratius, qui per *Annum* Tiberii *quintum decimum*, cujus Lucas meminit, consignaturus initia Joannis Baptistæ, intelligi volunt Annum *Imperii* Tiberii *Proconsularis*, quod alii biennio, triennio alii, antevertere volunt verum initium Imperii Tiberii, quod decurrit à morte Augusti: quæ tamen hypothesis, ficta tum ad hunc locum Lucæ cum suis hypothesibus de anno natali Christi concilandum, tum ad defendendum errorem Patrum, qui Christum *sexto decimo Tiberii* passum esse volunt, quacunque cum specie à Doctis Viris commendetur, solide à Petavio, & nuper à Cl. Basnagio, confutata est.

LXXIII. Deinde certum haberi debet, Christum ad minimum in Munere suo Publico versatum esse per *biennium*, siquidem tria ejus distincta Paschata, sibi ordine succedentia, enotari possunt ex historia Evangelica Joannis. Unde mirandum, Veteres aliquot Ecclesiæ Doctores, vere temporum negligentiores, Christi Jesu Ministerium uno tantum anno circumscripsisse, & annum ejus θανάσιμον designasse An-

num

num *Æræ Vulg.* xxix. Tiberii xvi. *C. Fufio Gemino*, & *P. Rubellio Gemino* Coss. quorum errori mirum pariter est patrocinium voluisse præstare eruditum & recti judicii Virum, Gerardum Joannem Vossium.

LXXIV. Imo probabile est, inter duo hæc Paschata medium intercessisse aliud, cujus certa significatio est in Sabbatho δευτεροπρώτῳ, *secundoprimo* cujus mentio *Luc.* vi. 1. quod *Pascha* aliquod proxime sequutum est; & tamen demonstrari potest non esse vel primum vel secundum Pascha Joannis. An vero idem designetur per ἑορτὴν *Festum*, *Joh.* v. 1. magis dubium. Unde sequitur, Dominum non minus quam *trienium* inter Judæos docuisse. Petavius tamen cum quibusdam Veterum pro *tribus Paschatibus*, h. e. biennio Ministerii Christi, disputat.

LXXV. Nec tamen hactenus de *termino Ministerii Christi* quicquam certi intelligas; quam Christum passum non esse ante Pascha Anni *Æræ Vulg.* xxxii, in quem incidit *Tiberii* xix. quia, etiamsi concedatur, Evangelistas quatuor Paschata à Christo celebrata memorare, inde tamen nemo colligat, Christum plura non celebrasse: etsi illud probabile non esse, fatear.

LXXVI. Aliis igitur ex principiis illud erit repetendum; Historiæ nimirum Evangelicæ collatæ cum Historia Profana: Inter quæ sunt. *α.* Fieri non posse, ut Christus Dominus

passus sit post Pascha Anni Æræ Vulg. xxxv. quia Christus mortem sustinuit non imperante tantum Tiberio, cujus mors incidit in Annum Æ. V. xxxvii. sed & Præside adhucdum Judææ Pontio Pilato, qui ante Pascha Anni sequentis à Vitellio munere suo fuit remotus. Errat itaque Irenæus, quod Christo plures quam quadraginta annos adscribat. β. Christum Jesum passum esse tali Anno, quo *Plenilunium* incidit in *Feriam* vi, h. e. Diem Veneris. Christus enim ad mortem raptus est ipso *Festo Paschatis*, quod secundum Disciplinam Mosaicam ipso celebrandum erat *Plenilunio*; & quidem *feria sexta*, quæ solenne Sabbathum Legale proxime præcessit.

LXXVII. Mirum tamen, ut Docti soleant in rebus etiam liquidis tergiversari, quando per præjudicatas suas opiniones in diversa rapiuntur. Sunt qui negant, Christum in crucem actum esse *Die Veneris*, sive *Feria* vi, sed qui Christi passionem referunt ad *Diem Jovis*, sive *Feriam* v; simul statuentes, Christum Dominum Pascha suum per unum diem anticipasse; ut fidenter Langius. Sunt, qui Judæos circa illud tempus accuratas Pleniluniorum rationes secundum φάσεις Lunares non observasse contendunt, ut Petavius. Uterque ut nos quidem putamus, infeliciter. Minus tamen tolerabilis est Langii error.

LXXVIII. Secundum hæc itaque principia

pia Annum Diemque Christi θανάσιμον figimus in *Anno Æræ Vulgaris* XXXIII. *April.* 3. quando adhuc currebat Annus Imperii Tiberiani XIX. quam sententiam Rogeri Baconi, peritissimi Mathematices Viri, Sec. XIII, plures ex eruditioribus Chronologis adoptarunt, & inter illos egregii Baconi conterranei Usserius & Pearsonus.

LXXIX. Et eo quidem magis, quod in illum Annum quadret magnum illud *Deliquium Solis*, quod à Phlegonte, Liberto Hadriani, notatum est accidisse *Anno* IV *Olmpiad.* CCII. Hæc enim germana lectio est illius loci Phlegontis, ut excerptus est ab Africano: adversus quam quæ à Petavio, Pagio, aliisque disputantur, non admittimus.

SÆCULI I.

PARS II.

Ab *Anno Æræ Vulgatæ* XXXIII usque ad *A. ejusdem Æræ* CI, sive ad decursum Sæculi.

I. *Alterum* Intervallum hujus Sæculi complectitur historiam 67, & quod excurrit, annorum; estque bipartira. *Pars* concernit *Ec-*

clesiam *Judaeam*, usque ad Annum Æræ Dionysianæ 70, quando Deus, Templo & Republica subversis, libellum repudii palam misit huic *Ecclesiæ*, quæ ab illo tempore desiit esse & appellari *Populus Dei*; *Pars* spectat *Credentes in Christum*, qui post Dominum Cœlis receptum formari cœperunt in societatem, à Cœtu incredulorum Judæorum distinctam, quæ *Christiana* dicta est *Ecclesia*, sive *Populus Christi*, alasque suas jam hoc Sæculo late expandit.

II. Utriusque historiæ singularis est respectus ad Statum *Romani Imperii*, ejusque *Rectores*, & *Præsides Syriæ*. *Christiana* enim *Ecclesia* præcipue in terris Romæ subjectis fundata est, atque adeo res ejus rebus Romanis permixtæ; *Judæus* autem *Populus* per hanc Periodum vel subjectus fuit, vel obnoxius tum *Imperatoribus Romanis*, tum *Præsidibus Syriæ*, quorum auctoritatem proxime revereri debuit: quare utile erit illorum Successionem in brevi tabella exhibere.

Impp. Romani	A. Æ. V.	*Præsides Syriæ.*
Ad clavum Romani Imperii in initio hujus Periodi adhuc sedit	33.	Syriam cum Imperio post Quirinum, qui eam rexit usque ad A. Ær. Vulg. 12, administrarunt
Tiberius Nero, quanto provectior æta-		*Cæcilius Silanus Creticus*, *Cn. Piso*, *Cn. Sentius Satur*- *ni*-

ætate, tanto Imperii negligentior, & moribus deterior. Obitus ejus incidit in A. Æræ Vulg. XXXVII. Imperavit A. 22. M. 6. D. 26.

35. *nius*, *Pomponius Flaccus*, &, qui in nostrum hoc *Intervallum* primus incidit, *L. Vitellius*, à Tiberii *vicesimo secundo* hanc provinciam capessens.

Cajus Caligula,

37. nobili ortu, Germanici, à Tiberio Patruo jussu Augusti adoptati, Filius ex Matre Agrippina, M. Agrippæ ac Juliæ filia; nepos Drusi, Fratris Tiberii; Princeps tam egregio Patri ac Avo dissimilis, quam impius, omni vitio corruptissimus, & indolis malitia stultus. Imperavit A. 3, M. 10. D. 8.

39. *Publius Petronius.*

41. *Tiberius Claudius Drusus*,

42. Patruus Caji, Frater Germanici, Filius Drusi, Tiberii fratris ætate minoris, à militibus raptus ad thronum; tardioris & varii ingenii, nec tamen virtute omni cassus aut Imperio plane inutilis. Regnavit A. 13. M. 8. D. 20.

42. *Vibius Marsus.*

44. *Cassius Longinus*, suffectus Marso post obitum Agrippæ, secundum Josephum: etsi secundum Tacitum, diutius præfuerit.

51.

Claudius (Domitius) Nero, Cn. Domitii Ænobarbi, & Agrippinæ Minoris, Germanico genitæ, Filius, à Claudio, neglectis Britannici Filii sui utilitatibus, adoptatus, ducta in uxorem Filia Claudii Octavia, post primos Imperii annos detestabile omnis impietatis & vitiorum exemplum, memoriæ execrandæ. Præfuit Imperio A. 13. M. 7. D. 28.	54.	*Venidius Quadratus.*
	60.	*Domitius Corbulo.*
	65.	*Cestius Gallus.*
	67.	*P. Licinius Mucianus;*
Sergius Sulpitius Galba, nobili Gente Sulpicia ortus, Patre Consulari, Hispaniæ Tarraconensi cum Imperio Præpositus, à Julio Vindice, Galliæ Proprætore, cum jam provectus esset ætate, ad Imperium capessendum & vindicandam Neronis impietatem excitatus; nec tamen gratus Romanis. Tenuit Imperium M. 7. D. 7. obtruncatus cum Pisone quem adoptaverat ex conspiratione	68.	
Marci Salvii Othonis, Patre geniti L. Othone, honore-	69.	

Cui

nominibus claro, qui inauspicato Imperium ingressus, hoc Galba fuit infelicior, quod non aliorum sed suis manibus interierit post *trimestre* cum *biduo*, & locum fecerit

Aulo Vitellio,

Vitellii illius qui Syriam rexit, Filio; qui Germanicis Legionibus ut Legatus Consularis Præfectus, Imperium sibi vindicavit; sed eo indignus, perditus luxu. Sustinuit hanc dignitatem M. 8. D. 5. Rem collapsam restituit

Titus Flavius Vespasianus,

Gente Flavia ortus, hoc tempore Judaico Bello administrando præfectus. Princeps Reipublicæ salutaris. Regnavit per A. 10, demptis sex diebus.

Titus Flavius Vespasianus Augustus, 79.

Vespasiani Filius major natu confecto Bello Judaico clarus, bonæ indolis Princeps, ægre vitam reliquit

Cui à Vespasiano adversus Vitellium misso successit

Cæsennius Petus.

post A. 2. M. 2. D. 20. & Imperium fratri suo

Tito Flavio Domitiano, 81.

Principi superbo & crudeli, ingenii varii, sed passim ad deteriora vergentis. Imperavit A. 15. D. 5. Imperium suscepit.

Coccejus Nerva, 96.

Narniensis Italus, clarus tam ortu quam virtute & laude militiæ, ab ipsis interfectoribus Domitiani ad Imperium vocatus. Prudentiæ ejus hoc sit exemplum quod Vir bonus ipse firmandæ auctoritati suæ, cum jam grandis natu esset, adoptarit, simul ad Imperium vocarit

Ulpium Trajanum, 98.

Hispanum ortu, Germaniam hoc tempore administrantem, Principem, si naturæ dona spectes, indole optimum, rebus bello feliciter gestis, fortitudine, prudentia, clarissimum; & Imperio utilissimum. *Nerva* ipse in summa dignitate vixit, *Annum unum*, M. 4. D. 9.

Histo-

Historia Populi Judæi,

usque ad A. LXXI hujus Periodi.

I. *Historia Judæi Populi* hujus Intervalli peti potest ex Josepho, Philone, Suetonio, Tacito, Dione, ejusque, ubi deficit, *Eclogis* Xiphilini, Eusebio, collatis cum Historia Lucæ. Subsidium etiam adferunt *Numi Impp. Romanorum* ac *Præsidum Syriæ* in qua scientia eruditissimi Viri nostri temporis Norisius, Pagius, Toinardus, Harduinus, &c. se egregie exercuerunt; & ipsi quoque Judæorum Historici, R. Abraham in libro *Juchasin*, R. D. Ganz in *Tsemach David*, & R. Gedalia in *Schalschelet Hakkabbala*, præter *Talmudicos*, de *Successione Doctorum suorum Scholisque & Synedriis* celebrioribus, consuli possunt, sed ubique prudenter tractandi.

II. Est autem historia tam *Judææ Gentis*, in Canaanæa facientis *Rempublicam*, & *Religionem* suam ritu vetere colentis; quam *Judæorum*, extra Canaanæam ἐν τῇ διασπορᾷ, (בגלות) sive per Orbem totum Romani Imperii, & extra eum per Orientem magna copia *dispersorum*. Utriusque respectus est *Politicus* vel *Ecclesiasticus*.

III. *Respectus Politicus* Judææ Gentis in terra Canaan, vel est *stantis Reipublicæ* usque ad A.

A. Æ. V. 66, vel *cadentis* & lapsæ. Sacer pariter, vel Ecclesiæ, Divina Longaminitate adhuc toleratæ, & *Virgis Pacis externa*, & *Concordia interna*, rectæ; vel Ecclesiæ à Deo palam repudiatæ & *separata ab omnibus tribubus Filiorum Israël*, cum subverso Templo & Republica.

IV. *Politicus* Status Judæi Populi hoc Intervallo non fuit uniformis, sed semel iterumque variavit. Vel enim Judæi *Syria accensiti* & *redacti* in formam Provinciæ more Romano, paruerunt immediate, sive pars, sive universi, *Procuratoribus* Romanis, à *Syria Præsidibus* dependentibus; plane ut *Judæa* post Archelaum relegatum superiore Periodo: vel ad breve tempus sud *Cajo* & *Claudio*, & *Nerone* quoque, viderunt Regnum, sive integrum, sive partem ejus, rursus administratum ab *Herodiadis*, Patre & Filio, *Agrippa majore*, & *minore*, sed qui jam non pro *alienigenis* amplius, verum pro *Judæis* habebantur, secundum Leges Gentis, ac proinde Judæis gratissimi erant Principes.

V. *Agrippa Senior*, cuius in historia Lucæ mentio Cap. XII. I. 2. seqq. genitus erat Aristobulo, Filio Herodis magni ex *Mariamne*, ex Maccabæis orta, qui cum fratre Alexandro succubuit iræ Patri sfui Herodis, perinde ac ante eos mater ipsorum Mariamne. Ipse postquam tam in Judæa quam Romæ, ubi diu cum matre

vixe-

vixerat, bona sua splendido cultu dilapidasset, Aulam frustra sequutus, & præter *spem* nihil hactenus complexus, & jam ad extrema redactus, à Tiberio tandem commendatus fuit Cajo, & ab hoc post mortem Tiberii eductus è carcere, (in quem interea temporis Cajo nimium adulatus à Tiberio conjectus fuit :) & *tetrarchia* Patrui sui *Philippi*, *Trachonitidis* & *Batanaa*, primum à Cajo donatus, titulo *Regis*; mox etiam *Tetrarchia* alterius sui Patrui, *Herodis Antipa*, *Lugdunum* in Gallias relegati, *Galilea* nimirum & *Peraa*; & tandem à Claudio restitutus *integro Regno Herodis Magni*, Avi sui, adjecta tetrarchiis, quas jam possidebat, *Judaa*, & *Idumaa*, & *Abilena* quoque quæ *Lysania* fuerat.

VI. Quippe *Herodes Antipas*, Tetrarcha Galilææ, sanguine Joannis Baptistæ pollutus, ab ambitiosa Conjuge *Herodiade*, sceleris illius conscia, ipsius hujus Agrippæ sorore, impulsus, ut ad exemplum fratris sui, *Regia dignitatis* titulum à Cajo peteret; ab ipso Agrippa apud Cajum delatus, incidit in ejus indignationem, & *tetrarchia* sua multatus, in exilium missus est in Gallias; cujus calamitatis comitem esse, non recusavit Herodias, ambo divinam vindictam experti.

VII. Sed Princeps hic, ad summam evectus dignitatem, Judææ Genti gratissimus, generosus indole, splendidus, promovens pro virili

commoda Populi, post persecutionem intentatam sanctis, & fusum sanguinem Apostoli Jacobi majoris, cum floreret maxime, à Deo percussus plaga ventris, *γενόμενος σκωληκόβρωτος ἐξέψυξε erosus à vermibus exanimatus est*, ut Lucas, satis hic consentiens Josepho. Sic *obscuratus est Sol Judææ Gentis*, & *ipso meridie occidit*. Filias reliquit *Berenicen*, Herodi Chalcidis Regi, ipsius Agrippæ fratri, nuptam, *Mariamnen* decennem, & *Drusillam* septennem; (libidini omnes & luxui deditas, & exigua in maritos fide:) cum Filio *Agrippa* adolescente, ætatis annorum *septendecim*.

VIII. *Agrippa* hic est Junior, Princeps minime malus, literarum studiosus, in Gentem suam optime affectus, qui quadriennio post obitum Patris Chalcidis Regno, morte Herodis Patrui sui vacuo, à Claudio donatus, & altero fere post quadriennio ab eodem Claudio, loco Regni Chalcidis accepit *Tetrarchiam* Philippi, *Gaulonitidem*, *Batanaeam*, *Trachonitidem*, & *Abilenen*, quibus Nero adjecit partem aliquam Galilææ, proximam Lacui Gennesarithico; in quo statu supervixit fato suæ Gentis. Frequens illius mentio non in historia tantum Josephi, cui cum hoc Principe commercium intercessit; & apud Talmudistas; sed & notabilis apud Lucam, qui Paulum Apostolum apud ipsum & sororem ejus *Berenicen* caussam Evangelii perorasse scribit. Videndus de eo Seldenus in *Libris* de *Jure N. & G.*

& G. Stemmatis speciem videas in hoc *Dia-grammate:*

HERODES & -- MARIAMNE

ARISTOBULUS -- BERNICE.

AGRIPPA Major -- CYPROS.

AGRIPPA Junior.
BERNICE, &c.
DRUSILLA, nupta *Felici*, cujus mentio in *Actis*, &c.

IX. Cætera subfuit, ut dixi, Canaanæa *Procuratoribus* Romanis, quos cum Principibus *Herodiadis* ad Chronologiam compositos, hoc schemate exhibeo.

A. Æ. V.	*Rectores Galilaea & Peräa.*	*Judaa & Idumaa.*	*Batanaa, Trachonitidis, &c.*	*Tiber.*
33. qui partim respondet A. Tiberii 19. partim 20.	*Herodes Antipas.*	*Pontius Pilatus, &c.*	*Philippus Tetrarcha,* Herodis M. Filius decessit, postquam regnasset 37 annos se- 35.	20.

35. Tiberii enim initia incidunt in Mensem *Augustum*,		*Pontio Pilato* ab officio remoto à Vitellio, successit *Marcellus*.	cundum Græcam Josephi lectionem, Tiberii 20; estque ditio ejus accensita *Syriæ*.	
37.		*Marullus*.	*Herodes Agrippa*, titulo Regis.	*Caji.* 1.
39.	*Herodes Antipas* missus in exilium, succedente ei *Agrippa*.			3.
41.	*Herodes Agrippa*, à Claudio accepit *Judæam* quoque; ditionem *Samaritanam*, & Idumæam.			*Claudii* 1.
44.	*Cuspius Fadus*, Procurator Romanus post obitum Agrippæ:			4.
46.	*Tiberius Alexander*, Alexandri Alabarchæ Filius, Philonis ex fratre nepos, sed qui Religioni Patriæ nuncium miserat.			6.
48.	*Ventidius Cumanus*, sub quo res Judaicæ inceperunt perturbari: quo Judæam			8.

& Gali-

	& *Galilæam* administrante, *Samaritis* præfuisse *Felicem*, Pallantis Fratrem scribit Tacitus, silente plane Josepho. Certissimum ex eodem Josepho, *Judæam* pertinuisse ad *præfecturam Cumani*, non *Felicis*. Nec favet adversæ sententiæ locus Jos. B. J. L. 2. C. 21. recte intellectus.		
52.	*Claudius (Tacito Antonius) Felix*, frater *Pallantis*, Liberti Claudii; qui *Drusillam*, Filiam *Agrippæ* majoris, *Azizo* Emesenorum Regi nuptam pertraxit in suos amores. Lucas in historia Pauli utriusque meminit.	*Herodes Agrippa* Junior, Chalcidis Rex, accepit Tetrarchiam Philippi, Gaulonitidem, Trachonitidem, Batanæam, &c	12.
60.	*Porcius Festus.*		*Neron.*
62.	*Albinus.*		7.
64.	*Gessius Florus*, fax belli, quod Reipublicæ exitium attulit.		9. 11.

X. *Status* itaque Populi Judæi hac periodo non fuit *Populi liberi*, suo arbitrio Rempublicam administrantis, sed subjecti Romanis, eorumque majestatem revereri coacti. Simulacrum ali-

quod *libertatis* habuit Populus ſub Agrippa Rege, in utraque fortuna extrema experto, tam Cajo quam Claudio Principi gratiſſimo, quippe quorum Impp. magna uſus eſt familiaritate, non in Judæa tantum, ſed & Romæ inſignibus ornatus honoribus. Quantopere tamen ipſe quoque ille Agrippa obnoxius fuerit Præſidibus Syriæ, liquet ex iis quæ inter ipſum & Cajum in hiſtoria *Statuæ* Caji in Templum inferendæ; tum quoque inter ipſum & Marſum, Syriæ Præſidem, geſta leguntur apud Joſephum.

XI. Quid ſi tamen Populus hoc tempore æquabili gaviſus eſſet proſperitate? Sed etiamſi Judæa hac maxime Periodo verminaret multitudine hominum, quorum plurimi in Ægypto ſub Cajo, in Oriente ſub Claudio afflicti, motis ſedibus, numerum incolarum auxerant; & opibus quoque floreret; & à paucis quibuſdam Syriæ Præſidibus, inter quos Vitellius, Judæi indulgentius habiti ſint: paſſim à *Procuratoribus poſterioribus*, Cumano, inquam, Felice, (cujus tamen κατορθώματα multa laudat Orator Tertullus) Albino, & maxime Geſſio Floro, quorum erat turpis rapacitas & avaritia inſatiabilis; Felicis præterea ſuperbia, & Flori non ferenda malitia & crudelitas; non tam recti quam exhauſti & oppreſſi ſunt.

XII. Acceſſerunt mala alia, ſpecimina ſingularia Divini Judicii; dira *Fames* graſſata ſub *Claudio*, in plures annos protracta; *Pſeudopro-*

phetæ,

phetæ, qui eundem Populum per totum hoc intervallum seduxerunt ad plurimorum exitium; *Latrones Sicarii*, qui inaudito exemplo sive per agros vagabundi, sive in Templo, aut Foris, turbæ hominum se immiscentes, sive sui sive aliorum odii vindices, alios promiscue confoderunt; *Samaritani*, Judæis semper infensi, quorum odium in bellum funestum exarsit sub Cumano; Pontificum & Sacerdotum discordia multis exitialis; nec potuerunt hæc mala sanari, quantumvis inter *Præfectos* Romanos aliqui se ad id applicaverint.

XIII. Inter *Pseudoprophetas* duo memorantur à Luca, *Theudas* aliquis, cujus in Oratione sua meminit Gamaliel, *Act.* v. 35. 36. & *Ægyptius* quidam sub *Felice*, de quo Tribunus ad Paulum, *Act.* xxi. 38. In priore tamen præcipue minus convenit Lucæ cum Josepho, qui *Theudæ* illi locum demum facit sub *Cuspio Fado* Procuratore post mortem Agrippæ; quam difficultatem ut expediant aliqui inter Doctos, non dubitant Lucæ hic adscribere errorem μνημονικὸν: sed citra necessitatem, & contra rationem. Res enim tempore Lucæ gesta est, non Josephi; quem in omni circumstantia accuratissimum esse, qui statuunt, hos olim pœnitebit erroris.

XIV. Gavisi tamen sunt dilucido intervallo, & in magnam spem erecti sub Rege Agrippa, seniore, qui majestatem suam magnifice tuebatur, favore Caji & Claudii suffultus & præte-

rea in Gentem ſuam optime affectus, ac laudis cupidus, ornandis Judæorum rebus & amplificandis impenſe ſtuduit; Hieroſolymæ etiam ad ſeptentrionem extentis pomœriis, adjecto monte *Bezetha*, eademque hac parte munita muro prævalido, novi & certi operis: ſed quod imperfectum relinquere coactus eſt. Verum lumen hoc brevi eſt extinctum.

XV. Nec felicior fuit hujus Populi conditio, ſi eum ſpectes qua maxime ſpectandus eſt, ut *Eccleſiam*, ſive *Populum Dei*.

XVI. Etiamſi enim Religio ſecundum Ritum externum Moſaicæ Legis in *Templo*, ſplendidiſſime inſtructo, magnifice adhuc celebrata ſit; & Canaanæa tota repleta Synagogis, Scholis, & Academiis, in quas magnus erat concurſus: Plebs etiam majorem partem zelo externæ Religionis eſſet affecta, cujus ſingulare exemplum eſt in hiſtoria Caji, *ſtatuam ſuam* per Petronium molientis inferre in *Templum Hieroſolymitanum*: aberat ubique *Spiritus* & *Vita*. Tam *Religio* quam *Studia* Literarum, quæ adminiſtrabantur à Phariſæis, *modo externo*, carnali, literali, colebantur. Τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου negligebantur. in non neceſſariis quærebatur τῆς ἀκριβείας ſubtilitas. Herodiadæ Principes, licet externe in Religionem bene viderentur affecti, eam ſuis vivendi moribus plane proſtituebant, dum *Gentili ritu* Romanis Impp. per omnia adulabantur; Urbes, Theatra, & Templa iis in ditione

Gen-

Gentili consecrando, & ne ipsis quidem *Ludis gladiatoriis* aliisque similibus abstinebant. Immo sub extrema Reipublicæ tempora ipsa Templi sacra, alias quod ad externam speciem suam veneranda, tam irreverenter, factiose, turbulenter, Pontificibus & Sacerdotibus in partes distractis & sæpe inter se digladiantibus, fuerunt administrata, ut boni, qui supererant, ingemiscerent; prudentes omnes præviderent, ruere omnia in exitium, Deo irato. Certe postquam Christiani se à Judæis carnalibus secreverunt: totum illud Ecclesiæ corpus evasit *putidum cadaver*, discerpendum ab *aquilis*.

XVII. *Pontifices* hac Periodo, electi vel à Præsidibus Syriæ, vel ab Herodiadis, (*Agrippa* majore, ejusque Fratre *Herode*, Chalcidis Rege, vel Filio *Agrippa*, Juniore, qui hanc potestatem acceperant ab Impp. Romanis:) vel etiam à Zelotis; à Josepho quatuordecim admodum recensentur, Sacerdotali quidem genere orti, nec tamen ex *linea Pontificali*, aut per vitam, ex Lege, hac dignitate functi. Eminuerunt in his auctoritate filii *Anani*, sive *Annæ* illius, qui judicio in Christum præfuit, & inter ipsos *Ananus*, quintus Anani Filius, ab Agrippa Rege *Josepho Cabei* substitutus; qui tamen non est confundendus cum *Anania*, Nebedæi Filio, cui Paulus in *Actis* fatum suum prædixit.

XVIII. In *Synedriis* & *Academia* Hierosolymi-

lymitana præcipue regnarunt Pharisæi, fuerunt que illius sectæ & Academiæ Principes, hoc intervallo, *Gamaliel*, Senex, tertius ab Hillele Babylonio, Pauli Præceptor, cujus prudentia quoque laudatur à Luca; ejusque Gamalielis Filius, *Simeon secundus*, qui in Excidio Urbis & Templi fatum suum invenit.

XIX. Extra Canaanæam Judæi per omnia fere loca *Romani Imperii*, imo & extra illius limites in *Oriente*, dispersi, indultu sive Impp. Romanorum, sive Præsidum Provinciarum, aut Regum *Parthorum*, suas habuerunt *Synagogas* aut *Proseuchas*, sive in Urbibus, sive extra eas ad flumina, suo passim viventes ritu; Claudio etiam edictis, in eorum gratiam emissis, *prærogativas* & *jura*, quæ jam ante obtinuerant, confirmante. Præcipue tamen floruerunt in Ægypto, Asia, Syria, & tam *Alexandriæ* quam *Antiochiæ* suum habuerunt *Magistratum* sive *Synedrium*, cujus *Præsides* in genere dicti sunt Ἄρχοντες, (נשיאים) & *Alexandriæ*, *Alabarchæ*; Assessores, *Apostoli*.

XX. Et tamen *hac* ipsa quoque *periodo* durissima quæque passi & magnis affecti sunt cladibus, tum in *Ægypto*, cui sub Cajo præerat Avillius Flaccus, pessime in Judæos affectus, qui illos immaniter & impie vexavit; tum in *Babylonia*, ubi fratres duo, *Asinæus* & *Anilæus*, postquam partes fecissent, easque aliquandiu fortiter sustinuissent, tandem pœnas dederunt Par-

this,

this, & Judæis per Mesopotamiam, in Babylone maxime & Seleucia, magnam conciliarunt calamitatem. Ne jam dicam, ipsum quoque circa idem tempus Claudium, Judæis cætera faventem, illos *tumultuantes impulsore Chresto*, ut Suetonius, *Roma expulisse*, certo teste Luca; etsi nihil de eo Josephus.

XXI. Lætior fuit & plane singularis Casus, qui ipse quoque incidit in tempora Caji, Adiabenorum Regis *Izatis* (Tacito *Julintis*) cum Matre sua *Helena*, & fratre *Monobazo*, ac *Consanguineis*, ad *fidem Judaicam* conversi, eamque *ipsa quoque circumcisione* professi. Quin *Helena* Mater sub Claudio sedem Hierosolymis fixit; & *sæviente fame* insignia dedit liberalitatis suæ & in Religionem affectus sinceri documenta.

XXII. Cadentis & tandem *collapsæ* Reipublicæ historia repetenda est ab Anno Æ. V. 66, (non 65, ut Lud. Cappellus, post Scaligerum, & Petavium:) quo anno adhuc in cursu erat *duodecimus Neronis*, & *secundus Gessii Flori:* quippe quod tam ex *characteribus*, in historia Josephi consignatis, quam ex integro historiæ contextu, facile demonstratur. absolvit autem *quinquennium*. Terminatum Bellum est cum excisa Republica A. 70.

XXIII. Caussæ variæ. *Remota* quidem, insitum Genti, Abrahamo ortæ, studium libertatis, quippe ægre parenti Romanis: *proxi-*

mior, Flori inhumanitas, sævitia, & dira rapacitas, ne ipsis quidem sacris Templi thesauris abstinentis manum, & sicariis ac raptoribus palam indulgentis: *proximæ* denique, neglectæ Judæorum Cæsariensium à Syris oppressorum vindiciæ; & strages ab ipso edita Hierosolymis, ulturo Nominis auctoritatisque suæ contemptum.

XXIV. Nec tamen idem Deum movet quod homines; cujus providentiæ rationes hic non tam sunt arcanæ, ut prudentibus non patescant; Spretum nimirum Divinæ *longanimitatis* beneficium post *horrendam cædem* in Filio Dei commissam, cujus, post *electos* ex hoc Populo vocatos, tandem à longe maxima Gentis parte, ab incredulis, inquam, & impœnitentibus petenda erat vindicta; *sanctorum* post Christum sanguis innocuus effusus; sacrorum profanatio manifesta; adulatio turpissima, qua Principes Gentis Romanorum ambiebant favorem; Epicureismus Magnatum, & ipsorum quoque Pontificum; frequentia parricidia & scelera supra humanam fidem perpetrata in Republica suis legibus recta, clarissima dominantis impietatis documenta; & denique *illustratio spiritualis Regni Christi Jesu*, quod in Mundo perfecte vigere non poterat, quandiu *Cultus carnalis*, Ecclesiæ tempore *pueritiæ* indultus, & Divina institutione commendatus, *publico* ejusdem Dei *testimonio* non abrogabatur. Quin patebat omnibus,

senes-

senescere Oeconomiam Veterem, & sacra ejus, absque fide culta, Deo sordere.

XXV. Faces seditionis fuerunt *Zelotæ*, Religionis & Libertatis tuendæ studium professi, quibus ducem se præbuit *Eleazarus*, Templi Præfectus, illius *Ananiæ* Pontificis Filius, qui Paulum in Synedrio cædi jussit, prohibens sacrificia more solito in Templo pro Impp. Romanis offerri; quibus se non multo post junxit *Manahemus*, Judæ Galilæi Filius, sed qui se gerens insolentius & cæteris factiosis invidiam movens, brevi à sociis obtruncatus interiit.

XXVI. Ab his Romani milites Præsidiarii contra fidem datam jugulati; occupata Antonia Arx; expugnata castella, Hierosolymis proxima; & oppressi moderatiores ac prudentiores Cives Hierosolymitani, qui novam hanc factionem improbabant; quos inter ipse quoque *Ananias*, Pontifex, *Eleazari* Pater, Divino judicio, quod Paulus illi denunciaverat, in primis hisce motibus misere periit. Quæ turbulenta initia excepit collisio *Judæorum* & *Syrorum* in maritimis maxime Palæstinæ locis, quæ ab iis promiscue habitabantur, multo utrinque sanguine fœda; quæ eadem *Judæis Alexandrinis* similem attulit calamitatem.

XXVII. Nihil tamen æque Factiosos in suo confirmavit proposito, quam quod Cestius Gallus, Syriæ Præses, hac tempestate excitatus, postquam Hierosolymam duxisset instructissi-

mum exercitum, & hostibus in Urbem compulsis Judæis, tam *Cænopolim* quam *Acram*, duas Urbis partes, occupasset; facile etiam, faventibus moderatioribus, cætera in potestatem suam redacturus: *obsidionem Templi* & *superioris Urbis* subito solverit, & cum copiis suis repetierit Syriam magna cum ignominia & clade militum suorum à Judæis in itinere repulsus.

XXVIII. Quando autem Judæi se nunc majore animo & fiducia ad bellum instruebant, distributis rei gerendæ Provinciis; *Anano* quidem, *Anna* Pontificis Filio, & *Josepho Gorionis*, demandata cura Urbis; *Eleazaro*, faci Belli, Idumææ; *Josepho Matthia* (Historiographo, neutiquam cum *Gorionis F.* confundendo, quod faciunt Judæi, & Petavio quoque excidit:) Galilææ: Nero, de his motibus edoctus, Judaici Belli negotium mandavit Vespasiano exercitato Duci; qui *Anno sequente* 67, comite Filio Tito, collecto numeroso exercitu tam Legionum Romanarum, quam Auxiliarium militum, Judæam, ut olim Babylonii, *ab Aquilone* invasit, & Galilæam totam, quin & Samariam in fide erga Romanos fluctuantem, præter Urbes maritimas, sibi subjecit; in Galilæa & trans mare Urbibus vel Arcibus *Gadara*, *Jotapata*, *Tiberiade*, *Tarichæa*, *Gamala*, *Giscala*, magno opere expugnatis.

XXIX. Idemque facile, *anno* 68, quod meditabatur, eodem cum successu arma vertisset

set in Hierosolymitanos, in varias partes scissos, nisi *hoc anno Neronis* mors, ejusque Successorum, à quibus nova mandata accipienda erant, instabilis status & breve Regimen, illi suasissent quiescere; sequentem autem 69, quo ipse in Judæa electus Imperator, necesse habuisset suis rebus confirmandis impendere.

XXX. Nec tamen, quiescentibus Romanis, Vindicta quievit divina: quin dirioribus etiam & tetrioribus malis Gentem hoc biennio afflixit, quam forte à Romanis, certe non nisi volentes, fuissent perpessi, dum Civitas in duas scissa partes *Factiosorum* & *Moderatiorum*, ducibus *illorum* quidem *Eleazaro*, & *Johanne Levia* Filio; (qui novus turbo post Giscalam adversus Romanos qualitercunque defensam, cum seditiosorum globo Hierosolymam evaserat, & tandem se Eleazari partibus junxerat:) *horum* Pontifice *Anano*; inter se cum multorum fœda cæde & strage est collisa: quando *Factiosi* succumbentes & compulsi in Templum, nunc vere factum *cavernam latronum*, in auxilium suum vocarunt *Idumæos*, qui valido numero, nocte intempesta & horrida in Urbem à *Zelotis* admissi, in nobiliores omnes totius oppidi cives, à quibus salus Reipublicæ expectari potuisset, ferro & raptu sævierunt, & ad millia aliquot, præcipue Pontificibus inhiantes, jugularunt; inter quos ipsum quoque *Ananum* Pontificem, *Anani* Filium, maximæ tunc quidem auctoritatis

Vi-

Virum; & mox etiam in medio Templo *Zachariam*, *Baruchi F.* Sic *Luna* conversa est *in sanguinem*, ut *Sol obscuratus* in *Agrippa*.

XXXI. Quin ipsis *Zelotis*, brevi inter se divisis, quarum pars Eleazaro, pars Joanni Leviæ adhærebat, licet utrisque prædæ esset Populus, mox metuenda fuit nova factio *Simonis Giora* F. qui hactenus cum suis per Judæam, in qua arces quasdam occupaverat, vagatus, à Populo (adulto A. 68) in auxilium vocatus Populi partes adversus cæteros factiosos defendit, corroboratus ab *Idumeis*, qui à *Zelotis* ad *Simonem* defecerunt, postquam se ab iis delusos sensissent.

XXXII. Atqui hæc facies rerum fuit usque ad illud tempus quo Titus, mandatis Patris instructus, collectis summa cum diligentia necessariis copiis, *vere* A. 70, paulo ante Festum Azymorum, Hierosolymam obsidione cinxit; nisi quod circa ipsum hoc *Paschatis Festum*, tres *factiones*, quarum *Eleazarus* Templi Septum interius tenebat; *Joannes Levia* Septum exterius cum parte aliqua Urbis inferioris; *Simon Giora* Civitatem Superiorem cum reliquis Inferioris, ad duas redactæ sunt; siquidem Eleazarus, irrumpentibus tempore Festi in *Septum interius* Joannitis, in ipso Templi illo Septo interiore, ubi solennia sacra fiebant, cum suorum plurimis jugulatus & obtruncatus est, fœdissimo aspectu: adeo ut duo nunc partium duces *Joannes*

& *Si-*

& *Simon* Urbis adversus Romanos defendendæ negotium susceperint.

XXXIII. Audacter magis quam feliciter, Deo irato. Titus enim Urbem à *Septentrione* & *Oriente* adortus, à qua parte tres Urbis muros expugnandos habuit antequam Urbis partem præcipuam, sive τὴν ἄνω πόλιν *Superiorem Urbem in Tsione*, *à meridie* inaccessam, occupare potuit; magna vi primum & validissimum murum non longo tempore perrupit; mox etiam alterum; sed in *Arce Antonia* & *Templo* gravissime laboravit: coactus etiam, ut impleret prædictionem Domini apud Lucam, Hierosolymam totam *vallo cingere:* quando tandem expugnata *Antonia*, & occupatis *Porticibus Templi exterioribus*, igni admoto *Septo interiori*, militum aliquis à socio in humeros sublatus per *fenestram quandam* (θυρίδα) *Porticus*, ut videtur, *Septi* interioris à parte Aquilionis *titionem* projecit versus *cellas* quibus Templum circumdabatur; quas cum ignis corripuisset, nequicquam nolente & contranitente Tito, Templum conflagravit. Nec tamen Dio hic per omnia Josepho consentit; cujus tamen, quod ad occasionem incensi Templi, simplex satis nec improbabilis est narratio.

XXXIV. Incidit decretorius hic dies, ut Josephus scribit, in *decimum Augusti*, quo eodem *mense*, & *mensis die*, *conflagrasse* ait *olim Templum sub Nebucadnezare*, idque passim ab omni-

omnibus ejus fide asseritur. Sed Judæorum traditio figit hunc diem, quem supplicatione & jejunio transigunt, in *nono* Mensis *Ab*; atqui *nonus dies* mensis *Ab* secundum Scaligerum hoc anno cecidit in IV *Augusti*. Certe falsum est, Templum Vetus succensum esse *decimo Augusti*, qui non respondet *decimo Mensis Ab*, quo Templum flammis datum est à Chaldæis, secundum historiam subnexam Libro Jeremiæ, sed potius hoc anno secundum Scaligeri calculos, *Kalendis Augusti*. Patet, Josephum Mensem Lunarem *Ab* cum *Augusto Juliano* confudisse, sed vitiose, cum *Julio* partim, partim respondeat *Augusto*.

XXXV. *Urbs superior* tandem, in summa desperatione spreta clementia victoris, *mense post*, (*Septembris* VIII vel potius VII,) venit in potestatem Titi, qui *Templum* quidem, cui quod ad structuræ magnificentiam & ornatum nullum in Orbe comparandum, jam ante maximam partem incendio vastatum, secundum prædictionem Domini, plane desolavit, fundamentis illius magno opere subrutis & eversis, & Urbem quoque utramque cum ædibus & Palatiis suis; exceptis turribus Hippico, Phasaëlo, & Mariamne, muri Septentrionalis Montis Tsion; ut testatur Josephus: cujus tamen historia hac de re an non admittat temperamentum aliquod, quærit disputatque cæteris hic accuratior Tillemontius.

XXXVI. Calamitas obsessæ Urbis, & dirissima

tissima mala quæ tempore obsidionis sustinuit, tot aliis jam defuncta, nullius moralis oratione pro merito explicari queunt; nec extat exemplum simile in historia, si omnes illius circumstantias simul consideres. Foris terrebat ferrum; intus premebat fames, cujus diritatem Josephus graphice depingit; erantque hæc mala conjuncta cum invincibili obstinatione animi, & desperatione: donec Urbe & Templo per partes captis, superstites victi vel incendio absumpti; vel à Romanis jugulati, in quosque promiscue sævientibus; vel in servitutem venditi, vel ad metalla damnati; vel crucibus suffixi; vel ad triumphum victoris servati sunt, inter quos quoque fuit Simon Gioræ F. postea necatus, Joanne Leviæ ad perpetuos carceres damnato. Nec est dubitandum, numerum eorum qui tempore obsidionis perierunt, & à Romanis expugnata Urbe mactati sunt, & capti, fuisse ingentem: an tantum tamen quantum Josephus consignat, (*captorum* sc. 97000, consumtorum fame aut ferro, 1100000:) merito dubitem. Tacitus *obsessorum* solummodo *sexcenta millia* numerat; qui ipse quoque numerus est ingens, & conditioni Urbis Hierosolymitanæ, quæ non fuit è maximis, magis respondet. Stupes utique, ubi ex collectis ab Usserio numeris, qui sunt in historia Josephi, intelligis, periisse toto belli tempore 1337490.

XXXVII. *Obstinationis* caussæ fuerunt eædem

dem quæ carnalium Judæorum tempore Jeremiæ; tum *fiducia* posita in Templo, cujus licet tot innocuorum cæde & sanguine polluti Præsidem sibi falso persuadebant esse Deum; tum *Pseudoprophetæ*, qui Populi superstitionem hac spe alebant, rebus desperatis interventurum esse Deum, & ex vaticiniis illi pollicebantur post victos Romanos Imperium in universum Orbem; tum denique post eversum Templum, & spem suam elusam, *desperatio* & tædium vitæ.

XXXVIII. Si tamen vero consona sint omnia quæ Josephus narrat de *terrribilibus Prodigiis*, hujus *Calamitatis* prænunciis, potuissent utique Judæi; si fata sivissent; per ea etiam à stultis suis consiliis revocari, & de tristi *Belli eventu* edoceri. Sunt enim referenda ad A. 65, qui Bellum immediate præcessit Nec est de quibusdam saltem dubitandum, siquidem fama eorum apud Gentes passim fuit vulgata, ut liquet ex Tacito.

XXXIX. Christianos partem habuisse in hac calamitate, non liquet: quin probabile est, secundum traditionem Ecclesiasticam, quæ apud Eusebium & Epiphanium conservatur, illos obsequutos monitis Domini Jesu apud Evangelistas post primam Cestii Galli obsidionem, saluti suæ consuluisse, sedibus suis *Pellam* translatis, Urbem Trans-Jardenensem, in Confiniis Decapolios & Perææ, in ditione Agrippæ,

XL. In-

XL. Inter consequentia victoriæ, *Spectacula* à Tito edita, Gratulationes & Munera ad ipsum à vicinis Gentibus perlata, *triumphum* de capta Judæa superbissimum, duo omni animadversione dignissima sunt, *α*. Inter spolia & ornamenta Templi in triumpho ostentata *ipsam* quoque circumlatam esse *Legem Iudæorum*, spoliorum novissimam. *β*. Judæos, quorum audita vox fuit tempore passionis Christi, *Non habemus Regem nisi Cæsarem:* post excisam Rempublicam jussos esse à Vespasiano *Didrachma*, tributum sacrum, à singulis maribus majorennibus & liberis quotannis inferendum in Templum Hierosolymitanum, inferre in Templum Jovis Capitolini. Prius ex Josepho, posterius ex Xiphilino liquet. ô Deus, quam tua sunt tremenda & imperscrutabilia judicia!

Historia *Ecclesiæ Christianæ*.

I. *Ecclesia Christiana* est Societas hominum credentium in *Jesum Christum*, tanquam verum Messiam, Patribus promissum, eamque fidem secundum *veram* Evangelii *Doctrinam* publice profitentium ea lege & ritu, quem Christus Jesus ipse, vel Apostoli ejus, definiverunt.

II. *Fundamentum* hujus Societatis est *Lex*, sive *Doctrina Christi Jesu*, ejusque *Legatorum*; in qua qui integro animo *consentiunt*, eumque

ſuum conſenſum Symbolis quibuſdam Sacris à Chriſto Jeſu in hunc uſum inſtitutis teſtatum faciunt, *Chriſtiani* dicuntur.

III. *Lege* autem Chriſti, & ſecundum Doctrinam & Diſciplinam Apoſtolicam, non ad *Credenda* tantum obligantur Chriſtiani ſed & ad *Facienda*; nimirum cum ad *Officia pietatis privata* in Deum, humanitatis & charitatis in proximum, & exercitationem omnis veræ virtutis; tum, ſi in Urbe aut Vico plures eorum ſedes fixerint, *ad faciendos Cœtus* in quos ſtatis temporibus ſolenniter coëant & *Religionem* ſuam, ſub *præfectura* & cura prudentium Virorum, publice celebrent, ſecundum *Diſciplinam Evangelicam*.

IV. Inde fit ut *Eccleſia Chriſti Jeſu*, quæ proprie facit *Corpus* aliquod, ſive *Societatem* hominum *ſpiritualem* & myſticam; in plures Cœtus particulares in variis locis diviſa, ſe *viſibili* aliqua *forma* Mundo oſtentet, ſiquidem Chriſtiani, ubicunque ſunt, *Societates* componunt, à civili Societate diſtinctas, à pecularibus *Præfectis Sacrorum* adminiſtratas, quarum membra, ubi licet, *publice* in unum conveniunt ad cultum Religionis; etſi *Confœderatio* ipſa ſemper ſit & maneat *ſpiritualis*, tum reſpectu *Fundamenti ſui*, tum ratione ipſius *Cultus* & *Diſciplinæ ſacrorum*, quæ exercitio actuum ſpiritualium abſolvitur, & ſpirituali modo exercetur.

V. *Cœtus* ejuſmodi, qui Ἐκκλησίαι dicuntur,

tur, à Conventibus Ecclesiæ Judaicæ distincti; quique junctim efficiunt *Ecclesiam Christianam Universalem*, qualis nobis secundum *exteriorem* & visibilem suum *aspectum* in Mundo obversatur, (cujus *Ecclesiæ* nos hic tradimus historiam;) formari demum cœperunt post *Christum Jesum* è mortuis suscitatum & evectum in cœlos; fuitque *primus* ille solennis *Conventus*, sive Cœtus Christiani Populi, cxx *hominum*, de quo legimus *Act*. 1. 15. Distincti, inquam, erant *Cœtus* ab Ecclesia Judæa; hactenus tamen eidem non oppositi, veluti si *communis* alicujus *Societatis* membra aliqua *Confœderatione* peculiari & arctiore, mutuo consensu, inter se devinciantur.

VI. Possunt autem, quæ de *Statu Ecclesiæ Christianæ historice* commemoranda sunt, commode ad *quatuor Capita* referri, nempe *α*. DOCTRINAM & DOCTORES *Ecclesiæ*, qui eandem scriptis suis illustrarunt, & *Doctrinæ* veræ oppositas *Hæreses* aut *Schismata* quæ dicuntur, eorumque auctores. *β*. CULTUM Religionis, secundum *Doctrinam* Ecclesiæ *Privatim* & *Publice* celebrandum. *γ*. REGIMEN & DISCIPLINAM Ecclesiæ. *δ*. ACCIDENTIA Ecclesiæ; cum EXTERNA, inter quæ *Amplitudo* ejus, & Status in Mundo *Pacatus* an *Afflictus*; tum INTERNA; DOTES ac VIRTUTES; & iis opposita VITIA *Ecclesiæ*, ex quibus præcipue verus illius Status Divino judicio æstimatur. quarum

rerum historia repetenda est ex *Actis* & *Epistolis Apostolorum*, nec non ex *Apocalypsi*; tum ex Eusebio, & quæ apud ipsum paucissima supersunt hujus Sæc. monumentis; Justino Martyre etiam, Irenæo, Clemente, Origene, &c. non neglectis quoque Josepho, & Dionis Cassii quæ extant.

a. De Doctrina Ecclesiæ Sæc. I.

I. *Doctrinam Ecclesia* novæ, quæ stylo Scripturæ ἡ διδαχὴ ȣ̓ Κυρίȣ Doctrina Domini & ἡ διδαχὴ τῶ Ἀποστόλων Doctrina apostolorum dicitur, quis dubitat, hoc ævo & sæculo nascentis Ecclesiæ fuisse *sanam*, & quod ad *partes suas* integram, *Fundamentalia* nimirum Religionis Christianæ *Dogmata* omnia complexam; tum quoque castam, puram, divinam, non vitiatam errore, dum in vivis erant Magistri, Ecclesiis præfecti, qui eam ex *ore Domini Jesu* hauserant ipsi, aut ex ejus *immediata* acceperant *Revelatione*, ut Paulus; & à *Spiritu Divino* in *omnem ducti veritatem* ab errore præservati sunt.

II. *Docuerunt* autem, sive *tradiderunt* illam Doctrinam Doctores Publici, εἴτε διὰ λόγȣ, εἴτε δι' ἐπιστολῆς, (phrasi Paulina) vel *Ore* vel *Scripto*; qui duplex *Docendi Modus* in Ecclesia deinceps quoque observatus est.

III. *Ora-*

III. *Oralis*, vel fuit *Catecheticus*, quo *Catechumeni*, Latinis *Audientes*, imbuti sunt *elementis Sermonis Dei*, scitu ad salutem plane necessariis; quo officio post formatas Ecclesias functi sunt *Diaconorum* aliqui, ad id selecti, *Doctores Audientium* dicti in Ecclesia Latina; vel *Scholasticus*, quo in Auditoriis Publicis declamabatur vel *disputabatur* de Dogmatibus Fidei, in Judæorum aut Gentilium congressu; vel *Ecclesiasticus*, maximam partem *moralis*, quo *Episcopi* vel *Presbyteri*, dono docendi per *Divinam Gratiam* instructi, (Paulo οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ ἐν διδασκαλίᾳ:) vel etiam alii, Præside permittente, dono gratiæ & prophetiæ excellentes, Divinas interpretando literas, Ecclesiam vel confirmarunt in fide Doctrinæ Evangelicæ, vel exhortati sunt ad virtutem.

IV. LIBROS nullos credere par est à veris Doctoribus hujus ætatis editos, præter necessitatem, gravi ratione suadente; suntque vel *Canonici*, vel *Ecclesiastici*. utriusque generis vel *certæ* aut *probabilis*, vel *dubiæ*, vel etiam *nullius auctoritatis*, sive spurii & adulterini.

V. *Canonici*, qui dicuntur, *certæ* aut *probabilis auctoritatis*, auctores habent *Apostolos* aut *Evangelistas*, quorum scripta, publico Ecclesiarum consensu hoc tempore agnita, supersunt 27; licet inter ea sint, de quorum auctoritate ab aliquibus in vetere Ecclesia dubitatum est, ἀντιλεγόμενα Eusebio, τοῖς ὁμολογουμένοις *testata au-*

ta auctoritatis, & τοῖς νόθοις *spuriis* contradistincta, suntque *Epistola Jacobi*, *Juda*, *Posterior Petri*, *secunda* & *tertia Joannis*, & ipsa etiam *Joannis Revelatio*, de qua variantia extiterunt Veterum judicia.

VI. *Apostoli*, secundum communem traditionem Ecclesiasticam, se ad scribendum applicarunt, *Petrus*, *Paulus*, *Joannes*, *Jacobus*, *Judas*, *Matthæus*; Evangelistæ, *Marcus* & *Lucas*.

VII. Quos inter Libros ut nunc in *Canone* digesti sunt, primum locum occupat ἡ ἁγία τῶν Εὐαγγελίων τετρακτὺς *Sacer Evangeliorum Quaternio*, Matthæi, nimirum, Marci, Lucæ, Joannis.

VIII. *Evangeliis* conscribendis occasionem videntur præbuisse *Excerpta* ex *narrationibus* aut *annotationibus Apostolorum* ac *Discipulorum Christi* quæ privi Credentes inter se communicarunt & magni thesauri loco habuerunt; cujus generis videntur fuisse *Evangelia secundum Hebræos*, (sive *Nazaræorum*) & *Ægyptios*: quæ cum Apostoli & prudentiores Ecclesiæ Doctores observarent non esse eo cum *judicio*, & fide quoque, congesta vel digesta, quam Christianæ Religionis decus exigit, & sæpe etiam interpolari à falsis fratribus: è re Ecclesiæ esse putarunt, accuratiores contexi narrationes *Dictorum* & *Factorum Domini*, & notabilium qui illi acciderunt *Casuum*, usi subsidio suæ aut τῶν αὐ-

τοπτῶν

πραττῶν memoria, annotationum, collationum mutuarum, & τοῦ Πνεύματος ὑπομιμνήσκοντος, *Spiritus præteritorum memoriam renovantis*, quem Dominus iis promiserat.

IX. Quod ipsum facit, ut credam, *Evangelia* serius esse composita, quam vulgata traditio & Doctorum fert sententia. Utique cum *Lucæ Evangelium* eodem tempore conscriptum esse videatur quo *Acta*, ut probabiliter disputat Dodwellus; *Acta* autem excurrant usque ad tempus solutorum priorum Pauli vinculorum, *Neronis nono*, ut videtur: dubium, an ante illud tempus suum ediderit Evangelium Matthæus, sive Levi, ex Publicano Apostolus. Certe id à Luca visum non esse, ex plurimis indiciis patet; quod mirum fuerit, si longe ante illud tempus prodiisset: ne alia nunc adferam.

X. Dubium etiam illud, an Matthæus *Hebraice*, an *Græce* suum Evangelium conscripserit: licet Papias, quem antiquæ Ecclesiæ Doctores passim sequuti, prius *tradiderit*. Etiamsi enim Simonius *posteriorem* sententiam, cui non nego Isaacum Vossium falsam substruxisse hypothesin, exploserit, nec argumentorum omnium, quæ Flacius Illyricus post Erasmum pro ea in medium attulit, eadem vis sit: contendo tamen, tam citationes locorum quorundam V. T. ex LXX Intt. quam phrases aut voces Græcas non paucas, quæ cum Hebræis aut Syriacis comparari posse non videntur, hanc sententiam poste-

riorem longe probabiliorem facere quam traditionem Papiæ; cujus auctoritas in hoc genere non eſt magni momenti.

XI. Quin Simonius ipſe in ſuæ opinionis defenſione paſſim ſupponit, Evangelium Nazaræorum fuiſſe authenticum Matthæi; quòd tamen aliter ſe habere, nuper evicerunt Pinius & Grabius; videturque traditioni Papiæ ipſum illud Evangelium Nazaræorum, quod cum illo Matthæi multa communia habuit, occaſionem dediſſe.

XII. *Marcus* Evangeliſta, tam *Pauli* quam *Petri* cooperarius, & hujus præcipue, ut videtur, comes, Evangelium ſuum ex narrationibus Petrinis, ſi ipſe αὐτόπτης non fuerit, compoſuiſſe videtur, ultimis Neronis; quem Matthæi Epitomatorem eſſe, aut ejus Evangelium vidiſſe, quod vulgo ſupponitur; non apparet. quin contrarium ex utriuſque collatione facile evictu eſt.

XIII. Pariter ut *Lucas*, profeſſione *Medicus*, ortu, ut videtur, Antiochenus, poſteriorum Pauli peregrinationum comes, in gratiam Eccleſiarum, ab hoc Apoſtolo fundatarum, ſuum contexuiſſe videtur fide τῶν αὐτοπτῶν, probatæ virtutis; idemque concinnavit *Acta*, alterum hiſtoriæ Evangelicæ Librum, præclarum in cæteris Eccleſiæ monumentum, poſt Pauli à primis vinculis liberationem.

XIV. *Joannem*, Zebedæi filium, à Domino

mino insigniter dilectum, omnino A. Æ. V.
liquorum Evangelistarum vidisse, a[..]ique ad
est, quod eorum suppleverit defectum, [..]*culis*,
poris rationes accuratius persequutus sit. An[..],
te editam *Apocalypsin*, quæ ipsi extremis Domitiani obtigit in Patmo, scripserit, dubium; certe circa idem tempus scripsisse, sive sub Domitiano, sive Nerva aut Trajano, sub exitum Sæculi, & quidem Ephesi, consensus Evangelii cum Epistolis, in quibus Gnosticorum errores manifeste refelluntur, & certior hic traditio Ecclesiastica, satis docet. Mysticos enim Christi sermones in Evangelio alio fine non retulit, quam ut eos integros & incorruptos exhiberet, quos Gnostici passim interpolabant & in suos vertebant usus. *Posteriores duæ Epistolæ*, sive ab ipso, sive ab *alio* quodam *Presbytero Joanne* scriptæ, (etsi prius probabile habeam:) sunt *Literæ privatæ*, quas tamen in *Canonicis Libris* legi, vitium non est.

XV. *Paulinæ Epistolæ quatuordecim*, περίδηλοι ϗ σαφεῖς *notæ* passim & *in clara luce positæ*, phrasi Eusebii, nunc ab Ecclesiis omnibus agnoscuntur; nec de *tredecim* ullum dubium. Quod vero ad *Epistolam ad Hebræos* attinet, cujus tam auctoritatem quam auctorem Paulum (*materiæ* respectu) vetus *Ecclesia Orientalis* à primis Christianismi temporibus agnovit; sed de cujus sive αὐθεντίᾳ, sive auctore, *Latinæ Ecclesiæ* aliqui Doctores, post *Cajum* sive *Ga-*

riorem lon[illegible] manæ Presbyterum initio tionem [illegible] nge ab illo remotum Hippon[illegible] n, dubitarunt inter Do[illegible]s Erasmus & Grotius: ne[illegible]eris Paulinis stylo differre, [illegible] cui commodius quam Pau[illegible]*trinam* illius Epistolæ, sive [illegible]criptore in ea commemoratas respic[illegible] utem est non ad *omnes Hebraos*, sed *certi loci*, nec Hierosolymitanos, sed Græcos, sive Antiochenos, sive Alexandrinos.

XVI. Paulinæ autem ἀναμφισβήτητοι omnes scriptæ sunt post tempus Concilii Hierosolymitani, sive ante *priora vincula*, sive *in vinculis*; sive *post ea*; sive in *posterioribus*; & quidem secundum rationes Cestriensis, omnium hic forte optimas & liquidissimas, *ante priora Vincula*, scripsit Apostolus utramque ad *Thessalonicenses*, Corinthi, priorem Æ. V. LII, *Claud.* XII, posteriorem, *anno sequente*; Priorem ad *Corinthios* & ad *Galatas*, postremo anno illius *triennii* quo *Ephesi* hæsit, Æ. V. LVII. Neron. III. mox in Macedonia, in quam Epheso profectus est, *alteram ad Corinthios*; & *Corinthi*, ad *Romanos*; in ipsis *Vinculis*, *Roma* Æ. V. LXII. Neron. IX. ad *Philippenses*, *Ephesios*, *Colossenses*, *Philemonem*; & mox *à liberatione imperata*, ex *Italia*, sic proprie dicta, ad *Hebraos*; deinceps, ut videri posset, *Philippis*, ad *Titum*,

Titum, & *priorem ad Timotheum*, A. Æ. V. LXV, currente adhuc Neronis XI. Denique ad *Timotheum posteriorem* ex posterioribus *vinculis*, non longe ante reportandam Martyrii coronam, Æ. V. LXVII, dum in cursu est Neronis XIII, Conferri tamen hic merentur Usserius & Cappellus.

XVII. *Qua* vero *occasione* Apostolus has ad Ecclesias Epistolas dederit, non privi sed publici usus, quibusque motus rationibus; & quodnam singularum sit argumentum; ex ipsis inspectis & attente lectis non difficulter colligitur.

XVIII. *Jacobi*, Galilæi, *fratris Domini*, ejusque *Apostoli*, Maria sorore Matris Domini geniti, à Jacobo Zebedæi distincti, Epistolam ad *duodecim tribus*, ἐν τῇ Διασπορᾷ *in exilio*, (בגולה) vere habemus esse Epistolam hujus tituli, ipso auctore non indignam, scriptam non longe antequam Martyr sanguine suo signavit Evangelicæ Doctrinæ confessionem, ut facile liquet ex Epistolæ argumento; quod accidit non longe ante motus Reipublicæ Judææ, post *Festi* mortem, promovente *Anano Juniore*, Pontifice, illius *Anna* Filio, qui *Christi Jesu* condemnationi præfuit. Qui inter Doctos recentioris ætatis Epistolæ hujus pondus elevarunt, ut inter Pontificios Cajetanus, & Protestantes Lutherus, aut alii alicui Jacobo quam *Jacobo Apostolo Minori* adscripserunt; nihil plus rationis solidæ

lidæ in medium adferunt, quam qui *Judæ* Apostolo, hujus *Jacobi fratri* (quomode se ipse appellat:) Epiſtolam ſuam abjudicant, ſcriptam ex probabili conjectura Dodwelli, poſt Excidium Hieroſolymorum. Quod Veterum aliqui *utramque* inter τὰ ἀντιλεγόμενα recenſuerint; aliunde repetendum eſt.

XIX. *Petrinas binas* non longe ante ejus exceſſum, qui haud dubie ad extrema Neronis referendus eſt, ſcriptas eſſe, pariter ex earum argumento liquet. *Poſterioris* qui illum auctorem eſſe vel dubitant vel negant: (quales in prima & noſtri temporis Eccleſia non defuerunt:) neceſſe habent eam adſcribere fraudulento alicui Impoſtori, qui *ſub perſona Petri*, quam Epiſtola luculento charactere depingit, latere voluit; cui ſententiæ *Epiſtola* minime favet, quippe Petro indigna non eſt.

XX. Conſignatus autem eſt hic ſacrorum Librorum *Canòn* poſt edita Joannis Apoſtoli ſcripta, in initiis Trajani, ad finem Sæculi, non *publico* aliquo vel *Synodico* Eccleſiæ *judicio*; ſed *judicio privo* ſingularium Eccleſiarum, quarum conſenſus in hoc negotio hujus judicii certitudinem ſoliditatemque probat. Ante illud tempus ſæpe contigit *Apocrypha* cum *Canonicis* confundi.

XXI. Nec deſunt tamen alia Monumenta antiquæ Eccleſiæ, quæ Nomen auctoritatemque Apoſtolicam præ ſe ferunt, & titulis commen-

dant,

dant, & de quibus Eruditi Viri, tanquam de quorum auctoritate dubitari possit, disputarunt; ut sunt *Evangelia secundum Hebraeos* & *Ægyptios*; *Institutiones* sive *Doctrina Apostolorum*: (αἱ διδαχαὶ sive ἡ διδαχὴ τῶν Ἀποστόλων:) *Symbolum Apostolicum*, *Canones Apostolorum*, *Constitutiones Apostolicæ* à *Clemente Romano congesta*.

XXII. *Evangelii secundum Hebraeos* sive *Nazarenos*, quo quoque *Ebionæi* qui ex Hebræis erant, usi sunt, frequens apud Veteres mentio est, & omnino videtur collectum ex narrationibus Apostolorum aut Discipulorum Christi Jesu, ut fit, non semper recte acceptis, & varie interpolatis: sed *Evangelii secundum Ægyptios* rarior apud Vett. mentio, adeo ut ne Eusebius quidem ejus meminerit; fuitque illud longe minoris auctoritatis, *mystica* quædam exhibens Christi *dicta*, acuminis ingenii Alexandrini, ut ex excerptis paucis ex *posteriore Clementis ad Romanos* & *Clementis Alexandrini* à Cl. Grabio editis patet, qui de utroque videndus.

XXIII. Idem Vir Doctus demonstrare conatus est post Usserium, *Doctrinas* sive *Institutiones Apostolicas*, quas Eusebius inter scripta mediæ sive *ambigua* auctoritatis recenset, distinctum fuisse opus à *Constitutionibus* (Διαταγαῖς) *Clementinis*, patetque ex excerptis Epiphanii, nec plane idem esse, nec tamen multo diversum à *Doctrina Apostolorum*, qualis erat ætate Epiphanii;

phanii; quæ deinceps aucta, interpolata, his illis locis mutata est.

XXIV. Aliter se res habet cum *Symbolo Veteris Ecclesiæ Romanæ*, quod sibi cum tempore acquisivit nomen *Symboli Apostolorum* sive *Apostolici*, hoc haud dubie sensu, quod comprehenderet *Apostolicam* Fidei *Doctrinam*; ex quo tamen nomine invalescens superstitio finxit initiis Sæc. v. esse hoc *Symbolum* ab ipsis compositum Apostolis, & *singulorum* ejus *articulorum* (sunt autem XII) singulos auctores esse. Primus auctor fuit Ruffinus, Aquileiensis Ecclesiæ Presbyter, quem sequentis ætatis Doctores plures sequuti sunt, & defenditur adhucdum imprudens error ab Ecclesia Romana, paucis exceptis iisque prudentioribus illius Communitatis Doctoribus. Quin *Symbolum Apostolicum*, quod nostro tempore sic dicitur, non est purum & simplex Vetus *Symbolum Ecclesiæ Romanæ*, sed *Symbolum Ecclesiæ Romanæ Vetus*, auctum interpolatumque ex *duabus* illius editionibus aliis, *Aquileiensi* & *Orientali*, ut Docti Viri jam observarunt.

XXV. Idem fere sentiendum de LXXXV *Canonibus* qui dicuntur, *Apostolorum*, Regimen & Disciplinam Ecclesiæ, qualis fere fuit Sæc. IV. complexis: nisi quod ex Can. XXIX manifeste liqueat, auctorem, qui illos partim composuit, partim ex Canonibus Conciliorum superioris temporis collegit, pessimo consilio hos Canones

Aposto-

Apostolis voluisse *supponere*, acsi ab ipsis per Clementem Ecclesiæ traditi essent: nisi forte verba; ὑπ' ἐμοῦ Πέτρου, ab impostore aliquo substituta sint illis, ὑπὸ τοῦ Πέτρου, quomodo legit Dionysius exiguus. Certe indocta hæc sententia de Apostolis horum Canonum auctoribus Græcæ & Orientalis Ecclesiæ Doctores quosdam occupavit, auctoritate Trullani Concilii firmata, inventusque etiam est recentiore ætate in Ecclesia Latina post alios Franciscus Turrianus, qui omnium horum Canonum auctoritatem vindicare conatus est Apostolis, quod extremæ argumentum est impudentiæ; à qua parum discesserunt Baronius & Bellarminus, qui *quinquaginta priores* Apostolis tribuunt; reliquorum auctoritatem respuunt. Prudentiores Pontificiæ Sectæ non errant tam crassum errorem, sed æque ac eruditi inter nostros disputant de tempore quo compositi sunt, quod putem recte & certis rationibus finiisse Dallæum post celebratam Nicænam Synodum, vel medium Sæc. IV. nisi quod XXXV *posteriores*, reliquis *quinquaginta* non longe post eos consarcinatos ab imperitiore aliquo & futilioris ingenii auctore attexti sint, post compositum Opus *Constitutionum Apostolicarum*, ut ex *Can. ult.* liquet. Quæ contra disputant Albaspinæus, Beveregius, Pinius, Caveus, Grabius, alii, eos ad *tertium Sæc.* vel ad finem quoque Sæc. II. referentes, non difficulter solvuntur.

XXVI. Non

XXVI. Non alia ratio est *Constitutionum Apostolicarum* ejusdem argumenti, per Clementem quoque Romanum, quod credi voluit auctor, *octo Libris* digestarum. Potuisset utique illud opus, tam *Ethicam Christianam* quam *Disciplinam Ecclesiæ* describens, à Græcis quibusdam & Orientalibus in magna habitum veneratione, nec adeo spretum à Photio, blandiente illis Turriani & paucorum ex Doctis Pontificiæ Sectæ superstitione, auctorem suum commendare, quippe vere multa utilia comprehendens præcepta & instituta; potuissetque ille sibi simul cavere à turpissimis erroribus Chronologicis & Historicis, fingendi artifex imperitus, si Orbi noluisset persuasum, auctores harum *Constitutionum* esse *Apostolos*; quod peccatum imposturæ gravissimum est licet id *pia fraude*, sed vere impia, utilitatis majoris respectu fecisse videatur. Compositum opus est Sæc. IV ante tempora Epiphanii, qui illo usus est, licet deinceps varie interpolatum sit, ut recte judicavit Cotelerius; dissentientibus Pearsono & Grabio, qui *Epiphanio* sic appellatam *Doctrinam Apostolorum* ab his *Constitutionibus* diversam fuisse censent, sed mihi non persuadent, nisi quod concedam cum tempore auctiorem esse factam.

XXVII. Sed præter hæc *ambigua auctoritatis* scripta (sic nimirum dicta, non nostri, sed quorundam inter Doctos judicii respectu;) sunt & alia *nullius* in Ecclesia *auctoritatis*, mani-

feste

feste νόθα *spuria*, *adulterina*, ψευδεπίγραφα, & quo nomine à Veteribus appellata sunt, ἀπόκρυφα, ab omnibus bonis spreta, ab *hæreticis*, quod ait Eusebius; imo etiam ab *impostoribus lucri faciendi* caussa, subornata, & simplicioribus *nomine Apostolorum* obtrusa, cujusmodi sunt, ait idem Eusebius, *quæ Petri*, *Thomæ*, *Matthiæ*, *& quorundam aliorum Evangelia*; *Andreæ quoque*, *Joannis*, *aliorumque Apostolorum actus*, *continent*.

XXVIII. Horum numerus cum tempore tantopere crevit, ut recenseri facile nequeant, magno rei Christianæ detrimento & scandalo Ecclesiæ. Sunt autem hujus generis supposititia, *Apostolorum Acta*; PETRI *Actus*, *Evangelium*, *Prædicatio*, (κήρυγμα) *Revelatio* (Ἀποκάλυψις:) de quibus tamen duobus posterioribus paulo benignius Veteres senserunt, & iis cum Cl. Grabius. PAULI, *Epistola ad Laodicenos*, Ἀνάβασις *Ascensio*. *Actus ejus* & *Theclæ*. *Epistolæ sex ad Senecam*. *Canones*. MATTHÆI, *Leiturgia*; JACOBI πρωτο-ευαγγέλιον; THOMÆ *de pueritia & miraculis Domini*. ne jam dicam, non abstinuisse ingenia corrupta nefario & blasphemo ausu, plurimis aliis ipsi *Christo Jesu* supponendis, quæ alibi diligentissime recenset Cotelerius, qui & exemplum *Pseudepigraphi Thomæ* exhibet.

XXIX. *Ecclesiastica Scripta* hujus Sæculi Ecclesiæ, in *tres* pariter Classes distinguenda,

Genuina, *Controversa*, & *Pseudepigrapha*, varia esse, satis constat; licet genuina, extra omnem dubitationem posita, rarissima & paucissima: quod vere dolendum.

XXX. Pro *genuino fœtu* hujus primi temporis habenda videtur Epistola *Clementis* (à Paulo memorati in Ep. ad *Philippenses*, post *Linum* & *Anencletum* Episcopi *Romani* ex traditione Ecclesiastica à Cl. Dodwello discussa & illustrata:) ad *Corinthios* scripta occasione Schismatis novi, in illa Ecclesia oborti, quo Ecclesia illius loci in quosdam suos *Presbyteros* insurrexerat, eosque loco moverat; quæ Epistola à Veteribus Ecclesiæ Doctoribus agnita, & multis honestata elogiis, quin & publice in Ecclesiis quibusdam prælecta, postquam diu latuisset, in lucem protracta est Sæc. superiore A. 33. à Patricio Junio, & inde à Doctis in Anglia, Germania, & Gallia Viris magno studio, imo sane nimio, commendata. Photii de ea rectum est judicium; videntque facile, quos immodica antiquitatis veneratio non deludit, quantum distet Apostolicis, sive *scribendi modum* & *ordinem*, sive *vim* & *pondus sententiarum*, sive etiam *res ipsas* consideres. Quando tamen eam cum cæteris, quæ feruntur, hujus temporis monumentis confers, laudari meretur.

XXXI. Scriptam esse à Clemente adhuc Presbytero A. Æ. V. 64. ante excidium Hierosolymitanum, (quam Cl. Dodwelli sententiam

tiam Caveus & Grabius adoptarunt:) vix videtur probabile. Quis enim largiatur Cl. Viris, *ἀρχαίαν antiquam* recte appellari *Ecclesiam Corinthiorum*, (§. XLVII) *decennio* ante, (A. LIV) (quæ Dodwelli sententia est) *ordinariis* modo instructam *Rectoribus*, qui tamen ipsi *Rectores* sive *Presbyteri* in hac Epistola πολλοῖς χρόνοις *multis temporibus probati fuisse* dicuntur. Assentior itaque Cotelerio, eam ad Sæculum mage provectum referenti, in cujus anno definiendo, qui ex nullo ejus charactere colligi potest, frustranea opera ponitur.

XXXII. Inter *Controversa* Scripta Ecclesiastica hujus temporis recensendum esse putem *Fragmentum* aliquod sive *Fragmenta Secundæ* ejusdem Clementis *ad Corinthios Epistolæ*, à Patricio Junio, Vendelino, & Cotelerio edita. Recte statuunt Viri Docti, esse *Homiliam* aliquam, sive διδαχὴν *Institutionem Ecclesiasticam*, non vero Epistolam. Eusebius eam Veteribus non æque *notam* fuisse asserit; & habet tamen *characterem simplicitatis*, qui videtur suadere, auctorem hujus homiliæ, si non sit ipse Clemens, *Sæculo tertio*, ad quod à Cl. Grabio refertur, antiquiorem esse.

XXXIII. Pariter ac *Epistolam Barnabæ*, Levitæ, ortu Cyprio, Pauli Apostoli Socio in Apostolatu ad Gentes, adscriptam, à Clemente Alexandrino & Origene agnitam, sed ab Eusebio inter scripta νόθα (quomodo appellat ille

quæ dubiæ ſunt fidei:) recenſitam, ſuperiore Sæculo in lucem protractam à Menardo, & Iſaaco Voſſio. Antiquam eſſe, arguit character ſimplicitatis; & à Chriſtiano ex Hebræis compoſitam, præcipuum Epiſtolæ argumentum. Et quis tamen eam *Barnabæ* tribuat cum Iſ. Voſſio & præſtantiſſimis hujus ætatis Theologis Britannis, (ne alios ὁμοφώνυς nunc memorem:) qui de ejus ſapientia, ut Apoſtoli Chriſti ad Gentes, & ſpiritualibus donis honeſte, ut par eſt, ſentit? Rectius facere videtur qui judicium hic ſuſpendit cum Cotelerio; nec dubium etiam mihi, quin *altera* ſive *poſtrema Epiſtolæ* pars *moralis* ſit ab alia manu & auctore, prioris lacinia quædam, ſed ipſa quoque ſatis antiqua.

X·XXIV. Minus certe adhuc tribuo Libro *Paſtoris*, qui *Hermam* aliquem auctorem præfert, eundem ex communi ſententia, quem Apoſtolus ad Romanos ſcribens ſalutari jubet. Etiamſi enim non negem antiquum eſſe, quippe ab ipſo jam Irenæo cognitum; & in Eccleſia Græca ejus non ſpernendam fuiſſe auctoritatem; imo ex eruditis recentioris ætatis plures in Gallia & Britannia auctoritati hujus Libri patrocinentur: alieniſſimum tamen me ab hac profiteor ſententia. Fictæ haud dubie *Viſiones* illæ ſunt ſive *Eccleſiæ* ſub perſona *Anus*, ſive *Angeli Paſtoris*. Nihil in iis ineſt quod Divinum dicas; multa futilia; quod jam vidit Tertullianus qui

Li-

Librum sprevit; & vidit quoque Eusebius. Nec esse primi Sæculi scriptum, argumentum & materia satis declarant, videturque auctorem habuisse Judæum.

XXXV. Inter *spuria* vero, & ψευδεπίγραφα *manifesta* Ecclesiastica, sequente ætate hujus primi Sæculi Doctoribus supposita, omnino recensendi sunt *Libri Decem Recognitionum Clementis*, sive *Itinerarium Clementis* vel *Itinerarium* (περίοδοι) *Petri* quod dicitur, & *Disputationes Petri cum Apione*, Clementis Romani pariter nomine vulgatæ, quarum Eusebius meminit sed quæ nunc integræ non extant, & *Clementina*, à Cotelerio edita, Origenis tamen tempore antiquiora, quibus inter veri nominis eruditos nemo nunc patrocinium amplius præstat; judicio etiam Eusebii & Photii damnata.

XXXVI. Nec non *Dionysii*, Senatoris *Areopagitæ*, à Paulo ad fidem in Dominum conversi, qui feruntur Libri varii argumenti de *Hierarchia Cœlesti & Ecclesiastica*, *Divinis Nominibus*, *Mystica Theologia*, & *Epistolæ* inter alias ad *Titum* & *Joannem Evangelistam*; opus sane à Viro Docto, florentis ingenii, & Philosophiæ Platonicæ peritissimo, sive inclinato Sæculo IV, sive V compositum, (de quo videndi Dallæus & Caveus;) sed quod nemo Dionysio vero vindicet, nisi vel sani judicii sensum vel pudorem decoxerit; etsi id nostro ad-

huc tempore post Baronium & Possevinum tentarit Natalis Alexander, imo & post illum alii, sed plane hic absurdi.

XXXVII. *Doctrinæ* puri Evangelii, satæ ab Apostolis, opponuntur HÆRESES & SCHISMATA quæ dicuntur, secundum usum harum vocum Ecclesiasticum; quorum *illis* denotantur privæ electionis Dogmata erronea, fundamentum Fidei subvertentia, pertinaciter defensa; *his* sententiæ à communi Fide aut praxi Ecclesiæ discrepantes, ad Ecclesiam turbandam & in partes distrahendam facientes, illæso tamen hactenus ipso Fidei fundamento. Neutrius generis exclusit *virgineus Ecclesiæ Apostolicæ status*, quem apud Eusebium prædicat Hegesippus.

XXXVIII. HÆRESES, hoc sensu sumptæ, in Scriptis Apostolicis notantur *tres*; in Monumentis Ecclesiasticis *variæ*, sed quas ad *binarium numerum* facile reduci posse, ostendemus.

XXXIX. *Hæreses*, quarum memoria in Apostolicis Scriptis conservata est, in tres impingunt *Doctrinæ* Religionis partes, *Theoreticam*, *Practicam*, & *Moralem*.

XL. *Prima* harum, *Theoreticam* concernens *Doctrinam Religionis*, auctoribus Hymenæo, Phileto, Alexandro, (haud dubie Judæis Hellenistis:) negabat *Resurrectionem mortuorum*, qualem Ecclesia credit, arguebatque in contrarium, *Resurrectionem jam factam esse*, ut ex

priore

priore Pauli ad *Corinthios*, & *utraque ad Timotheum* liquet. Et est tamen vel illud maxime dubium, an hujus Sectæ auctores omnem abnegarint *spem futuræ vitæ*, quæ Sadducæorum fuit sententia; num solummodo *corporum* quæ ceciderunt *resuscitationem* negantes, præmium beatæ vitæ *animabus* solis, à corpore solutis, vel *purioris* & *cœlestis substantiæ corporibus* induendis, adscripserint, ut deinceps Gnostici & Marcionitæ. *Prius* Pauli disputatio adversus hanc hæresin instituta, in *Epistola ad Corinthios*, & *blasphemiæ* nomen, quo eam notat, suadere videntur; *posterius* vero illud, quod facile intelligi nequeat, quomodo Christianæ professionis homo omnem *spem futuræ vitæ*, quæ inter præcipuas Christianæ Religionis Bases est, abnegare queat: de quo alibi pluribus disputo.

XLI. *Altera*, *Cultum* Religionis spectans, pertinaciter contendebat *necessitatem observandæ Mosaicæ Legis Ritualis* sub Oeconomiæ Nova, tam respectu *Gentium* quam *Judæorum*, in Christum Jesum credentium; cujus Dogmatis momentum & perniciem Paulus pro sapientia sua præcipue demonstravit in Epistola ad Galatas, adversus *falsos Doctores* (Pseudapostolos) ex *Judæis*, ζηλωτὰς τοῦ νόμου; *lucri* præterea *avidos*, & virtutibus ac famæ Paulinæ *invidos*, & Judæorum *timentes* odia & persecutionem. Et verum tamen est, licet imprudentioribus res forte tanti esse non videretur; hanc unam sen-

tentiam universum Doctrinæ Christianæ fundamentum subruere; quod Paulus perspiciens aperte docuit, neminem, hujus erroris tenacem, esse posse in communione Christi; nec dissedit hic à cæteris Apostolis, ut patet ex *historia Conventus Hierosolymitani* apud Lucam, & *Epistola* ejus *ad Galatas*.

XLII. *Tertia* harum hæresium *Moralem* Doctrinæ Christianæ *partem* convellit, suadens *omnimodam*, & *minime restrictam libertatem* omnium Christianorum; contra statuens, omnem *servitutem*, sive *servitutis speciem*, qua homo homini in *Societatem Civili* obligatur ad *obsequium*, (qualis est obligatio subditorum erga Principem, aut Magistratum:) vel *naturalis* ejus *libertas* in qualicunque casu *restringitur* aut *limitatur*; (quod fieri putabant in *Conjugio*;) esse ex peccato, & per Christum Jesum sublatam, qui secundum auctores hujus Hæresios, (erant autem illi Philosophi *Judeo-Christiani*, Veteribus *Gnostici* dicti; de quibus mox:) omnes in se credentes restituit *libertati nataralí*. Hanc veram fuisse horum hominum sententiam, sive *sententia* illorum *exitialis* hypothesin, ex Epistolis *Posteriore Petri* & *Judæ*, comparatis cum *Fragmentis Disciplina Gnostica*, à Cl. Grabio editis, clarissime liquet. Sed erat hæc sentina omnis ἀταξίας, & impuritatis.

XLIII. De *Heresibus* hujus Sæculi, quarum præter has Scriptores Ecclesiastici Veteres,

Justi-

Justinus, Irenæus, Tertullianus, & ex iis Eusebius; tum quoque Epiphanius, Theodoretus, aliique meminerunt, multa confuse commemorantur ab illis, & qui illos sine discrimine judicii sequuntur, ac describunt; quare hic caute & prudenter procedendum est. Revocari possunt omnes ad sectas *Gnosticorum*, & *Ebionitarum*.

XLIV. Gnostici in genere dicti sunt *Christiani* primi temporis, qui sublimiorem jactabant & affectabant rerum Divinarum Scientiam, quam Doctrina Christi & Apostolorum traditur; Philosophiam Pythagoricam sive Platonicam cum Dogmatibus Christianæ Religionis commiscentes, & ex iis inter se permixtis, suisque εὑρήμασι auctis, concinnantes integrum quoddam contemplationum subtiliorum systema; quam *vanam* & falso sic dictam *scientiam* Apostolus ad Timotheum notat nomine ψευδωνύμου γνώσεως.

XLV. Ad hanc sectam referendi sunt qui feruntur perniciosorum dogmatum auctores *Simon*, *Cleobius*, *Menander*, *Cerinthus*, & ut quibusdam persuasum est, *Nicolaus* aliquis, unde *Nicolaitæ*; à quibus nominibus totidem hæreses hujus temporis vulgo appellari solent.

XLVI. Sed quod ad *Nicolaitas* attinet, vagæ libidinis & promiscui congressus carnalis Doctores, quorum origo trahitur à *Nicolao*, Proselyto Anthiocheno: nulli dubitamus, quin fi-

cta sit traditio, occasione sumpta ex Apocalypsi Joannis, in qua *Nicolaitarum* mentio fit. Quod nomen cum existimarent Veteres duci ex auctore aliquo sectæ, cui nomen *Nicolao*; & cum præter Diaconum *Nicolaum* alium hujus nominis non offenderent in Scriptis N. T. illi, Viro haud dubie sancto & nihil ejusmodi à posteris merito, hanc imposuerunt personam. Sed poterat alius aliquis Nicolaus esse auctor hujus sectæ; nec est absurdum ita sentire; etsi ego omnino persuasum habeo, nomen hoc in *Apocalypsi* esse Symbolicum, fictum ad interpretationem nominis *Bileamitarum*, quo Symbolico nomine designentur iidem illi Hæretici, qui in *Posteriore Petri* & *Judæ* Epistolis; de quo alibi copiosius sententiam dixi, & adstruxi.

XLVII. Nec de his, quæ *Simoni* alicui (Vetustas Christiana credidit, esse *Simonem* illum *Magum* de quo mentio est in *Actis*:) imputantur, certior fides. Quæ enim Irenæus habet de Doctrina illius Simonis, quem Vett. faciunt omnium Gnosticorum Principem: esse *se* omnium rerum *Patrem & Principium*; *Conjugem suam Selenen*, (*Helenam*, Eusebius:) quæstuariam Phœniciam, esse *primam* suam *Emanationem*; ex ea prodiisse *Archangelos*, & *Angelos*, hujus fabricatores Mundi; *illam* ab *his* captivam detentam esse, sed venisse Patrem (Simonem) ad eam *liberandum*; absurda videndden-

dentur, accepta κτ̀ γράμμα; sed mystice ex principiis Philosophiæ Platonicæ sive Pythagoricæ quomodo explicari queant, alibi docui. Eodem modo accipienda sunt quæ Irenæus, & Vett. alii tradunt de *Menandro*, hujus Simonis Discipulo, ipso quoque, ut ferunt, Samaritano. Hæc certa haberi debent, *α. Simonem* hunc, qualiscunque demum fuerit homo, auctorem fuisse vel Propagatorem Doctrinæ Gnosticorum de variis Dei *Emanationibus*. *β. Mundum* hunc docuisse esse *conditum* ab *Angelis* aut *Archangelis*. *γ. Homines*, ab horum potestate liberatos per *Filium Dei*, aut, si ita placet, *Simonem* ipsum, *perfectæ libertati* esse restitutos. Reliqua petenda sunt ex Irenæo, sed sano capienda sensu, & in universum ex *Pythagoreorum* sive *Kabbalistarum Judæorum*, sententiis, institutis, ritibus, cærimoniis, explicanda.

XLVIII. *Cerinthi*, *Asiani*, de Origine & Regimine hujus *Mundi* eadem fuit sententia, atque adeo *Gnosticis* accensendus est. Fertur tamen præter ea tenuisse, *α. Jesum* homine *Josepho* æque ac *Maria* genitum esse, secundum Legem naturæ. β. Huic *Jesu unitum* esse *Christum*, sive *supremam Dei Emanationem*, ipsum Filium Dei, non à tempore *conceptionis* & *nativitatis*, sed *solennis inaugurationis*, quando per Baptismum à Joanne initiatus est Muneri Publico, *triginta* natus *annos*, ejusque *unionis* Symbolum

bolum fuisse in Spiritu. S. *in ipsum*, specie *columbæ*, descendente. Quos errores Joannes in *priore* sua *Epistola* refellit, ut inter Doctos Bullus clarissime demonstravit.

XLIX. Hæc de *Gnosticis*. De Ebionitis tenendum, esse illos *Christianos ex Judæis* qui sententiæ illi, quam Paulus oppugnat in *Epistola* ad *Galatas*, de *necessitate observandæ Legis Mosaicæ*, firmiter adhæserunt; dubium etiam, an *humanæ* Christi *naturæ partum* docuerint editum esse secundum naturæ Leges. Irenæi enim verba diversimode accipi possunt: de quo videndus Bullus.

L. Nominis explicatio cum imperitis qua Vett. qua recentioribus, non est repetenda ab homine quodam *Ebione*, sed ex Hebræa voce אביונים *Pauperes*, egeni, humiles, qua Prophetæ designant *Populum* Messiæ, Jacobi phrasi; οἱ πτωχοὶ τοῦ κόσμου τούτου. Alias dicuntur *Nazaræi*, usi *Evangelio* quodam, ad illud Matthæi proxime accedente, sed interpolato.

β. De *Cultu Religionis* Ecclesiæ. Sæc. I.

I. *Doctrina* consequens est Cultus Divinus, præceptis Doctrinæ Christianæ definitus ac circumscriptus, constans actibus, ritibus, cærimoniis, ad Deum honorandum & demerendum compositis, vel *Privatus* & *Domesticus*,

vel

vel *Publicus* sive *Ecclesiasticus*. Uterque simplex est, castus, purus, rationalis, spiritualis; resciſſis non necessariis, supervacaneis, & externis sive carnalibus cærimoniis omnibus, quas Deus per tot sæcula in *Religione Publica* sui Populi toleraverat.

II. *Privatus* Dei *Cultus*, ad quem tum Christiani singuli; tum Patres & Matres familiarum obligantur, tanquam quibus earum institutio & cura proxime commissa est, absolvitur exercitio rationali *lectionis* & *meditationis Verbi Divini*; statæ *invocationis Divini Nominis* in precibus, supplicationibus, gratiarum actionibus, hymnis, & cantu; *colloquiorum* de Divinis rebus, aut *admonitionum* & *exhortationum*, ab iis qui familiæ præsident pro cujusque facultate instituendarum. Sic Dominus, sic Apostoli ejus præceperunt; sic Sancti omnium temporum præiverunt.

III. *Publicus*, sive *Ecclesiasticus*, huic dissimilis, plura tamen complectitur; estque in universum vel *Verbalis*, vel *Ritualis* & Symbolicus: uterque accommodatus ad statum Ecclesiæ N. F. internum & spiritualem.

IV. *Verbalis* constat *Oratione ad Deum*, & *Oratione de Deo*; phrasi Lucæ; ταῖς προσευχαῖς, καὶ τῇ διδαχῇ: sive τῇ προσευχῇ καὶ τῇ διακονίᾳ τοῦ λόγου, *Precibus* & *Administratione Sermonis*.

V. *Oratio ad Deum* solenniter facienda à Præ-

fectis

fectis Sacrorum Publicis, & ad circumstantias temporum concinnanda, varii est argumenti. Ab Apostolo refertur ad δεήσεις *Preces*; ἐντεύξεις *Intercessiones pro aliis*; & εὐχαριστίας *Gratiarum actiones*, quo nomine simul complectitur Δοξολογίας, quibus Dei Perfectiones & Virtutes enarrantur & celebrantur; quas voces & precationum genera ex *Synagoga antiqua* in *Opere* hujus argumenti illustrare conati sumus.

VI. *Administratio Sermonis* vel *Ordinaria* fuit, vel *Extraordinaria*. *Ordinariam* fecerunt PRÆLECTIONES solennes *Scripturæ Sacræ* V. T. *Evangeliorum*, & *Epistolarum Apostolicarum*; (postquam nimirum hi Libri in *Canonem* digesti sunt:) & *Epistolarum* quoque aut *Tractatuum* utilium, ab aliis Viris Sanctis editorum in usum Ecclesiæ, quæ *Prælectio* haud dubie facta est à *Diaconis*; quod deinceps obtinuisse novimus; & ORALES INSTITUTIONES HOMILETICÆ, tum ad Scripturam prælectam explicandam, confirmandam, illustrandam, paratæ; tum præcipue pias complexæ ad virtutis studium *Exhortationes* & admonitiones, vel *consolationes* etiam, *redarguutiones*, *correctiones*, ad *præsentium temporum qualitatem*, ut cum Tertulliano loquar, accommodatas, eæque non sane magno studio elaboratæ, aut ingenii, acuminis, eruditionis, ostentandæ caussa, sed puro *animarum ædificandarum* consilio enunciatæ à Viris gravibus, *Ecclesiarum præpositis*.

VII. *Ex-*

VII. *Extraordinaria Sermonis administratio* in Ecclesia primi ævi concessa est utriusque sexus hominibus, à Spiritu S. extra ordinem affectis & ad loquendum incitatis, sive Ecclesiæ in precibus præirent, sive Revelationes Divinas sibi factas enarrarent, sive Oracula antiqui Fœderis interpretarentur, sive etiam *Psalmodias* à se ad communem ædificationem compositas cantillarent, aut *inter communia sacra*, aut, ut probabile, *dum celebrabantur Agapæ. Cantus* enim in *prima Ecclesia* magis fuisse videtur privorum Ecclesiæ membrorum quam totius cœtus, fuitque ille mos *sequente Saculo* adhuc in quibusdam Ecclesiis observatus, ut liquet ex Tertulliani *Apologetico*. Et patet tamen ex *Epistola* Plinii *ad Trajanum* & Eusebio in Historia *Theodoti Coriarii*, in aliis Ecclesiis jam in initio *Secundi Saculi* communes quasdam *Odas* in laudem *Christi* in Ecclesiis aliis cantari solitas esse. Testis hujus *libertatis prophetandi* certissimus est Paulus in *priore ad Corinthios*, quæ tamen ab ipso quodammodo vel restricta est vel redacta in ordinem.

VIII. Ritualis, sive *Symbolicus*, Religionis Christianæ Cultus, pro Religionis illius natura pariter simplicissimus est, ad præcipua Religionis illius Dogmata tum de *Beneficiis Remissionis peccatorum*, *Sanctificationis*, & *æternæ* post hanc vitam *Gloriæ* in *communione Christi*, vi *mortis ejus*, per fidem obtinendis; tum de *Officiis*, ad quæ Christiani per fidem in Christum

ſtum obligantur, declaranda, & beneficia illa gratiæ credentibus obſignanda, à Chriſto Jeſu inſtitutus, & circumſcriptus Cærimoniis Sacramentalibus, *Baptiſmi* & *Sacræ Cœnæ*.

IX. *Baptiſmum* ſatis conſtat in Eccleſia Apoſtolica ſic eſſe adminiſtratum, ut omnes promiſcue *adulti*, rite *inſtituti* principiis Religionis Chriſtianæ, quæ alligabantur ad *Doctrinam de Patre*, *Filio*, *&* *Spiritu S.* eorundemque fidem aperte profeſſi, ſive coram Eccleſia tota, ſive apud illius Præpoſitos, ab Adminiſtris Sacrorum, ad id delegatis, in aquam puram, communem, toto corpore, fuerint immerſi, dum Præfectus Sacrorum illos monebat de officio, ad quod per *Baptiſmum* ſe patiebantur obligari, ſecundum *formulam* à Domino præſcriptam; eſtque probabile, minorennes in familiis, quarum adulti omnes hoc Chriſtianiſmi ſignaculo Religioni initiabantur, his Sacris non fuiſſe excluſos.

X. Nihil hic novi, (neque enim cærimonias, quæ ſequentibus Sæculis huic Ritui acceſſerunt, hic recenſere attinet:) niſi quod *Apoſtoli*, ubi præſentes aderant, in recens *Baptizatos*, per *impoſitionem manuum*, ἐπιθέσιν χειρῶν, cum precibus conjunctam, derivaverint Donum extraordinarium *prophetandi*, ſive de Divinis rebus copioſe diſſerendi, *variis Linguis*, quas antehac non didicerant. *Apoſtoli*, inquam, quorum ſolo-

solorum hic fuit character, quemque, ad omnium stuporem, convincens de Divina illorum missione, & summa auctoritate.

XI. *Cœna Dominica*, Epulum Sacrum, à Domino in *memoriam suæ passionis*, & ad insignes ejus *fructus* tum significandos, tum obsignandos institutum, eodem simplice ritu hoc Sæculo est celebrata, quem Christus Jesus, præcepti auctor, suo exemplo demonstraverat, & Apostolis suis commendaverat. Accubuerunt Credentes communi mensæ *præsidentibus Presbyteris*, *ministrantibus Diaconis*, appositis *Pane*, & *Vino*, aqua, ut videtur, diluto, quandò *Presbyterorum primus*, Christi Jesu personam in hoc actu repræsentans, post *præcedaneas preces*, *panem in partes* fregit, eumque vel ipse per se, vel per Diaconos, cum credentibus Baptizatis, adultis, nullius noxæ convictis, communem fecit; pariter agere instituens cum *Poculo*; dum ipse interea convivas monebat de *mysterio* mysticæ communionis cum Christo, quod hoc ritu condebatur, & de *officio* mutuæ inter se conjunctionis & fraternæ communionis, quod ipso hoc *Epulo Confœderationis spiritualis* figurabatur.

XII. *Epuli* hujus partem in prima Ecclesia fecerunt AGAPÆ, jam notæ hoc nomine quo tempore Judas suam scripsit *Epistolam*; deinceps à *Cœna Domini* in multis Ecclesiis divisæ, & *post* eam, non *ante*, celebratæ; & quidem *vespertino tempore*, cum *Symbola Sacra* in solenni

conventu diſtribuerentur *matutino*, & *ante lucem*, quem ritum jam in initiis Sæc. ſeq. obtinuiſſe liquet ex *Epiſtola* Plinii *ad Trajanum*; eſtque id alibi recte à Salmaſio obſervatum; cum contra ævo Apoſtolico *Agapæ* haberentur ante *Cœnam*, in qua *Agapæ* terminabantur, ut facile colligere eſt ex *priore Pauli ad Corinthios*. Erant autem *Agapæ* proprie id quod Græci vocabant Συμβολὴ *Cœna collatitia*, ſive Συμπόσιον ἐκ συμβολῆς ἐπιπλεόμενον, in quam promiſcue ab omnibus, præcipue ditioribus, *conferebantur* vel comparabantur *edulia*, in communi capienda, ad fovendos & refocillandos pauperes, & mutuam omnium inter ſe obſignandam communionem. Et tamen ditiores & honoratiores non ubique hic partibus ſuis ex Lege charitatis Chriſtianæ functos eſſe, manifeſtum fit ex *priore ad Corinthios*; & variaſſe hic Eccleſiarum conſuetudines, nec ubique in uſu fuiſſe *Agapas*, hiſtoria temporum & Conciliorum Canones docent. Hæc eſt illa κλάσις τοῦ ἄρτου & μετάληψις τροφῆς, nota his nominibus in hiſtoria Lucæ.

XIII. *Ordo* inter hæc ſacra obſervatus eſt ſimplex, quippe de quo ex Monumentis ſequentis Sæc. abunde edocemur. Exordium fuit à *prælectione Scripturæ S.* Evangeliorum, Epiſtolarum Apoſtolicarum, aut aliorum etiam Tractatuum, vel Epiſtolarum Sanctorum Virorum, ad communem uſum inſtructarum; ſequutæ ſunt *Exhortationes* aut digreſſiones *Homileticæ*; has

has exceperunt *Preces communes.* Inde parata mensa ad celebrandum *Epulum Sacrum*, sive *Cœnam Dominicam*; cujus Symbola, in mensa disposita, antequam inter accumbentes divisa sunt, præmissæ à Præside Presbyterorum sunt *Preces Eucharisticæ*, quibus munera hæc consecrari & ex communi in sacrum usum transferri censebantur. *Cantica* si quæ composita essent à fratribus, vel locum invenerunt suum post *Exhortationes Homileticas*, iisque cognata *Exercitia donorum spiritualium*, vel in fine *Agaparum.*

XIV. *Loca*, Religioni Sacra, primo quidem Christianismi tempore, antequam Discipuli Christi plane renunciassent communioni Judaismi, in genere erant *Templum*, *Synagoga*, *Schola*; sed præcipue & proprie Ὑπερῷα *Conclavia* sive *Cœnacula* ampliora Ædium privorum quidem Ecclesiæ membrorum; attamen solenni Religionis exercitio destinata. Patet illud ex *Actis Lucæ*; nec abhorret à consuetudine Judaica. *Oratoria Publica*, à privatorum Ædibus distincta, & hoc nomine nota, non sunt hujus Sæculi.

XV. *Tempora* Cultui Divino consecrata erant *stati Dies*, phrasi Plinii, *quibus* Christiani *soliti fuerunt convenire*, & quidem citra omnem dubitationem; *primi Hebdomadarum*, *Dominici* jam dicti in Apocalypsi, quod memoriæ *resurrectionis Domini ex mortuis* celebrandæ caussa instituti, &

ti, & ipſius *Chriſti Jeſu exemplo* veluti conſecrati eſſent. Res nota ex *Actis*, & Evangelio Joannis; nec non ex Juſtino, & conſtante conſuetudine Eccleſiæ Veteris. Aliorum *temporum ſacrorum* hoc Sæculo nulla memoria; niſi quod liqueat ex *Actis*, & ritu plurium Eccleſiarum antiquarum, in majoribus oppidis Chriſtianos frequentius, & ſæpius καθ' ἡμέραν *quotidie* conveniſſe; & aliunde ſatis certum ſit, *Sabbatum* à Chriſtianis antiqui temporis non eſſe neglectum, licet ille qualiſcunque cultus *Sabbati* inter Chriſtianos ex diverſis profluxerit principiis. De *Paſchatis Feſto* res magis dubia; etſi probabile, origines illius Cultus jam hoc Sæc. quærendas. Idem forte judicandum de *Jejunio Antepaſchali quadraginta*, non dierum hactenus, ſed *horarum*, & *Anniverſariis Martyrum*.

γ. De Regimine & Disciplina Eccleſiæ Sæc. I.

I. *Sacra* autem Eccleſiæ *Publica*, de quibus verba fecimus, cum neceſſario requirant *Sacrorum Præſides* & *Adminiſtros*; & ipſa *Eccleſia* ſecundum aſpectum ſuum externum, & vim hujus ſui nominis, (Ἐκκλησία) cum faciat *Societatem* aliquam ſive *Civitatem ſacram* & religioſam, ſtylo Scripturæ τὸ πλῆθος τῶν πιστευόντων:

των: opus omnino habuit *Rectoribus*, sive, phrasi Scripturæ, *Pastoribus*, *Doctoribus*, *Ductoribus*, Sanctorumque *Ministris*, qui eam tum suis moderarentur consiliis, & institutionibus atque exhortationibus instruerent; tum *Sacra ritualia* ejus nomine administrarent, & quod illi officio cognatum est, *Disciplinam Ecclesiasticam* secundum præcepta Domini, & Societatis naturam, diligenter ac provide exercerent.

II. Verum enim est, & observatu utile ad naturam Ecclesiæ Christianæ recte intelligendam, genuinam formam & speciem externam Ecclesiæ Christianæ nobis exhibere *Societatem* quandam *Scholasticam*, cujus *Rectores* iidem sunt *Doctores*; cujus DOCTORES ἡγέμενοι *Ductores*, & προεστῶτες *Præsides*; cujusque *Civitatis* sive *Societatis Scholasticæ* subditi sunt μαθηταὶ DISCIPULI, quo nomine credentes in Christum passim veniunt in *Actis*.

III. Inde omnis *Societas* sive *Ecclesia* Christiana in binas dispescitur PARTES, quas sano sensu stylo aliarum Civitatum appellare liceret *Rectores* & *Subditos*, si non docuisset nos Dominus in contemplatione *Status Ecclesiæ* omnem comparationem Regiminis Civilis fugere. Et vere Ecclesia Christiana nullum agnoscit *imperium* nisi Christi; nemini obsequium debet nisi *Domino*, vel *in Domino*. Rectores Ecclesiæ sunt *Ministri Christi*, & *administri fidei Sanctorum*, eorumque in Domino Fratres. Nec est tamen

hæc locutio plane extra usum Scripturæ, *Heb*, XIII. 17. Rectius *partes Ecclesiæ* appellamus, *Sacrorum Administros*, & *Cœtum sanctorum* cui sacra administrantur; *Doctores* & *Discipulos*; *Pastores* & *Gregem*, sive, ut Vetus Ecclesia jam seq. Sæc. CLERUM & PLEBEM, in qua appellatione nihil vitii, petita enim est, ut Eruditis Viris jam docte observatum est, ex *Act.* I. 17. 25.

IV. Est autem *Regimen* Ecclesiæ vel *Universalis*, sive totius Corporis & Universitatis Credentium, vel *Particularium*, in quas totum Corpus Sanctorum divisum est. Utrumque subordinatum & subjectum Christo, summo Pastori, atque adeo *Regimen* Διακονικὸν *Servile*, sive *Ministeriale*.

V. *Rectores* sive *Doctores Ecclesiæ* Catholicæ, quorum generalis est ad omnes Ecclesias respectus, sunt APOSTOLI, eorumque αἱ πλήψεις *Subsidia Ministerialia*, EVANGELISTÆ, & PROPHETÆ.

VI. APOSTOLI dicuntur *Delegati* Christi Jesu, ab ipso electi & summa instructi potestate atque auctoritate ad statum Ecclesiæ ejus in hisce terris *post abitum ejus in Cœlos*, ordinandum, & constituendum, eamque tam judicandam quam gubernandam, *loco* veluti & *vice* Christi, summi Ecclesiæ *Principis* & *Patriarchæ*, cujus ipsi habebantur *Assessores*, (sic ipse Dominus apud Matthæum & Lucam:) ad Ecclesias ordinandas

& in-

& inspiciendas *Delegandi*, quæ genuina hic significatio videtur vocis Ἀπόστολος, שליח, ex consuetudine Judaica illius temporis.

VII. *Characteres* illorum διακριτικοὶ, stylo Pauli, τὰ σημεῖα τοῦ Ἀποστόλου, *notæ Apostoli*, sunt, α. *Infallibilis Ductus* Sp. S. in *veritatem*, docendam & ex Verbo Divino interpretandam, conjunctus cum *dono Sapientiæ* tam in loquendo & scribendo, quam in rebus Ecclesiæ rite ordinandis. β. *Judicium summum* in controversiis, si quæ inciderent, & *Religione*, & potestas *ligandi* & *solvendi*, h. e. de rebus *licitis* & *vetitis*, quæ Oeconomiam Ecclesiæ Novi Fœderis spectant, sententiam suam *per spiritum Christi* pronunciandi; jubendi, vetandi, ordinandi, quæ ad rem Religionis pertinent, in *Spiritu* quidem *mansuetudinis* & *sapientiæ*, & tamen ea auctoritate, ut *præcepta* & *doctrinæ* illorum de *licitis* & *vetitis*, imo etiam de *credendis*, obligent conscientias ad obsequium, secundum grave illud dictum Domini: *Quicquid ligaveritis in terra, &c.* Item: *Sedebitis mecum in duodecim thronis, &c.* non in *Judicio* novissimo, sed Ecclesiastico, secundum Canonem Doctrinæ & Judicii Apostolici instituendo. γ. *Facultas τοῦ ἐκδικῆσαι πᾶσαν παρακοὴν vindicandi omnem inobedientiam*, noxiam profectui Evangelii Christi, ut liquet ex exemplo Elymæ, ut & Ananiæ, ac Sapphiræ. Id ipsum est quod Apostolus *priore ad Corinthios* appellat *Virgam*, & Scriptores passim,

Virgam Apostolicam; quæ involvit potestatem *immorigeros tradendi Satanæ*, castigandos judiciis temporalibus, & vexandos, aut quo modo alio cruciandos ad *interitum carnis, salutem animæ*. δ. Prærogativa singularis derivandi *dona Sp. S. prophetiæ* & *Linguarum* per *impositionem manuum* in recens *baptizatos*. Exempla sunt in *Actis*. Apostolis hæc gratia priva fuit. ε. *Divina Virtus* illos concomitans in edendis *miraculis portentosis*, quæ satis constabat à minore potentia quam *summa*, effici non posse. Paulus & Lucas τέρατα & δυνάμεις vocant. ζ. *Immediata missio* & *vocatio* Christi Jesu, qualis illa *Joan.* XX. 22. Paulus ad *Gal.* Ἀπόστολος οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ δι' ἀνθρώπων, ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Patet, fuisse illos in his terris Christo Jesu cœlis recepto subordinatos, ut auctoritate non sua, sed Christi, *in Spiritu ejus*, statum Ecclesiæ componerent, & *Evangelium* per totum seminarent orbem.

VIII. Fuerunt autem *electi* & *vocati* à Christo ad gravissimum hoc Munus *duodecim*, cum respectu ad XII tribus Israëlis. *Primus* SIMON dictus PETRUS, & ANDREAS, *frater ejus*; JACOBUS, *Filius Zebedæi*, *&* JOANNES, *ejus frater*; PHILIPPUS *&* BARTHOLOMÆUS; THOMAS & MATTHÆUS *Publicanus*; JACOBUS *Alphæi*, *&* LEBBÆUS, *cognominatus* THADDÆUS; SIMON *Cananites*, & JUDAS *Iscariotes*, *qui & prodidit Dominum*. cui surrogatus *Matthias*,

thias, forte electus. Accessit PAULUS, *Apostolus Gentium*, maximis Apostolis non minor.

IX. Liquet inde, *Formam* Regiminis Ecclesiæ Universalis à Domino non esse institutam *Monarchicam*, ut Pontificiæ Sectæ Doctores contendunt; sed, si hic uti liceat notione à Formis Regiminis Civilis desumpta *Aristocraticam*; sive *summum Regimen subordinatum* non fuisse apud *unum*, sed *plures*. Apostolorum enim *duodecim* eadem erat potestas, eadem auctoritas, communia signa & notæ Apostolatus; communis missio & vocatio; nec patet ex historia Ecclesiæ, unum se supra alios extulisse, sed in rebus gravioris momenti communi consilio & consensu de necessariis statuisse, & secundum præcepta Domini, à Spiritu actos ductosque ambitionem omnem carnalem exclusisse, suffocasse; *officii* curam habuisse, non *imperii*.

X. Quare quid jactant hic tantopere Petri supra reliquos Apostolos eminentiam Romanæ Ecclesiæ & Sedis Parasiti, quam Petrus ipse nullibi jactavit, nullo in casu præ se tulit? Nec tamen illi, Apostolo vere excellenti, *ætate* & *vocationis* ordine *primo*, negamus prærogativam, illi à Domino concessam, post ejus ἀνάληψιν *fundandi Ecclesiam Christianam*, eamque, in *Festo Pentecostes*, *aperiendi Judæis*, & *Cæsarea*, in domo Cornelii, *Gentibus*. Cætera cum aliis

aliis Apoſtolis communia habuit, nec majore ſe ſupra illos extulit *auctoritate* & *imperio*, quod Dominus in eum nunquam contulerat. Ipſe Apoſtolorum *ordo*, & Apoſtolatus *officium*, nos monent de eorum ἰσότητι *æqualitate*, ſive *paritate*.

XI. *Jacobus Alphæi*, memoratus inter hos Apoſtolos, idem eſt homo qui *Jacobus*, *Frater Domini*, dicitur à Paulo, non quod eſſet *Joſepho*, Patre putatitio Chriſti, genitus, ut Euſebius: ſed quod ſuſceptus eſſet ex *Maria*, ſorore matris Domini, cujus maritus erat *Alphæus*, ſive *Cleopas*, ut ex collatione Hiſtoriæ Evangelicæ liquet. Veterum multi *Jacobum*, *fratrem Domini*, ab utroque *Jacobo*, Apoſtolis, diſtinguunt, quem *Jacobum*, *fratrem Domini*, eundem eſſe putant *Jacobum*, cui *Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopatus* commiſſus eſt ab *Apoſtolis*, & qui ſub *Anano* Pontifice martyrii reportavit coronam. Regnavit ſententia Sæc. IV. quæſituſque illi color eſt ex I *Cor.* XV. 7. præcipuam tamen auctoritem ſuam nacta ex *Conſtitutionibus Clementinis*, ut *Ceſtrienſis* Epiſcopus recte obſervavit. Euſebius ipſe hic fluctuat, & cum hunc *Jacobum* L. I. C. XII. exerte à *Jacobis Apoſtolis* diſtinxiſſet, & *unum* fuiſſe dixiſſet *ex* LXX *Diſcipulis*; in ſeqq. (nim. L. II. C. I.) rurſus de *Jacobo*, *Fratre Domini*, diſſerens, *duos* tantum *Jacobos* fuiſſe, adfirmat. Verum falſa videtur ſententia, quæ

Jaco-

Jacobum Alphæi, *Minorem* dictum, à *Jacobo*, fratre Domini distinguit, quippe ex collatis locis *Matth.* XIII. 55. & *Act.* I. 13. facile evincitur; ut adeo mirer, Henricum Valesium in illas partes se propensiorem præbuisse, & Cestriensem quoque Episcopum minus fidenter se huic errori opposuisse.

XII. *Apostoli* autem secundum mandatum Domini apud Matthæum, & Marcum: *Profecti* εις κόσμον ἅπαντα IN TOTUM MUNDUM, *prædicate Evangelium omni creaturæ*; postquam aliquandiu substitissent Hierosolymis, inde digressi in diversas partes Orbis terrarum, officium hoc suum haud dubie diligenter expleverunt, sparso Evangelii semine per præcipuas culti Orbis regiones; & in eo satis sunt concordes antiqui Ecclesiæ Doctores; licet vere incertum haberi debeat, an *Orbem* hunc *terræ inter se sortiti sint*, & quæ singulis *sors* obtigerit; & *quo* præcise *tempore* mandatum hoc exsequuti sint; nisi quis *Clementinis spuriis*, *Abdiæ Babylonio*, & similis generis scriptis, se imprudenter committat. Nec tamen plane sperno traditionem Origenis hac de re imperfectam apud Eusebium; & minus adhuc, animadversione dignissimam traditionem Apollonii, secundi Sæc. Scriptoris, apud eundem Eusebium, & analogam Clementis Alexandrini, ex *Prædicatione Petri* petitam, quæ fert, *Apostolos, ex mandato Domini, per* XII *annos subsistere* debuisse *Hierosolymis*,

lymis, antequam se alio conferrent. Prudentius certe illud, quam quod alii, inter quos Lactantius de *Mort. Persec.* tempus illud *dispersorum Apostolorum per omnem terram ad prædicandum Evangelium* ab ipso anno *Christi Jesu passi* & *cœlis recepti* arcessant, quippe quod directe pugnat cum historia Lucæ; ex qua ipsa insuper liquet, plerosque Apostolos etiam post *duodecimum annum* à Christi discessu Hierosolymis adhuc hæsisse.

XIII. Incertitudo hæc & contrarietas particularium traditionum de *Apostolorum Vita*, *Gestis*, *Itineribus*, quarum memoria in tempore literis mandata non est, fecit, ut tandem etiam falsi suspecta haberi cœperint quæ Vetus traditio ut certissima & πεπληροφορημένα commendat; veluti, *Petrum Apostolum*, postquam alias peragrasset partes hujus Orbis, tandem etiam, imperante Nerone, *Romam venisse*, & *ibidem Christum Jesum morte sua honorasse.* Sustinuit enim illud post Flacium Illyricum, aliosque quosdam Doctos Germanos, majore opere negare Salmasius, *Sæc. superiore*, idemque multo adhuc uberius exequutus est Cl. Spanhemius Fil. memoriæ ut Præceptoris mihi venerandæ. Nec sane tanti esset, tam calide & acriter de eo disputare, si Pontificiæ sectæ homines in hypothesi hujus traditionis non fundarent *prærogativam Sedis Romanæ*, tum *infallibilitatis*, tum *superioritatis* & *eminentiæ Monarchicæ* supra omnes alias totius Orbis Ecclesias.

XIV.

XIV. Obstat tamen *universalis* totius antiquæ Ecclesiæ *traditio*, fulta auctoritate Papiæ, Justini Martyris, Dionysii, Corinthiorum Episcopi, Auctoris *Prædicationis Petri*, Caji, Ecclesiæ Romanæ Presbyteri, Irenæi, Clementis Alexandrini, Tertulliani, qui vel medio vel inclinante *Sac. sec.* floruerunt, ne sequentium temporum Doctores huc advocem; quam qui rejiciunt, videndum, an idem *cum ratione* agant. Imo antiquior etiam auctor est Ignatius in *Epistola* ejus *ad Romanos*, quæ si pro genuino illius fœtu habeatur, controversiam facile dirimeret.

XV. Certe teneo cum b. m. Pearsonio, Cestriensi Episcopo, qui hoc argumentum, ut solet, docte & moderate tractat, ex *historia Lucæ* & *Epistolis* Apostolorum nihil produci posse, quod *traditionem* subvertat, nihil etiam quod firmet. Ex Luca & Paulinis id recte colligi patior, Petrum non fuisse Romæ, antequam Paulus à *prioribus* suis *vinculis* solutus sit, in quo historia Lucæ terminatur; sed eundem *Romam* non *venisse* post illud tempus, & ibidem *subiisse martyrium*, quis affirmet, quis affirmanti credat?

XVI. Quando tamen nihil certius est, quam fidem *traditionum* Veteris Ecclesiæ, quæ circumferebantur, sæpe vacillare; & præterea satis constat, hanc ipsam *traditionem* de *Petrina profectione Romana* à primis etiam illius auctoribus

bus referri cum quibusdam *circumstantiis* vel *additamentis*, quæ Doctorum nemo nunc pro veris habet; imo Papiam, primum fere auctorem, in discernendis *traditis* non semper optimo judicio usum, eam non magnopere commendare: præstaret forte hic judicium suspendere, nisi ex disertis prædictionibus Christi Domini apud *Joannem*, cap. XIII. 36. & XXI. 18. indubie conficeretur, Petro destinatum fuisse *supplicium martyrii crucis*; quod alibi illum subiisse quam Romæ, & quidem sub Nerone, non est ob varias rationes probabile. Quin contendo, *loci* illius, in quo tanti nominis Apostolus vitam tam notabili morte clausit, vix potuisse perire memoriam, atque adeo traditionem de hoc memorabili eventu non facile corrumpi.

XVII. Quid? quod Clemens in *Epist.* sua *ad Corinthios*, *martyrii Petrini* exerte meminerit, quod si ubique notum & vulgatum fuerit, quis *locum* & *modum martyrii* ignota fuisse dicat?

XVIII. De *circumstantiis* tamen hujus traditionis si quæras; veluti, Romam venisse Petrum ad *Simonem Magum* de auctoritate sua dejiciendum, idque factum esse in Icario quodam Simonis volatu; sive etiam Romam venisse *Anno secundo* Imp. *Claudii*; primum fuisse Romæ Episcopum; tenuisse vero illam sedem per annos 25; *Romæ* scripsisse *priorem* suam *Episto-*

lam,

lam, quam mystice *Babylonem* appellet; & quæ alia hujus generis non adduco; plane fabulosa sunt, nec eodem tempore ficta. Sunt enim in his quædam, quæ à genuina traditione Ecclesiastica refelluntur; & plerique fabularum fontes jam detecti sunt industria præstantium Virorum. Illud recte se habet quod scripsit Lactantius: *Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit.* Hæc simplex est Ecclesiæ Veteris traditio. Qui cum Eusebio & aliis Vett. Casum illum ad Claudii tempora referunt; haud dubie falluntur. Reclamant actus Lucæ. Sed ferenda non est eorum inscitia, qui Episcopatum Petri Romanum post Antiochenum 25 annis circumscribunt.

XIX. Estne vero, qui sibi persuadeat, nimium nos indulgere Romanæ superstitioni, & *primæ Sedi* supparasitari, si *Petrum Apostolum Romæ fuisse*, ibidemque *martyrem obiisse*, largiamur? Ego profiteor, hanc umbram me non terrère. Quid enim, si Petrus Lyddæ, Cæsareæ, Capuæ, Hydrunti, aut qua alia in Urbe magis vel minus illustri vitam deposuisset, an illorum locorum Præfecti Ecclesiæ *prærogativam Successionis Petrinæ* hoc nomine & titulo sibi potuissent vindicare? Quid movet igitur Præpositos Romanæ Ecclesiæ ambitum suum hoc velo palliare, & ignorantiæ Populorum hoc titulo illudere? Quid? si præterea Petro *soli* universalis Ecclesiæ Pastura à Domino mandata

data non ſit? & *Apoſtoli* quod ad *officium* hoc ſuum nullos habuerint *Succeſſores?* Atqui utrumque veriſſimum. Erant illi præter ordinem à Chriſto Jeſu *Delegati* ad *ſtatum Eccleſiæ ordinandum. Partiarios* habuiſſe *Succeſſores* ſi dixeris cum *Epiſcopo Ceſtrienſi:* quod ſano ſenſu ſi accipiatur, dici patior: *omnes* legitimi *Eccleſiarum Præpoſiti*, quos illi *impoſitis manibus* Eccleſiis præfecerunt, habendi ſunt pro *Succeſſoribus Apoſtolorum.*

XX. De *Joanne* Apoſtolo certior eſt Eccleſiæ traditio, *Epheſi* illum extremo Miniſterii ſui tempore vixiſſe, & *Aſianas* Eccleſias, tanquam communem earum Epiſcopum, paviſſe, & defunctum exilio in Patmo cauſſa Religionis ſub Domitiano, ſuperfuiſſe uſque ad tempora Trajani; etſi quo præciſe Imperii ejus anno mortuus fuerit, vere ſit incertum. Irenæus: Παρέμεινε μέχρι τῶ Τραϊανῦ χρόνων. Communis Veterum ſententia fuit, obiiſſe Apoſtolum *Anno* Trajani *tertio*, ultimo Sæculi, cujus hypotheſes & incertitudinem demonſtrat Cl. Dodwellus; nec eſt improbabile, Sæculo ſupervixiſſe. Clemens Alexandrinus ab Euſebio quoque adductus, eandem traditionem firmat in *Tractatu*, ab Eruditis Viris *ſuperiore Sæc.* non ſemel edito, & illuſtrato etiam; *Quis dives ſervandus*; ſed hiſtoriæ illi haud dubie adhæret fucus aliquis orationis, qui cum ea non eſt commiſcendus. Solent enim hiſtoriæ, fuco pictæ, ſæpe verti in fabulas.

XXI.

XXI. Nullius tamen Apostoli historiam vitæ accuratius tenemus quam PAULI, magni & gloriosi Ministri Christi Jesu, omnium Domini Servorum veri Exempli; quod insigne beneficium acceptum ferimus Lucæ Evangelistæ, qui eam perduxit usque ad illud tempus, quo Paulus ex *prioribus vinculis* Romæ liberatus est. Esse enim ex vinculis illis liberatum, non traditio tantum Ecclesiastica, sed & Epistolæ ex *priore custodia Romana* missæ ad *Philippenses* & *Philemonem*, & præcipue *Epistola posterior ad Timotheum*, quam Romæ in *vinculis*, nec tamen *prioribus*, datam esse ex *variis* ejus *locis* certo colligitur, non dubiam fidem faciunt; ut &, Paulum Romæ laboriosam vitam gloriosæ martyrii morte finiisse.

XXII. Ubi vero intermedio hoc tempore *triennii*, ut videtur, Apostolus versatus sit, non nisi ex vestigiis quibusdam, quæ ex Epistolis ejus ad *Philippenses*, *Philemonem*, & *ad Hebræos*, si sit Pauli; & præcipue ex Literis *ejus ad Timotheum* & *Titum*, imperfecte recognoscimus. Nec rejicio tamen *traditionem Ecclesiasticam*, quæ illum inter alia, quæ peragravit loca, ad Ecclesias sive fundandas sive confirmandas, *Hispaniam* (Clementi Romano τὸ τέρμα τῆς δύσεως) non neglexisse, fert, cujus adeundæ propositum habuisse, liquet ex *Ep. ad Romanos*.

XXIII. Quin nec ipsa historia Paulina,

R quæ

quæ in *Actis* Lucæ servatur, aut ex *Epistolis* ejus eruitur, etiamsi cætera satis liquida & expedita sit; excludit difficultates omnes, aut materiam disputationis, si ad *rationes temporum* exigatur. Et forte Doctores Christiani sæpe neglectis gravioribus nimiam in minimis historiarum dubiis discutiendis sectantur accurationem.

XXIV. Si Lucas in historia suà ullum notabilem Pauli eventum signasset *charactere* aliquo *Chronologico* indubiæ notæ; plerique alii Casus Paulini inde possent illustrari, cum historia ejus tota cohæreat, & insigniora Eventuum intervalla si non ἀποτόμως, saltem περιγραπτικῶς, quod dicitur, & ἐν πλάτει, definiri possent. Sed certus ejusmodi & præcisus temporis *character*, qui dubitationem nullam relinquat, in historia non deprehenditur; nisi tamen quod facile patiar quemque suum hic exercere ingenium, ubi error, si forte ignorantiam aut ἀβλεψίαν, vel etiam nimiam præfidentiam auctoris prodat, omni caret periculo.

XXV. Atqui hæc vera caussa est tantæ varietatis sententiarum in Annis *Conversionis Paulinæ*, ejusdemque *Captivitatis*, definiendis, inter Doctos etiam recentioris hujus ætatis Ecclesiæ, cui *Chronologia Sacra* plurimum debet. Quod ad prius; placet mihi sententia quæ *Stephani martyrium*, atque adeo *Conversionem Paulinam* illigat Anno 36, Æ. V. qui est Tiberii ultimus, vel 37, Caji primo, ut præivit Syncellus,

cellus,

cellus, mediumque teneo inter eos; qui infra hanc ætatem descendunt, inter quos præter Veteres Caveus, qui *Epocham* hanc figit in A. 33 *exeunte*, aut saltem *ineunte* 34; fere consentiens Petavio, qui A. 34, *tertium à passione* Christi (supponit autem, passum esse Dominum, A. 31.) & Usserius ac Pearsonus; qui hunc eventum assignant A. 35, & inter eos, qui supra hanc ætatem ascendunt, veluti L. Cappellus, qui Caji *tertium*, (secundum ipsum, A. Æ. V. 38, sed rectius 39; etsi utrique respondet;) & Spanhemius F. in edita de hoc argumento Dissertatione, qui *Caji* 4 hoc charactere signat; a quo parum distat Henricus Valesius, qui Veterum aliquos secutus (plures enim *Stephani martyrium* proximius statuerunt Anno passionis Domini:) *Claudii* notat *primum*, Æ. V. 40, sed fundamento erroneo.

XXVI. Nostræ rationes ita se habent. *Secunda* Pauli *profectio* Hierosolymitana; qua cum Barnaba delegatus subsidium charitatis Ecclesiæ Antiochenæ tulit ad fratres in Judæa, incidit in illud tempus quod proximum fuit excessui *Herodis Agrippæ*, sive Claudii *tertium*, sive initium *quarti*, quo Agrippa vivere desiit; ut liquet ex coll. *Act.* XI. 29. 30. & *Act.* XII. 1. 23. 24. 25. estque id inde quoque probabile, quod secundum optimas temporis rationes *fames* illa, quæ Judæam per aliquot annos exercuit & vere occasionem dedit mittendis eleemosynis;

(non confundenda cum fame Romana *Anni* Claudii *secundi*, de qua Dio:) grassari incep-erit *tertio Anno Claudiano*, ut jam Eruditis Viris accuratius animadversum est. Inter illam autem *secundam* Pauli *profectionem Hierosolymitanam* & *Conversionem Paulinam* non videtur commode statui posse majus interstitium quam *sexennii* vel *septennii*. *Primam* enim, de qua Lucas *Act.* IX. 26. per *triennium* à *Conversione* ejus abfuisse constat ex *Gal.* I. 18. & quæ intermedio tempore gesta sunt, & mora Pauli *Cilicia* & *Antiochena*, & posterior quidem hæc *unius anni*, recte videntur alteri *triennio* includi. Accedit hisce, res magnas in Ecclesia gestas, à Luca pro more compendiario narratas, & *Fidei Christianæ diffusionem* extra limites etiam Judææ tempore *illuminationis Paulinæ* (*Damasci* enim jam erant *Discipuli*, *Act.* IX. 19:) suadere, ut hunc Pauli *Casum* per aliquot saltem annos ab anno Ἀναβάσεως Christi disjungamus.

XXVII. Eadem *Epocha Conversionis* Paulinæ recte adstruitur ex notitia temporis sive *anni*, quo in vincula conjectus est Hierosolymis; qui si secundum hypothesin Pearsonianam sit Æ. V. 58, quo adhuc in cursu fuit Neronis *quartus*: retro putando superiora tempora historiæ Paulinæ, descendes ad *ultimum Tiberii*. Satisfeceris enim optime Historiæ Lucæ, si inter hanc *Captivitatem* Paulinam & *tertiam* ejus *profectionem Hierosolymitanam*, (*Act.* XV. 1. 2.) inter-

interesse dixeris præter propter *septennium*; *tertiam* autem hanc *profectionem Hierosolymitanam* per *quatuordecim annos* abesse à prima ejus *Vocatione*, docet ipse ad *Gal.* II. I. quem locum ad *tertium* ejus *iter* Hierosolymam *susceptum* pertinere, & *quatuordecim* illós *annos*, quorum ibi meminit, ab Epocha *Vocationis* ejus ducendos esse, liquidissimum videtur ex contextu orationis, & comparata historia Lucæ, *Act.* XV. I. 2. seqq. Sic incidet *tertia* ejus profectio, atque adeo tempus *Conventus Hierosolymitani* in A. Æ. V. 50, Claudii 10. unde retrocedendo per 14 *annos*, incides in postremum Tiberii.

XXVIII. *Anni* autem Paulinæ *Captivitatis* æstimatio fit ex tempore, quo *Felix* de *Provincia* decessit, nactus Successorem *Festum*, postquam Paulus in vinculis fuisset Cæsareæ διετίας πληρωθείσης *biennio expleto*, *Act.* XXIV. 27. *Festus* autem non videtur successisse *Felici* in Præfectura Judææ ante A. Æ. V. 60. etsi illam Epocham Historici, & ipse quoque Josephus, annotare neglexerinr.

XXIX. Et sunt tamen inter Doctos, qui tempus hoc *Vinculorum Pauli* maturant, eaque illigant vel *ultimo Claudii*, (Ch. 53.) ut Cappellus, vel *Neronis primo*, (Ch. 54.) ut Caveus; sunt etiam qui protendunt, ut Usserius, *Pauli Captivitatem* referens ad A. Ch. 60. Neronis 6 & 7. & proxime illi accedens Spanhemi-

us F. passim tamen in eo consentiunt, *biennium* illud, post quod *expletum* Paulus Romam à Festo missus fuisse dicitur, ad *vincula Pauli*, non vero ad *Præfecturam Felicis*, pertinere.

XXX. Prolixa hic vere, sed innocua, est disputationis materia. Mihi hæc videntur esse principia, si non certa, saltem probabilia, recti hac de re judicii. *α*. *Biennium* illud, de quo Lucas *Act.* XXIV. 27. ad *Vincula Pauli Cæsareensia*, non vero *ad Præfecturam Felicis* referendum esse, quippe Paulus ipse in defensione sua ad Felicem; vers. 19. *Quia te* ἐκ πολλῶν ἐτῶν *à* MULTIS ANNIS HUIC GENTI *judicem præfuisse scio. Biennium* vero aut *triennium* non sunt πολλὰ ἔτη *multi anni*. Successit enim Felix Cumano in *Præfectura Judaæ*, ut ex Josepho colligendum videtur, Claudii 12. *Samaritis* equidem ante hoc tempus præfuisse Felicem, affirmat Tacitus; sed si id verum esset, non confudisset tamen Paulus *Samaritas* cum *Judæis*, nec dixisset; τῷ ἔθνει τούτῳ GENTI HUIC. Imo Josephus *duplice loco* in historia Cumani hujus *Præfecturæ Felicis* ne verbo quidem meminit; & in narratione Taciti aliquid vel desideratur vel supponitur; de quo hic non disputo. *β*. Historiam totam rerum Judaicarum adversari sententiæ, quæ *Festum* jam successisse statuit *Felici* in *Præfectura Judææ* Anno Neronis *secundo* vel *tertio*; sive historia Festi conferatur cum rebus *sui*, sive *sequentis temporis*, (*Pontificum*, inquam,

quam, & *Præfectorum*, Albini, & Flori:) usque ad Excidium Reipublicæ. Exemplo sit, Festum qui non adeo diu Judæis præfuit, & in Provincia decessit, illo tempore adhuc administrasse Judæam, quo *Poppæa*, spreta & occisa Octavia, jam erat *Uxor Neronis*, ut patet ex Jos. A. L. xx. C. vii. atqui hæc *Poppææ* sors obtigit *eodem anno* quo *Doryphorus* & *Pallas veneno interfecti sunt*. (Tacit. *Ann.* L. xiv. C. lxv.) qui est Neronis *nonus*. γ. Magis ampliandum, quam arctandum esse spatium temporis inter *Conversionem* Apostoli, & finem *prioris Custodiæ Romanæ* interjectum, quatenus id reliquæ circumstantiæ permittunt, ut commodius intelligi queat, quomodo ipse, qui tempore *Martyrii Stephani* dicitur νεανίας *Juvenis*, *Act.* vii. 58. sub finem *prioris* illius *custodiæ* jam fuerit πρεσβύτης, *senex*, *Philem.* vers. 9. δ. Paulum tamen omnino videri Romæ *absolutum*, judicio Publico, & *liberationem è vinculis* impetrasse, superstite adhuc *Burrho*, Præfecto *Prætorio*, justitiæ & æquitatis amante Viro, cui maxime dissimilis Neronianæ sævitiæ Minister successit Tigellinus. Burrhi autem excessus incidit in A. Æ. V. 62, Neronis *nonum*. Ad ea vero quæ pro *maturiore* Pauli *captivitate* objiciuntur ex historia *Pallantis*, fratris *Felicis*, plura commode responderi possunt; quorum aliqua jam occupata sunt à Cestriensi, à cujus rationibus in cæteris, & Anno *Martyrii*

Paulini definiendo, non discedo. Non convenit præsenti instituto, hic esse prolixiorem.

XXXI. Ἀντιλήψεις *Subsidia Apostolorum* fuerunt EVANGELISTÆ, à Christo Jesu electi LXX, respectu quoque habito ad *duodenarium numerum tribuum Israëlis*, *sexies* auctum; quorum pauca nomina nobis reservata sunt; quin præter *Lucæ* & *Marci*, sic recte dictorum Scriptoribus Ecclesiasticis, unicum solummodo *Philippi*. Et licet tamen plura his adjungere ex *historia Lucæ* & *Paulinis Epistolis*. Censendi enim in illis sunt omnes Pauli, aliorumque Apostolorum *Cooperarii*, certis hactenus Ecclesiis non præpositi, qui in *prædicando Evangelio*, ejusque veritate inculcanda, adstruenda, vindicanda, & credentibus *baptizandis*, Apostolis adjumento fuerunt, eorumque labores allevarunt.

XXXII. Ut & PROPHETÆ;. sed qui in historia primæ Ecclesiæ magis tanquam illius *dona* & *ornamenta*, quam *Ministri* & *Officiales*, aut *Præfecti*, censentur. Imbuti illi gratia extraordinaria & rara S. Spiritus, *cognitione Linguarum* & *Historiarum*, (quæ *eruditionis* species Paulo γνῶσις *Scientia* appellatur:) *Prophetias* V. T. interpretabantur, & de sensibus *Scripturæ* V. T. aut *Divinis rebus*, libere, facunde, copiose, disserebant; subinde etiam de *futuris vaticinabantur*, à Spiritu incitati. Et est tamen amplior quoque aliqua hujus vocis significatio, qua sumitur de omni *Doctore*, ad Scripturas S.

expo-

exponendas aut de rebus divinis dissertandum idoneo, in *priore Pauli ad Corinthios.*

XXXIII. ORDINARII Sacrorum in particularibus Cœtibus *Administri* duplicis quidem sunt generis, officii, ordinis; PRÆFECTI, sive *Rectores* Ecclesiæ, eorundemque & totius Ecclesiæ, MINISTRI, sic proprie dicti; quorum *illi*, stylo Scriptorum Sacrorum, *Episcopi, Presbyteri, Pastores, Præpositi, Ductores*, appellantur; *hi* noti nomine *Diaconorum.* Utrique *Clerum* faciunt, secundum usum hujus vocis Ecclesiasticum, tanquam providentia Christi Jesu *sortiti τὸ κλῆρον τῆς διακονίας, Plebi* contradistincti.

XXXIV. Quod ad *Rectores:* qui historiam Lucæ, & *Epistolas Paulinas*, absque judicii προλήψει aut affectus sui προσκλίσει legit, facile videt, Apostolos *Regimen particularium Ecclesiarum* commisisse *Senatibus Ecclesiasticis*, compositis ex *pluribus* Viris *ejusdem ordinis* & *officii*, honestæ existimationis, qua prudentia & rerum divinarum cognitione, qua virtute, gravitate, ætate, aut donis spiritualibus inter suos eximiis & spectabilibus, cujusmodi *Senatus* Hebræis שיבות, Græcis Πρεσβυτέρια dicuntur. Episcopi apud Lucam & Paulum nullibi comparent à *Presbyteris* distincti *nomine* aut *ordine:* nedum *officio.* Plures quam *Presbyterorum*, sive quod idem est, stylo Pauli, *Episcoporum* & *Diaconorum* Ordines nullibi commemorat Apostolus. *Episcopis* ille nullis literas suas inscribit à *Presbyteris* distinctis.

XXXV. Quid tamen illud est, quod ubi cum tempore Ecclesiæ in melius instauratæ disputari cœptum est de *vera forma Regiminis Ecclesiæ*, Eruditi non tantum Pontificiæ sectæ Viri, sed & *Ecclesiæ Anglicanæ*, cum qua nobis communio intercedit in Christo, quo patrocinarentur *formæ* Regiminis Ecclesiæ apud se receptæ, tanta contentione defenderint, *Episcopale* Ecclesiæ *Regimen*, quatenus illud *Presbyterali* contradistinctum duos supponit *Rectorum* Ecclesiæ *Ordines*, *Episcoporum* & *Presbyterorum*, & quidem hunc illi subordinatum, non tantum esse *Ecclesiastici*, sed & *Divini juris?* Agitata est controversia inter partes æstu ingente, longe supra caussæ momentum & meritum, exitu, quali in multis aliis, ut partium neutra alteri cesserit. Certe poterant Anglicanæ Ecclesiæ Præsules *jure Ecclesiastico* esse contenti, *jus Divinum* non facile extorturi *Presbyteriis*, secundum Canonem Apostolicæ Disciplinæ formatis. Sufficit utique agnoscere nos & ultro largiri, de *Forma Regiminis* minus laborandum esse quam de *Rectoribus*; qui si sint Viri boni, honesti, officii memores, & in consiliis & actionibus suis *Spiritum* ducem sequantur, à *forma Regiminis*, quæ cum sit inter *accidentalia Ecclesiæ*, secundum *temporum* & *locorum circumstantias* componi potest, minus est periculi. *Regimen* enim *Ecclesiæ*, si rem recte accipias, vere est *Ministerium*. Quin etiam illud addo, nullam in universum

versum excogitari posse *Formam Regiminis*, sive Civilis, sive Ecclesiastici, quæ incommoda omnia excludat, vitio non *rei ipsius*, in se spectatæ, sed *hominum* qui *Regimini* admoventur. *Presbyterale Regimen* hoc melius est *Episcopali*, quod occurrat ambitioni, fastui, & malis artibus τοῦ κατακυριεύειν τῶν κλήρων, quæ vitia humani generis tam communia quam tecta Christianismus non plane secludit, ut experientia docuit. Nec enim omnes qui se *Christo servire* profitentur, *quærunt quæ Christi sunt*; nec qui id agunt sunt *perfecti*.

XXXVI. Et videtur tamen terminari posse hæc concertatio inter moderatioris ingenii homines, si præterea observetur, *Senatus* omnes *Ecclesiasticos*, quos *Presbyteria* vocamus, suos habuisse *Præsides* statos & ordinarios, (Hebræis ראשים) qui in iis *præsederint*; sed qui tamen censebantur ejusdem *ordinis*, quibusque præter, nedum contra, consilium & sententiam τῶν συμπρεσβυτέρων, in rebus gravioris momenti nihil statuere, nihil exequi, integrum erat. Adstruxi hanc hypothesin in Libris de *Synagoga Vetere*, & ex ea demonstrare conatus sum, quam facile hi *Presbyteriorum Præsides*, cæteris passim ætate, prudentia, & spiritualibus donis antecellentes, sibi majoren conciliarint auctoritatem, & se sive supra fratres extulerint, sive ab aliis efferri passi sint; ut adeo nemo miretur, jam forte ante *hujus* finem *Seculi* hos *Presbyterorum*

primos

primos, ut appellantur à Justino, conspectiore gradu, titulo *Episcoporum*, à reliquis *Presbyteris* distingui cœpisse, idque τὺς φιλοπρωτεύοντας affectasse; etsi alias vere inter *Rectores Ecclesiæ* minus adhuc datum sit ambitioni; nec favebant ei vitio tempora.

XXXVII. *Presbyteri Laici*, sic dicti, à *Clericis* distincti, cujusmodi *Presbyteros* Ecclesiæ, secundum Genevensem disciplinam reformatæ, in *Regimine* agnoscunt, ægre se tuentur Apostolica auctoritate, aut exemplo Ecclesiæ Veteris. Nec tamen propterea improbandum est institutum, quod experientia docuit Ecclesiæ tam esse utile, quam aptum ad moderanda *Clericorum Presbyterorum* consilia, & conservandam Populi Christiani Libertatem; nimirum si ipsi quoque hi *Presbyteri* sint viri boni, prudentes, spiritualium rerum gnari, & zelo domus Dei affecti; hoc electi studio & consilio, non ut aliorum serviant voluntati, aut indulgeant vitiis, & conniveant in scandalis publicis, sed ut commodis ac dignitati Ecclesiæ pro conscientia & officio suo libere consulant.

XXXVIII. *Electi* sunt *Presbyteri* in Ecclesia Apostolica, sive ab *Apostolis*, plebe præsente, sive ab ipsa *Plebe credentium*, sed *confirmati* in *Officio* sive *Ordinati* solenniter sunt per *impositionem manuum*, sive *Apostoli* aut *Apostolici Viri*, sive alterius *Episcopi*, rite *ordinati*; *sustentati* autem, si flagitaret necessitas,

ex

ex liberalibus Ecclesiæ *donis*, sive *oblationibus* quæ dicebantur. *Officia* omnibus communia, *Docere*, *Sacramenta administrare*, & *Populum Christianum* suæ curæ commissum *regere*, tam invigilando commodis Ecclesiæ, & ritus sacrorum externos ordinando, quam *judicando* de fide & moribus illorum, qui ad *Communionem Christianam* admittendi, aut admissi fuerint. Omnia scite ostenduntur notione *Pascendi*, quæ figurata licet, hic maxime emphatica est. Patent quæ hic in breve contraho, ex *Actis Lucæ* & *Epistolis Paulinis*; & præterea illustrantur ex *Regimine* & *Ritibus Synagogarum*, quarum *liber cultus Religionis spiritualis* Cultui Ecclesiæ melioris Oeconomiæ ejusdemque *Sacris* & *forma Regiminis* prælusit; quod à Seldeno, Grotio, aliisque jam in genere observatum, in singulis docere conatus sum in *Libris* de *Synagoga Vetere*.

XXXIX. *Presbyteris* Ecclesiarum tanquam earum *Rectoribus* subordinati sunt eorum & Ecclesiæ *Ministri*, quos Scriptores Sacri aptissimo nomine DIACONOS vocant, quorum *Officium* plane necessarium fecerunt custodia & inspectio *Oratoriorum*, *Librorum Sacrorum*, aliorumque instrumentorum Religionis publici usus; cura Episcopalis in administrandis Ecclesiæ negotiis; ministeria exhibenda sanctis, egenis, hospitibus, confessoribus; catechumenorum institutio & præparatio ad recipiendum Baptismum; prælectio

ctio Scripturæ, facienda in Cœtu; sed præcipue *Epulum Sacræ Eucharistiæ*, & *Agapæ*; & facile patior, vocem Διάκονος illuc inter alia referri. Respondent illis *οἱ* חזנים in *Synagogis*, quemadmodum in eodem Opere de *Vet. Synagoga* evincere tentavi; licet interea non negem, *Diaconorum* Christianæ Ecclesiæ majorem fuisse latitudinem officii.

XL. *Diaconi* autem hi in Ecclesia primæva fecerunt partem *Cleri*; electi sive à plebe, sive, quod postmodum obtinuit, à Presbyterio, aut Episcopo; nec fuit illorum officium *temporarium*, sed in *ordine sacro*, in quem adscripti erant, per vitam permanserunt, si se eo indignos non gererent; quin si diligentiam, honestatem, & dona gratiæ, Ecclesiæ in *hoc gradu* probarent, cum tempore ad *superiorem* sunt promoti; subsidium pariter vitæ decore sustentandæ habuerunt ex publicis Christianæ Plebis *oblationibus*, & *honorariis*, (Apostolus τιμὴν vocat in *priore* ad *Timotheum*:) in quorum partem aliquam sunt admissi. Inde judicium esto, qua parte *Diaconi* hi Veteris Ecclesiæ *Diaconis* Ecclesiarum nostri temporis, Eleemosynarum Collectoribus & Dispensatoribus, similes sint, qua parte ab iis distent.

XLI. Adjunctæ præterea Diaconis, & *adlectæ in Ordinationem* sunt, ut cum Tertulliano loquar, *Diaconissæ* (Διακόνισσαι) quæ dicebantur, (Διακόνους vocat Paulus *ad Romanos*:)

Viduas;

Vidua, minimum *sexagenaria*, *univira*, sive non renuptæ, honestæ existimationis, sumptu pariter publico alendæ, phrasi Apostoli, *honoranda*, ut pauperum, ægrorum, vinctorum, curam haberent; peregrinis hospitium præberent & necessaria subministrarent; Cœnacula sacra mundarent, eorumque præessent custodiæ; & sui sexus *Catechumenas* ad *signaculum* Fidei in Baptismo recipiendum rite pararent, & in *Baptismo* ipso verecundiæ & pudori earum servirent. Nostra nullas agnoscit, quas Vetus Ecclesia per plura sæcula.

XLII. *Regiminis* Ecclesiæ partem fecit *Judicium* sive *Jurisdictio*, quam vulgo DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM vocant, quæ vel exercetur in *Presbyteriis* particularium Ecclesiarum, vel à Delegatis plurium Ecclesiarum, in *Synodis*.

XLIII. Quando autem *Judicium* quod in *Ecclesia* obtinit, duplex est, tam de admittendis ad communionem Ecclesiæ, quam de admissis, & in album credentium jam relatis: *posteriore* potissimum sensu hæc notio usurpatur, ita ut significet *Coërcitionem Ecclesiasticam*, qua secundum præcedaneam caussæ cognitionem & solenne judicium, in ordinem rediguntur, officii monentur, aut sane castigantur, qui *gravioribus erroribus* aut *delictis*, in Legem Doctrinæ aut Disciplinæ sanctæ incurrentibus, quæ *dubium* faciunt hominis Christiani statum & fra-

trum

trum de eo suspendunt judicium, (hujusmodi enim *crimina sola Forum* Ecclesiasticum exercent:) Ecclesiam turbant, infirmis objiciunt scandalum, bonos contristant, & mali exempli auctores fiunt cum Christiani nominis dedecore & ignominia. Hanc vero *Coërcitionem* constat esse *punitionem* non *corporalem*, sed *spiritualem*, (si omnino *pœnæ* respectum habeat ullum:) ad statum Ecclesiæ Novi Fœderis accommodatam, *Excommunicationem* nimirum, quæ pro *gradu gravitatis* criminum intenditur vel remittitur, sed qua in universum nemo solvitur, antequam *Ecclesiæ satisfecerit*, (sic loquebantur Veteres, licet non *hoc sæculo*:) hoc est, veram resipiscentiam & emendationem vitæ cum publica erroris aut criminis *confessione*, testificatione *pœnitentiæ* & doloris, & humili *supplicatione veniæ*, Ecclesiæ probaverit, & hoc modo *honorem Ecclesiæ*, *à se læsum*, *reparaverit*; (id enim hic proprie est *satisfacere*, cujus vocis genuinæ significationis Ecclesiasticæ ignorantia dici nequit quot pepererit errores & superstitiones:) quam *satisfactionem* sequitur *altera pars* hujus *Forensis Judicii Ecclesiastici*, quæ est *lapsi Absolutio* & solennis *Receptio in Communionem Ecclesiæ* post præcedaneas *Preces* & *Impositionem Manuum Episcopi* cum *Osculo Fraternitatis*.

XLIV. *Excommunicationem* hujusmodi in Ecclesia Apostolici ævi jam obtinuisse, non modo

modo probabile sit ex *Disciplina Synagogæ*, quam Ecclesiæ Christianæ passim imitatæ sunt; & ex *publica professione communionis fraternæ* quæ fit in Cœna cum respectu necessario ad *qualitates* communicantium; nec non ex *natura* ipsius *Ecclesiæ*, quæ qua societatem quandam externam facit, absque *judicio* subsistere nequit; sed præterea clarissime evincitur ex *Epistolis Paulinis*, & præsertim *utraque ad Corinthios*, & *secunda* ac *tertia Joannis*, quod *alibi* prolixius adversus Erastum & sequaces disputavi. Etiamsi vero ultro largiar, institutum illud *Excommunicationis*, si primas ejus origines spectes apud Judæos, non esse proprie *Juris Divini*, sed *Ecclesiastici*, sive *Canonici*: postquam tamen ab Apostolis admissa est in Ecclesiam Christianam, tanquam naturæ & conditioni ejus congruens; hoc ipso auctoritatem *Divini Juris* accepit; contra quam magno opere ostendere nisus est Seldenus. Ecclesia absque *judicio* & *disciplina*, sibi propria, est Civitas absque vallo & portis; hortus absque sepimento; nullum in ea est ἔσω & ἔξω *intus* & *foris*; nihil includit quia nihil excludit; nec magis est *caula* quam *hara*. De vera Ecclesia prædicari potest *intus* & *foris*, phrasi Scriptorum Novi Fœderis; est *hortus clausus*, *fons obsignatus*.

XLV. Quando tamen *Judicii* hujus *Ecclesiastici* sequentibus Ecclesiæ temporibus abusus fuit pessimus; & status Ecclesiæ ac Religionis nul-

la parte magis laboravit quam à qua medicinam sperare debebat: (quod malum non *rei* ipsi, sanctæ atque innocuæ, sed vitiis hominum imputandum est:) utile fuerit observatu, *Excommunicationem* Ecclesiasticam Apostolici ævi ita ad Statum Ecclesiæ Novi Fœderis fuisse attemperatam, ut simplicissimo modo sit exercita, & vitia *Excommunicationis* Judaicæ, & sequentium temporum, omnia excluserit; quippe qua lapsi in turpe aliquod crimen, vel in vitiis quibusdam gravioribus adversus serias admonitiones Præfectorum Ecclesiæ pertinaciter perseverantes, simpliciter *abstinebantur* à communione *sacrorum*, *Publicorum* & *Privatorum*, usque quo Ecclesiæ suam probassent *pœnitentiam*: quæ *una species* Excommunicationis, *media* inter *leviorem* illam, qua lapsis usu Sacræ Eucharistiæ tantum interdicitur, (quæ apud nos obtinet,) & *graviorem* qua Refractarii *anathematibus* feriuntur & diris devoventur, aliquandiu in Ecclesia viguit, antequam Antistites sacrorum se imperiosius efferre cœperint. Videndus de hoc argumento est Albaspinæus, & ita existimandum, *Execrationes anathematum* non videri congruere conditioni Ecclesiæ Christianæ, nisi forte in enunciationibus generalibus tam certi juris & liquidi sensus, ut dubitationem omnem plane excludant; quo modo τὸ *ἀνάθεμα* & *μαρὰν ἀθὰ* usurpatum à Paulo: etsi etiam Paulo qua Apo-

stolo hic licere potuit, quod gregariis Ecclesiarum Pastoribus non licet. At quantæ prudentiæ est, hac parte *zeli*, & altera *moderationis* Christianæ modum hic non excedere!

XLVI. Sane *traditionem Satanæ*, qua *Coërcitionis Extraordinariæ* specie Paulus repressit quorundam sui temporis exorbitantium insolentiam, non explico de ejusmodi aliqua *traditione Satanæ*, qualem observare licet in *Formulis* terribilium *Anathematum*, *Execrationum*, & *Dirarum* Judaici ritus, quarum exempla apud Seldenum, & alios prostant, quippe quæ nihil commune habent cum genio & Spiritu Christianismi, nec facere poterant ad servandos *spiritus* hoc modo *traditorum*, sive *devotorum*, *in die Domini*; sed potius de ejusmodi aliquo Dei Judicio, quo seclusi communione Ecclesiæ permittebantur in potestatem Satanæ ad illos affligendos & vexandos malis quibusdam externis & corporalibus, ut sunt Ægritudines, imbecillitates corporis, πάθη sive Affectus violenti, ex conturbato sanguinis & spirituum motu orti, damna rei domesticæ, casus molesti & injucundi, & quæ his similia homines movent ad cogitandum de ira Dei, sibi imminente, & se coram Deo humiliandum, ac institutum vitæ cum pœnitentia emendandum; quæ *affectiones* licet sint *corporales*, censentur tamen in *spiritualibus*; quod, Deo permittente, non ab *hominibus*, sed à *spiritibus* malis ut caussis, latentibus & invisibilibus, irrogentur.

XLVII. *Disciplina* plurium Ecclesiarum, inter se communione ejusdem *Spiritus* & Fidei conjunctarum, exercetur in SYNODIS*, sive *Conventibus Fratrum* ex variis Ecclesiis *Delegatorum* in unum locum, sive ad Disciplinam Ecclesiæ in dubiis casibus ordinandam & stabiliendam; sive ad dirimenda dubia & quæsita, circa *fidem* exorta, de quibus æquum non est privarum Ecclesiarum judicium anticipari, vel saltem in *Canonem fidei* abire, cum *Fidei* caussa sit communis, & omnium Ecclesiarum intersit, eam puram conservari, & recte exponi; cujusmodi *Synodos* Ecclesia sequentibus temporibus vel *Topicas* vidit, hoc est, *Nationales* aut *Provinciales*, vel *Oecumenicas* aut saltem *Generales*.

XLVIII. Institutum hoc, etiamsi satis fundatum sit in ratione, & satis congruens naturæ Ecclesiæ Novi Fœderis; atque insuper vere destruat hypothesin Pontificiæ sectæ de *Cathedra* aliqua *infallibilis judicii in negotio Religionis*, locata *Romæ*, quippe quæ nullam *Synodorum* necessitatem reliquam facit: exemplum tamen nullum, vere & proprie sic dictum, habet hoc *Sæculo*, nisi quis *Conventum* illum solennem *Hierosolymitanum*, celebratum ex nostra hypothesi *decimo* anno Claudii, caussa Quæsiti gravioris momenti de *necessitate obligandarum Gentium ad observantiam Legis Mosaicæ Ritualis sub Oeconomia Nova*, in quo Paulus & Barnabas cum Delegatis Ecclesiæ Antiochenæ comrue-

paruerunt hoc consilio & scopo, ut sententiam *Apostolorum* & *Presbyterorum* Ecclesiæ Hierosolymitanæ (*Act.* xv. 5.) de hac controversia intelligerent; *Synodum* appellare velit, quod vulgo fit; ne aliorum etiam *Conventuum* Sacrorum *hujus Sæculi* qui in hunc ordinem ab aliis referuntur, hic mentionem faciam.

XLIX. Sed, si in rem recte inspicias, *Conventus* ille *Hierosolymitanus* non habet veros & proprios characteres *Synodi*, nisi Synodum appellare placeat omnem *Conventum* in quo deciditur controversia de Religione. Cætera, ex exteris Ecclesiis hic tantum comparuerunt *Delegati Antiocheni*, iique non convocati & conscripti deliberandi caussa, sed sua aliorumque voluntate Hierosolyma profecti, ut Apostolorum & Fratrum sententiam de gravi hoc quæsito Religionis explorarent. Imo vero, quandiu superstites fuerunt Apostoli, & in Hierosolymitana Ecclesia præsederunt, *Synodis* sic proprie dictis, opus non fuit. *Lex egredi* debuit *Tsione*, *&* *Verbum Jehovæ Hierosolymis*.

L. Idem fere judicium sit de alio quodam *Conventu* Hierosolymis celebrato post ejus Urbis Excidium, de quo animadversione digna *traditio* est apud Eusebium, L. III. C. XI. phrasi Eusebii; ὁ λόγος κατέχει. *Convenisse* ait *Apostolos*, & *superstites alios Discipulos Domini*, *ac propinquos*, & *Symeonem* Filium *Cleopæ ordinasse* illius loci Episcopum. Incidit casus, si

vere acciderit, in A. 72. *Synodus* hæc fuit aliqua, & sic dici patior ab erudito quodam Viro, sed peculiaris generis, in qua nihil statutum de *Religione*.

8. De Accidentibus, qua Externis, qua Internis, Ecclesiæ Sæc. I.

I. Accidentia Ecclesiæ, sic vere appellata, duplicis sunt generis, Externa, & Interna, quorum illa *Exteriorem*, hæc *Interiorem* ejus *Statum* respiciunt. Ad *Externa* commode referas Locum, sive τὸ Πȣ̃ *Ubi* Ecclesiæ, ejusque *Quantitatem* & *amplitudinem*, quod in idem recidit; & Statum ejus relativum ad *Rempublicam Civilem*, *Civitates*, *Imperia*, sive *Regna* in quibus hospitatur, an nimirum, *pacatus*, tranquillus, prosper; an *afflicta* sit Ecclesia, pressa, & hostium suorum exposita persecutioni.

II. Quod ad Locum *Ecclesiæ*, ejusque *Amplitudinem* attinet: constat satis, Ecclesiam Christi Iesu jam *hoc Sæculo* per *universum orbem usque ad fines terræ seminatam fuisse*, ut cum Irenæo loquar, & occupasse *hæreditatem Gentium*, sibi decretam. Sane profectus Evangelii plane fuit mirabilis; ac, *si animadvertamus, qua ratione*, annis tam paucis, *quanquam tot insidiæ Christianam fidem profitentibus creatæ, horum non pauci necati, alii bonis multati fuerint*,

tint, nec alioqui magna esset Doctorum copia, per orbem terrarum dispergi sermo ille potuerit, ut Græci & Barbari, docti & indocti, ad Jesu Christi piam fidem sese adjunxerint, rem humanis viribus majorem dicere non dubitabimus, cum Origene. Extra Palæstinam, ne ipsa quidem in ea excepta ditione Samaritana, fundatæ sunt Ecclesiæ, in Syria, Arabia, Asia Minore tota, Græcia, Macedonia, Illyrico, Italia, & absque dubio in ipsa quoque Hispania. imo etiam in Ægypto, & Libya, &, ut probabile, Mesopotamia, & utraque Æthiopia. Solus Paulus *ab Hierosolymis usque ad Illyricum* Evangelium Christi ita docuit, ut vestigia suæ Doctrinæ ubique reliquerit indelebilia; & videri de singulis possunt Magdeburgenses. Et tamen dubium vix videtur, quin *inferiori Asiæ*, post excidium Reipublicæ Judææ, prima hic laus debeatur, in cujus florentissimis regionibus, *Cappadocia*, *Ponto*, *Galatia*, *Asia* sic stricte dicta, & *Bithynia*, Christus Jesus numerosum habuit Populum, tam ex Judæis quam Græcis. Præter auctores sacros, indubius hujus rei testis est Plinius in *Epist. ad Trajanum*, secundum posteriores Dodwelli rationes scripta, A. 102.

III. Meretur tamen illud vere animadversionem, quod in monumentis historiæ Apostolicæ, Ægypti, & in eam susceptarum expeditionum sacrarum aut fundatarum in ea Ecclesiarum, nulla fiat mentio, cum tamen nemo ig-

noret, plenam fuisse διασπορῶν Judaicarum, & extra Palæstinam nullam Imperii Urbem majore frequentia coluisse Hebræos quam Alexandriam. Et possunt hic varia cogitari, quæ nunc non tango. Traditio antiqua apud Eusebium & Hieronymum habet, Marcum post Evangelium suum Romæ, Petro permittente; compositum, *primum* se contulisse in Ægyptum, & Evangelium illud suum publice prædicasse, & primum Alexandrinæ Ecclesiæ præpositum fuisse Episcopum; quod si verum sit, serius factum esse oportet quam sub Claudio, ut vult Valesius, cum Paulus in *posteriore ad Timotheum*, non longe ante mortem *Marci* exerte meminerit, eumque cum Timotheo accersiverit Romam; quod cum traditione Ecclesiastica difficulter componitur. Quis enim probabile habeat, Ægyptiis, & Alexandrinis quidem, tam sero copiam factam esse Evangelii, volo dicere, sub extrema Neronis? Et sunt tamen inter Eruditos, qui hanc sententiam non gravantur. Rectius dixeris, alium quendam *Marcum* Alexandriæ Christum docuisse, & in Presbyterio illius Ecclesiæ primum ordine præsedisse, quam ignorantia cum *Marco Evangelista* confuderit; sive is fuerit *Joannes Marcus*, *cognatus Barnabæ*, sive quis ab utroque diversus. Eadem certe traditionis inopia fecit, ut Eusebius ex *Therapeutis Ægyptiis*, à Philone descriptis, fecerit *Christianos*; & invenit tamen hæc

paradoxa

paradoxa opinio, à Scaligero & Valesio recte jam notata, doctum patronum in Thoma Brunone. Aliud est, ut existimo, venerari antiquitatem; aliud, omnes antiquæ traditionis errores excusare velle, aut defendere. Majore cum specie ex Eruditis aliqui, Petrum in *Babylone Ægyptiaca priorem* suam *Epistolam* scripsisse, conjiciunt; nec sperno prorsus illud, sed relinquo, ut vere est, incertum.

IV. De STATU Ecclesiæ primævæ EXTERNO RELATIVO, cum respectu ejus ad Imperia, Regna, & Respublicas Civiles, si quæres, an *pacatus* fuerit, an *afflictus*? an navis Ecclesiæ placidum experta sit æquor, an violento ac sævo mari concussa? docet historia, Ecclesiam Christi, mundum & Satanam ex consilio Dei per *solam fidem* victuram & triumphaturam, à primo suo ortu expositam fuisse cum aliis tentationibus, tum *afflictionibus* & *persecutionibus* hostium veritatis, secundum clarissimas Christi Jesu prædictiones; & tamen Divinam Providentiam hoc attulisse moderamen, ut Persecutiones graviores non fuerint continuæ, nec Evangelii progressum sufflaminaverint; imo etiam quibusdam in casibus, repressæ. Sunt autem *Persecutiones* hujus Sæc. concitatæ adversus Christianos vel JUDAICÆ, vel PAGANÆ.

V. Judæos, *hostes crucis Christi*, *qui etiam Dominum Jesum, & proprios Prophetas occiderunt, neque Deo placent & omnibus hominibus*

adversantur, nascenti & proficienti Christianismo intentasse persecutionem, nemo miretur; sed id potius admiratione dignissimum est, non id egisse sæpius, & majore cum effectu; & Christianos *ad aliquot millia* Hierosolymis per plures annos tolerasse; cujus rei aliunde petenda non videtur ratio quam quod maximam partem hujus temporis non fuerint sui juris, nec pro voluntate ac libidine odia sua exercere potuerint; coacti nimirum *metu Procuratorum Romanorum* a Christianis abstinere manus, quippe quod satis liquet ex historia martyrii *Jacobi minoris*, de quo mox; tametsi illud quoque non sperno, Christianorum numerum, pietatem, famam, illos potuisse absterrere, si plerosque eorum, caussa status & conditionis vitæ humilioris, non potius negligendos, quam irritandos, putaverint.

VI. *Persecutiones Judaicas* notabiliores, quas sustinuit Ecclesia Hierosolymitana, *tres* solummodo demonstrat historia, quarum prima excitata est à *Synedrio*; altera ab *Agrippa Seniore*; tertia, ab *Anano*, Pontifice.

VII. *Prima* notitia solummodo petitur ex Luca, qui eam motam esse narrat occasione cujusdam disputationis inter *Stephanum*, Diaconum, & quosdam Sapientiæ Divinæ Studiosos Viros, Hierosolymis se exercentes in Literis in *Collegiis* sive *Scholis Publicis* suæ Gentis aut conditionis, de *necessitate* vel *perpetuitate externi* Cul-

Cultus Mosaicæ Legis ritualis, in quo Vir sanctus haud dubie negavit fundari posse *justitiam peccatoris coram Deo*; forte etiam, à Spiritu doctus, ejus *cultus perpetuitatem* refellit; quod fuisse disputationis argumentum tam ex *impacta calumniæ* crimine, quam ex materia & scopo Orationis ejus, coram Synedrio habitæ, colligi posse videtur; quæ sententiæ Stephani, alias noti inter *Discipulos* Apostolorum, cum nomine *blasphemiæ* delatæ essent ad Synedrium, & Vir sanctus Senatum illum acri sua apologia offendisset, per tumultum damnatus, & Curia atque Urbe extrusus, *lapidibus obrutus est*, Præside Provinciæ haud dubie absente; & solebant illi passim se detinere Cæsareæ.

VIII. Cædem Stephani excepit διωγμὸς μέγας *Persecutio magna adversus Ecclesiam, quæ Hierosolymis erat*; unde plures fuga per Judæam & Samariam sparsi, alii rapti in carceres; nec patet tamen, plus sanguinis datum esse odio Judaico, quam *Stephani*; licet persecutio propterea extincta non sit. Pessimam voluntatem refrænavit superioris auctoritatis metus. Detonuit hæc procella secundum rationes nostras *Tiberii ultimo*, vel *primo Caji*.

IX. *Altera* illam paucis post annis sequuta est *Herodis Agrippæ*, jam quoque *Judææ Regis*, qui auram affectans popularem *vexare* incepit τινὰς τῶν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας *nonnullos ex Ecclesia*; *Jacobum* Zebedæi, insignem Apostolum Christi,

sti, *gladio percussit*, & *Petrum* quoque ipsum hoc consilio in carcerem misit, ut illum *post Pascha* objiceret odio & furori incredulæ Plebis, sed qui a Deo manibus ipsius ereptus est. Incidit Persecutio in *quartum Claudii*, A. Æ. V. 44. & quidem *in dies Azymorum*; cessavit autem in morte Principis, à quo Deus brevi vindictam fusi sanguinis innocui repetiit. Monumentum aliquod traditionis Ecclesiasticæ, quod ad hanc Afflictionem pertinet, ex Libris *Hypotyposium* Clementis Alexandrini profert Eusebius; sed incertæ auctoritatis.

X. *Tertium* motum adversus Christianos Hierosolymis suscitavit *Ananus*, Pontifex, *Anna*, sic dicti in Historia Evngelica, filius natu minimus, audacis & ferocis ingenii Vir de *secta Sadducæorum*, post mortem *Festi*, antequam in Provinciam venisset Albinus, Festi Successor; quippe quod tempus proposito opportunum ratus, convocato Judicum Concilio, *Jacobum*, *fratrem Jesu qui dicitur Christus*, (*Jacobum minorem* videlicet:) & QUOSDAM ALIOS, *intentato iis crimine violatæ Legis lapidandos tradidit*. Sic Josephus, qui id factum *omnibus in ea civitate bonis & Legum studiosis vehementer displicuisse*, scribit. *Alii illi* haud dubie fuerint ex spectabilioribus Ecclesiæ membris, sive *Presbyteris*. Incidit Persecutio hæc secundum rationes nostras in A. 62. Neronis 9. Usserius refert ad sequentem. Quæ ad historiam martyrii hujus

Jaco-

Jacobi ex Hegesippo adscribit Josephus, parum sunt probabilia.

XI. Graviora manebant Christianos, quando Satanas Præsides Romani Imperii adversus eos concitavit, cujus primum exemplum notabilius *hoc Sæculo* editum est in *Nerone*, alterum in *Domitiano*.

XII. Mirum id quidem, cum Romani aliis Populis *caussa Religionis* graves non essent, & cuique liberum facerent in Romano Imperio, quo vellet ritu Deum, & quem vellet, colere, modo superstitiones non essent nefandæ prorsus aut Reipublicæ noxiæ; imo cum Romani *Judæos*, eorumque *Religionem*, ferrent, non in Provinciis tantum, sed & *Romæ*, quorum *secta* aliqua habebantur *Christiani*. Atqui id verum; estque adeo illud alibi recte observatum à Pagio, Christianos passim *aliorum criminum prætextu* ad supplicia raptos esse, Ita est *α*. Christiani, suas de Religione confirmaturi sententias, & propagaturi, omnium Gentium superstitiones publice damnabant, & redarguebant falsitatis ac erroris. *β*. Idque egerunt cum *zelo*, & *ingente* cum *successu*; quod sacrificulos, haruspices, & turbam totam poparum ob *intermissa sacra solennia* adversus illos incendit; cum Judæi, quorum idem erat sensus de sacris aliarum Gentium, longe instituerent moderatius. *γ*. Se abstinuerunt à familiari commercio aliorum hominum, eorumque non sacris tantum, sed

sed & *corruptis moribus* sui sæculi, *Epulis sacrificalibus*, *Ludis Gladiatoriis*, *Spectaculis*, *Theatris*, quod iis conciliavit contribulium odium & invidiam. δ. Inter se arctissime conjuncti & sociati, *fratrum* & *sororum* nomine, adeo ut eorum *communio* coitionem & *factionem* spectare videretur, sive, ut cum Tertulliano loquar, *ejusmodi vel maxime dilectionis operatio, notam iis penes quosdam meruerit*. ε. Ipsi Judæi Paganos adversus Christianos incitabant, calumniis illos atrocibus insectati, hoc maxime operam dantes, ut à Christianis distinguerentur; quippe quod ex *Actis Lucæ* & *Epistolis Paulinis* abunde liquet, & testatum quoque reliquit Justinus Martyr. ζ. Christiani *sacram Synaxin celebraturi*, tum ipsa *Sacra Symbola* appellabant *mysteria*, eaque participantes *corpus Domini edere*, & *sanguinem* ejus *bibere* dicebantur; tum *Symbola ipsa*, & *ritus celebrandi*, *ac rituum caussas*, *occultabant*, non *Paganis* tantum, sed & *Catechumenis*; quæ *disciplina arcani*, quomodo à Casaubono & eruditis post ipsum nostri temporis Viris recte exposita est, Paganis suspicionem movit, acsi *secreta* Christianorum *sacra* non carerent labe. η. Passim quoque male ominabantur *Romano Imperio*, eique, ut & toti hujus terræ *Orbi*, minabantur *exitium*, cujus interitum supponebant involutum iri *fini rerum per ignem*, ex Doctrina Petri. Post editam Joannis Apocalypsin certius etiam loquuti sunt de

exci-

excidio Romæ, secundum illud Sibyllæ: Ἔσαι καὶ Ῥώμη ῥύμη ROMA RUET. Patet utique illud ex *Dialogo*, qui Luciano adscribitur titulo *Philopatris.* Alias caussas posteriorum temporum, huc non àdvoco: etsi quædam etiam illarum, quas hic allegavi, magis progressum, quam prima Christianismi initia respiciant.

XIII. Inde Christiana Religio, pura illa & casta, Paganis, ejus interiora ignorantibus suspecta, Suetonio *superstitio nova* ac *malefica* (vox ad *magiam* pertinet; & referenda ad *sanationes*, *exorcismos*, *miracula* facta *in nomine Christi*:) dicitur, Tacito *exitialis*, Plinio *contagiosa*, Dioni *impietas*, ob spreta nimirum recepta Gentium Numina & Sacra; & quod se abstinerent a *Circis* & *Theatris*, & à familiari aliorum commercio, *odium humani generis* iis exprobrat Historicus. Id ipsum est quod Dominus suis totidem fere verbis prædixerat. Erupit invidia nominis primum sub Claudio, qui *Judæos impulsore* CHRESTO, *assidue tumultuantes*, (videlicet caussâ *Christi* inter se dissidentes, non absque acri animorum motu:) *Roma expulit*, ut auctor est Suetonius, & Lucas quoque prodit in *Actis*, extremis Imperii annis; nec alio referendum quod Tacitus (*Ann.* L. XIII. C. XXXIII.) de POMPONIA GRÆCINA, INSIGNI FEMINA, *Plautio qui ovans se de Britannia retulit*, *nupta*, quod SUPERSTITIONIS EXTERNÆ *rea*, *mariti judicio permissa sit.* Incidit casus in *tertium annum* Neronis. XIV.

XIV. Hic Princeps *execrabilis*, splendidissimæ Domus ultimum opprobrium, vas a Satana repletum omni malitia & petulantia ad usque insaniam, incendit persecutionem in sanctos cum incensa Roma, Anno Imperii sui XI, *Æ. V.* 64, *C. Lecanio*, & *M. Licinio* Coss. ut certus auctor est Tacitus, ex cujus historia hic plus luminis petitur, quam ex Tertulliano, Eusebio, Lactantio, Orosio; fuitque vere persecutio gravis, sive *numerum martyrum*, quorum INGENTEM fuisse MULTITUDINEM, scribit Historicus, sive *quæsitissimi supplicii* genus, quo affecti sunt, respicias. *Pereuntibus* enim *addita ludibria*, *ut ferarum tergis contecti*, *laniatu canum interirent*; *aut crucibus affixi*, *aut flammandi*, *atque ubi defecisset dies*, *in usum nocturni luminis urerentur*. Petri & Pauli sanguinem Romæ haustum esse hujus tempore Persecutionis, in quo tamen definiendo neutiquam accurati sunt, passim tradunt Veteres: quod de *Petro* negare nolim; sed de *Paulo* neutiquam concesserim, & satis refellit *posterior ad Timotheum Epistola*. Rectius ejus martyrium cum Cestriensi referas ad Annum Neronis *tertium decimum*, post intervallum biennii.

XV. Caussam tanto sceleri prætextam ait Historia ex *incendio Romæ*, cujus criminis invidiam à se amoliri cupiens Princeps, impegit illud Christianis; *nec sine aliqua verisimilitudinis umbra*, *quod illi tum voce tum scriptis de futura*

mun-

mundi conflagratione, impiisque igne puniendis, sæpius publice declamarent, ut Vir quidam eruditus. Veræ caussæ illæ sunt ipsæ, quas modo adscripsi, & præcipue Christianæ Religionis mirificum incrementum in illa Urbe, ubi erat *thronus Satanæ*. Sic recte conjecit Lactantius, nec ex ipso Tacito obscurum; etsi pro ingenio suo Christianum nomen magna oneret invidia. Cætera non patet ex hoc Historico, nec, quod sciam, ex ullo alio monumento, Persecutionem hanc fuisse γενικὴν *generalem*, & extra Romam per Provincias Romani Imperii grassatam; & negat illud Cl. Dodwellus, non absque magna specie, nec persuadet tamen Pagio contra disputanti.

XVI. *Neroniana* vero hæc *sævitia* & summa ejus *impietas*, Christianis quibusdam illius temporis hanc subjecisse videtur cogitationem, *Neronem* forte illum esse Ἀντικείμενον *Adversarium* Christi Jesu insignem, sive *Antichristum*, quem Paulus in *posteriore* ad *Thessalonicenses* dixerat *sessurum esse in Templo Dei, & præ se laturum, se esse Deum*; quem proinde sibi persuadebant occupaturum Hierosolymam, &, quod frustra tentaverat Cajus *in imagine*, ipsum per se reapse exequuturum, & throno in Templo posito ostentaturum Divinitatem; simul vastaturum Ecclesiam in *Oriente*, ut fecerat in *Occidente*; nec dubitem quin ex fama hujus simpliciorum quorundam Christianorum opinionis id

manaverit, quod ſcriptum de ipſo reliquit Suetonius, C. XL. *Spoponderunt tamen quidam deſtituto Orientis ordinationem; nonnulli nominatim* REGNUM HIEROSOLYMORUM. Certe præjudicium de *Nerone*, ut *Antichriſto*, tam alte Chriſtianis quibuſdam inhæſit, ut ſtulte ſibi perſuaſerint, *in vivis ſervatum Neronem* ſub finem Sæculi *reverſurum*, & præ ſe laturum Divinitatem, cum *vaſtatione terræ & humani generis everſione*. Obſervaverat illud jam præter alios Caſaubonus ex *Sibyllinis*, ſed clarius etiam patet ex vulgato noſtro tempore Lactantio de *Mort. Perſec.* qui hanc perſuaſionem merito *deliris* relinquit. Sibylla, in prophetia de Nerone, L. V. præter loca duo à Baluzio huc adducta:

Εἶτ' ἀνακάμψει
Ἰσάζων Θεῷ αὐτὸν. ἐλέγξει δ' οὔ μιν ἐόντα.

Deinde revertetur,
Se ipſum æquiparaturus Deo, ſed Deum non eſſe arguet Deus.

XVII. Placuit exemplum Domitiano, à Neronis vitiis non alieno, (*portionem Neronis de crudelitate* vocat Tertullianus:) qui circa *Sæculi finem* perſecutionem intentavit Populo Chriſti, *anno* quidem, ut rectiſſime demonſtratum eſt à Cl. Dodwello, *Imp.* XV, Æ. V. XCV. Sic enim exerte ſonant Pagani Scriptoris (*Bruti*, vel potius *Brutii*) verba, ab Euſebio in Hiſto-

ria exscripta; idemque facile colligitur ex Lactantio, imo & ex Tertulliano.

XVIII. Nec tamen sive *confessorum* aut *martyrum* numerum; sive *genus supplicii*, quo plerumque in eos animadverti placuit; sive etiam *durationem* spectes; cum Neroniana comparari velim, quæ nimirum hac longe gravior fuisse videtur; nisi quod Domitianeam hanc *generaliorem* fuisse negare nolim. Pauciora enim sunt confessorum vel martyrum nomina, quorum memoria hoc tempore facilius conservari poterat. Nec ultra *annum* durare potuit; imo *tentasse* ait Tertullianus, quod idem Hegesippus testatur apud Eusebium. Nec meminit ejus in historia Suetonius nisi oblique. Pœnam vere confessoribus passim decrevit *exilium*, ut patet ex exemplis *Flaviæ Domitillæ*, *Flavii Clementis Consulis ex sorore neptis*, & *Joannis Apostoli*, hoc tempore in *Patmum* relegati. Nec dixerim tamen, sepositis etiam fabulis, nulla certa historiæ auctoritate firmandis, Imperatorem notæ crudelitatis nec alio modo sæviisse in *Christianos*, nec plures dedisse *martyres* quam quorum servata sunt nomina, ut sentire videtur Cl. Dodwellus. Quin dubitandum non est, quin ad Christianos pertineat quod Dio apud Xiphilinum de *Flavio Clemente*, Consule, ipsius Domitiani Patruele, & *Glabrione*, *qui cum Trajano magistratum gesserat*, à Domitiano *necatis* scribit caussâ ἀθεότητος *atheismi*. Christianismus designa-

 tur,

tur, ut notum ſatis, quem mox vocat Ἀσέβειαν *impietatem* in hiſtoria Nervæ. *Flavio* enim ſecundum Dionem ob idem crimen nex illata eſt, ob quod relegata *Flavia*, quam ex Brutio conſtat, *Chriſtianiſmi cauſſa* exilium tuliſſe. Eſtque ille necatus eodem *hoc anno*, quo *Conſulatum* geſſerat. Addit autem Xiphilinus: Cujus REI CAUSSA MULTI *qui in mores* JUDÆORUM (*Chriſtianorum* nimirum, qui paſſim adhuc à Paganis cum *Judæis* confundebantur:) *tranſierant*, *damnati ſunt*, καὶ οἱ μὲν ἀπέθανον, οἱ δὲ τῶν γοῦν οὐσιῶν ἐστερήθησαν *quorum pars* OCCISA *eſt*, *pars* SPOLIATA FACULTATIBUS.

XIX. *Cauſſas*, præter communes, modo adductas, in hiſtoria duas obſervare licet. α. Quod Principi, conjurationes omnes ob peſſimam ſcelerum conſcientiam metuenti, *pavido ſemper*, ut Suetonius, *atque anxio*, *qui minimis etiam ſuſpicionibus præter modum commovebatur*, perſuaſum ſit, Religionem Chriſtianam ſpectare *coitionem* & *factionem* in Republica, quæ *imperium* ad *cognatos Chriſti*, *regia Davidis domo ortos*, transferat, vel *Chriſti regnum* aliquod glorioſum cum *illuſtri ejus adventu* expectet. Poterit id melior teſtari auctor quam Hegeſippus apud Euſebium; nec tamen ejus hic ſperno *traditionem*, talibus veſtitam circumſtantiis quæ illi conciliant probabilitatem. Adſcribit idem, Principem comperta *conſanguineorum Chriſti conditione vitæ*, & *paupertate*, & auditis eorum reſ-

responsis de *Regno Christi*, liberos illos dimisisse, & *persecutionem edicto compescuisse*. β. Quod ex *consanguineis* Principis essent qui se hujus Religionis sectæ aggregarent, qualis fuit *Flavius* ille *Clemens*, *Patruelis* Domitiani, *contemtissimæ inertiæ* notam meritus à Suetonio, nimirum respectu professionis Christianismi; & Flavii illius ex sorore neptis, *Flavia Domitilla*, modo commemorati. Auxit id firmavitque suspicionem hominis meticulosi; & quanto Christianismo gloriosius fuit, tam illustres habere fidei confessores, tanto magis adversarii odium adversus illum concitavit. Accessit haud dubie, quod Christiani titulum DOMINI, quem soli *Christo* reservabant, Imperatori superbo negarint; nedum *Dei*; quibus tamen ille præ cæteris gaudebat.

De *interno Statu Ecclesiæ* Sæc. I.

XX. INTERNUS *Ecclesiæ* STATUS, cujus est præcipuus apud Deum respectus, æstimatur ex *Accidentibus Ecclesiæ* sive ejusdem *Qualitatibus internis*, DOTIBUS nimirum, & VIRTUTIBUS ECCLESIÆ, iisque oppositis *Vitiis*. Quam si contemplemur faciem Ecclesiæ hujus Sæculi: forte observabimus, non plane fuisse eandem, aut æquabilem, nec per hoc non adeo longum intervallum temporis nascentis Ecclesiæ ubique perinde lætam.

 XXI. *Pri-*

XXI. *Prima Ecclesia*, ut fundata est ab Apostolis tam Hierosolymis quam in Provinciis Romani Imperii, jucundissimus est aspectus, & forma pulcherrima; præcipue *Apostolicæ Hierosolymitana*, totius Ecclesiæ matris, & *Antiochena*, cujus proxima laus est. Exclusit enim Status ille Populi Christiani pleraque vitia, quæ Ecclesiam deformant & dehonestant; tum quoque quantum ejus in his terris sperari potest, *hypocritas*; nedum homines impuros & carnales, quorum mores & vitæ ratio professionem Christianismi refellunt; fulsit contra splendidissimo ornatu *Dotium* ac *Virtutum*, Statui Spirituali Populi Christi congruentium, in oculis Dei & hominum, & reliquit adeo posteris exemplum æterni usus, ad quod omnis Ecclesiæ Status componendus, ad quod item corruptæ reformandus est.

XXII. Dotes Ecclesiæ, per quas à *Virtutibus* distinctas, hic ejusmodi intelligo *dona gratiæ Spiritus S.* quæ præcipue referuntur ad *facultates hominis* qua *rationalis* sive *Intellectus* & *Judicii*, sive etiam *Voluntatis* & *Eloquii*, aureo hoc ævo temporis Apostolici plane fuerunt illustres, magnamque illi conciliarunt laudem, & phrasi Spiritus S. *gloriam*; satis notæ ex *Actis Lucæ*, & *Epistolis Pauli*; præcipue *priore* ad *Corinthios*. *Ordinarium* quidem *Donum Divinæ Gratiæ*, omnibus credentibus in Jesum commune, est *Fides*; sed quæ robusta, vege-

ta, fo-

ta, solida, viva, hac ætate omnem vim & *vitam* suam perfectissime exeruit, tam in *publica, libera, diserta,* & *intrepida confessione Doctrina Christiana* in Templo, Synedriis, Synagogis, Scholis, Foris, & Præsidum Provinciarum, Regum, imo ipsius Imperatoris judiciis sive auditoriis; quam in voluntaria *afflictionum* omnium *tolerantia*, conjuncta cum *gloriatione* in malis, caussa Evangelii perlatis, & intentissimo *charitatis* & omnium Virtutum Christianarum *exercitio*. Ecquis miretur? Aderant enim *Apostoli* & Discipuli Christi, qui *magna vi reddebant testimonium resurrectionis Domini Jesu*, & Doctrinam suam *miraculis* & *portentis* confirmabant; quæ fulcra haud dubie fidei sunt validissima. Inde *pleni* dicuntur fuisse *fide* & *Spiritu Sancto*.

XXIII. *Signa* autem *eos qui crediderant, hæc consequebantur: Per nomen Domini dæmonia ejiciebant; linguis loquebantur novis; serpentes tollebant, & si quid lethale bibissent, nequaquam iis nocebat; male valentibus manum imponebant, & bene habebant*; ut Marcus. Imo vero DONA EXTRAORDINARIA *Divina Gratia*, quæ secundum Apostolum recte distinxeris in χαρίσματα DONA GRATIÆ, sic simpliciter dicta, & ἐνεργήματα δυνάμεων OPERATIONES MIRACULOSAS, utraque subservientia variis διακονίαις MINISTERIIS Ecclesiasticorum Munerum, à Christo Jesu εἰς τὸ συμφέρον *ad utilitatem* & incrementum Ecclesiæ ordinatis, varii erant ge-

neris, in Ecclesiam cœlitus *effusa*, ut de *copia* singularis *gratiæ* Divinæ, quam Prophetæ prædixerant tempora Messiæ comitaturam, abunde testarentur,

XXIV. Ad CHARISMATA referas SAPIENTIAM in re publica Ecclesiæ rite ordinanda & administranda, dirimendis controversiis, Doctrina Fidei qua ore qua scripto spirituali modo explicanda, quod præcipue Apostolorum fuit; SCIENTIAM,, (Γνῶσιν:) *Eruditionem*, sive *Linguarum & Historiarum cognitionem*, quæ præcipue subserviit *Prophetis*; *Donum* SANATIONIS ægrorum per *impositionem manuum*, acutis quibusdam morbis laborantium; PROPHETIAM, *facultatem* sive Scripturæ Veteris Testamenti, præsertim *Propheticæ*, recte interpretandæ, cui facultati serviebat *donum γνώσεως Eruditionis*; sive futuri temporis casus & eventus absque errore prædicendi ex *revelatione*, per *somnia* aut *ecstaticos raptus* percepta; sive etiam de *Divinis rebus* copiose & scienter differendi; DISCRETIONEM SPIRITUUM, qua fictæ, spuriæ & adulterinæ revelationes, quas hypocritæ jactabant, à veris discernebantur, & falsorum fratrum detegebatur simulatio; GENERA LINGUARUM, donum gratiæ quo credentes extra ordinem in cœtu publico *à Spiritu affecti* variis loquebantur linguis, quas nunquam didicerant, & à superiore quadam vi concitati, mysteria Regni Cœlorum

fa-

facunde edisserebant, (*Donum* enim Linguarum ab hoc *dono gratiæ* nunquam sejunctum fuit:) aut etiam in *precibus* & *gratiarum actionibus* aliis præibant. qua tamen gratia gregarii credentes *non omni gavisi* sunt tempore & occasione, nec omni in *loco*, sed solummodo dum in cœtibus Sanctorum à Spiritu acti & velut in ecstasin rapti non tam sua quam Spiritus S. lingua loquebantur. Accedunt dona *docendi*, *exhortandi*, *consolandi*, *dicta peregrinis linguis interpretandi*, *sanctis ministrandi*, & quæ hujus generis alia.

XXV. Cumulum hujus gratiæ vides ἐν τοῖς Ἐνεργήμασι δυνάμεων OPERATIONIBUS VIRTUTUM, quas Apostolus à *Dono Sanationum* distinguit, quod effecta producerent insolita prorsus & portentosa, (stylo Scripturæ *signa* & *prodigia*:) quæ spectatores rapiebant in stuporem, & de Divina virtute, *Apostolos* aut insigniores Viros Apostolicos qualis fuit Stephanus, comitante, admonebant. Ad quas pertinent, α. *Sanationes* hominum *Valetudinariorum*, (phrasi sacra, ἀσθενῶν *infirmorum*) sive interno quodam lethali sive externo corporis vitio affectorum, ut sunt hydropici, phthisici, paralytici, cæci, surdi, claudi. β. *Effectus* alii plane extraordinarii, *Divinæ potentiæ* indices cujuscunque generis, veluti Resuscitationes mortuorum; plagæ severiores Divini judicii, inflictæ hypocritis aut pertinacibus Sp. S. adversariis, cujusmodi exempla extant in Anania, Sapphira, E-

lyma; *traditio* qua fratres *ἄτακτοι* committuntur *Satanæ* ad cruciatus vel afflictiones corporales, *καὶ τὰ τούτοις παρεπόμενα*; *γ.* *Ἀναισθησία*, five illud *Beneficium* Gratiæ quo à læsione & noxa præservabantur in casibus maxime dubiis, si interesset Evangelii; adeo ut serpentum venena, viperarum morsus, potiones lethiferæ, incantationes, & subinde aqua & ignis quoque iis nihil attulerint mali: quod beneficium licet vere, si credentes ipsos respicias, sit *παθητόν τι quid patibile:* quatenus tamen hoc signum Divinæ potentiæ extraordinarium in iis editum est, ad *τὰ ἐνεργήματα*, quæ vere sunt *effecta virtutis Divinæ*, recte refertur, pariter ut aliæ *liberationes miraculosæ* quæ obtigerunt Apostolis. *δ.* *Expulsiones Dæmonum* ad adjurationes factas in nomine Christi Jesu. *ε.* *Dona Spiritus S. Linguarum* & *Prophetiæ* illapsa in credentes ad *preces* & *impositionem manuum Apostolorum*; quod maximum portentum visum est impuro Simoni Samaritæ. *ζ.* *Signa motus terræ* aut *cœli* in conventibus *Apostolorum* & *piorum* sacris suis celebrandis intentorum, indicia Divinæ præsentiæ. Exempla singulorum passim extant indubiæ certitudinis quod ad fidem historiæ apud Lucam, & ex monumentis Ecclesiasticis plura diligenter congesta sunt & producta in lucem à Cl. Viro, Tobia Pfannero, in *Diatribe* de hoc argumento, sed non omnia absque rigido examine admittenda. Ne quid hic vile cogitemus, obversentur nobis verba

Sta Lucæ: *Per manus autem Apostolorum edebantur* SIGNA *&* MIRACULA MULTA *in populo, — adeo ut in plateas efferrent ægrotos & ponerent in lectis & grabbatis, ut* VENIENTIS PETRI *vel* UMBRA *aliquem illorum inumbraret.* Alibi in historia Pauli: *Adeo ut etiam ad ægrotos deferrentur à corpore ejus sudaria, seu semicinctia, & discederent ab iis morbi, & spiritus mali ab iis exirent.*

XXVI. VIRTUTES, his dotibus junctæ earumque verum complementum, (quo nomine illa appellamus effecta Sancti Spiritus in animis credentium quæ ad *Affectus* referuntur eosque emendant:) idem sibi elegerunt domicilium, nec ab iis commode divelli poterant; certe non à *fide* quæ *mortua* est absque *charitate*; ut *charitas* non consistit extra reliquas *virtutes*, cum una omnes mater pariat. Quare si ex Doctrina Christi & Apostolorum perceperis, *fructum Spiritus* esse *charitatem*, *fraternum amorem*, *pietatem*, *gaudium*, *pacem*, *patientem animum*, *benignitatem*, *bonitatem*, *lenitatem*; *temperantiam*, *moderationem animi*, non dubitaveris, Ecclesiam illam, quam Spiritus S. tot aliis divitiis suæ gratiæ locupletavit, his virtutibus excelluisse. Sic testantur *Acta Lucæ*, & *Apostolorum Epistolæ*; & sunt tamen peculiaria quædam ornamenta Ecclesiæ Apostolicæ, quæ historia præcipue commendat, digna quæ speciatim consignentur.

XXVII.

XXVII. In his est, *α.* Zelus ingens & vere divinus, a Spiritu S. accensus, quo arserunt primi illi credentes in *glorificando Deo*, & profitenda ac promovenda Religione, bonisque & donis gratiæ cum aliis communicandis; qui *zelus* fecit ut in cœtus frequenter & passim *omni die* convenerint; Christum Jesum magna cum cum libertate intrepide ubique professi sint, animati à *Spiritu fortitudinis*, excluso *timore*; inter plura pericula & discrimina vitæ, tum quoque curas, solicitudines, labores, summa cum diligentia & vigilantia per totam vitam suam Regnum Christi Jesu promoverint, & doctrinam Evangelii tanta opera prædicatam cum aliis afflictionibus tum ipsa etiam morte sua lubentes obsignarint. *β.* Charitas erga fratres, ejusdem pretiosæ fidei secum consortes, perfecta sane, quæ nullis se limitibus passa est circumscribi, cujus argumenta fuerunt & effecta indubia. (a) Quod Credentes Hierosolymis omnia sua bona inter se voluerint esse communia, qui summus est perfectæ charitatis character; ad quam licet ex Lege Christianus homo non obligetur, & omnes etiam Christiani primi temporis exemplum Ecclesiæ Hierosolymitanæ imitati non sint; nemo tamen inficias eat, amorem perfectæ φιλαδελφίας in statu ἰσότητος *æqualitatis* & κοινωνίας *communionis* perfectissime repræsentari. (b) *Pax*, *amicitia*

tia, *concordia* & individua animorum consociatio, fundata in *humilitate* sive *modestia* illa animi, qua quisque alium se præstantiorem habet, & mutuis officiis charitatis indies fulta atque corroborata; excludens æmulationes, dissidia, schismata, factiones, obtrectationes, calumnias, καταλαλιὰς, horumque caussas præcipuas, *odium*, *invidiam*, *superbiam*. Sic est, *multitudinis eorum qui crediderant erat cor & anima una*. Erant igitur *σύμψυχοι unanimes*, quod Paulus *ad Philippenses*. (c) *Gaudium* & lætitia animi interna, certissima amoris comes, non modo nata ex bona conscientia, & sensu Divini favoris in amplissimis beneficiis gratiæ, per Christum in Ecclesiam collatis; sed ex ipsa etiam *consuetudine* & *commercio* mutuæ charitatis fraternæ, quo nihil dulcius, nihil jucundius est. *Capiebant cibum* (in Agapis & Epulo Sacro) *cum exultatione*.

XXVIII. γ. SIMPLICITAS CORDIS, (ἀφελότης τῆς καρδίας) quæ involvit puritatem integritatemque propositi in omnibus actionibus, exclusa *ambitione*, *iniquis judiciis*, & *sinistris suspicionibus*, quibus aliorum actiones, gestus, dicta, in Legem Christi non manifeste incurrentia, onerantur. Oppositum huic virtuti vitium est, quod Scriptura *hypocrisin* vocat, quæ carnales affectus ambitionis, avaritiæ, cupiditatis, religioni miscet; & alterum quoque *malitiæ*, quo proclives sumus ad aliorum dicta & facta, quæ

æquius judicium non recusant, perverse & sinistre interpretandum.

XXIX. 3. ABNEGATIO SUI IPSIUS, tantopere à Christo Jesu commendata, qua Christiani, se totos devoventes Domino, renunciabant, quantum pote, Mundo, ejusque & mundanorum hominum commercio, corruptis sæculi sui moribus, deliciis carnis; abstinebant Circis, Theatris, Ludis Scenicis & Gladiatoriis, Epulis Paganorum publicis, & in omni vitæ consuetudine præ se ferebant morum puritatem, castimoniam, innocentiam.

XXX. Accedit hisce *rigor Disciplinæ*, quæ non modo manifestarios peccatores, sed & hypocritas, quantum pote, cancellis Ecclesiæ excludebat & à sanctorum arcebat communione; certe in Ecclesia Hierosolymitana, præsidentibus Apostolis, quorum acerrimum erat judicium in illis detegendis & suffundendis pudore; quod gratiæ donum pertinet quoque ad τὴν διάκρισιν πνευμάτων *discretionem spirituum*.

XXXI. Sensim tamen, invalescente credentium numero, & Ecclesia per Orbem diffusa, hypocritæ & impostores cœtibus sanctorum cœperunt misceri, quorum aliqui, & bene multi, vel turbas dabant in Ecclesia, vel, exorta persecutione, quando spem suam de prosperitate temporali, in carnalibus fundatam præjudiciis, delusam senserunt, secundum prædicti-


dictionem Domini à fide defecerunt; dum alios obrepebat languor, remittente *zelo*, sive *prima charitate*. Liquet id manifeste ex Epistolis Apostolorum, & Christi Jesu ad Ecclesias Asianas, in *Apocalypsi*; idque ipsum est, quod Plinius ad Trajanum scribens eleganter *hos qui revera Christiani sunt*, ab aliis hujus professionis, Christum facile abnegantibus, hypocritis, inquam, & ἀςηείκτοις, probe discernat. Frigus hoc & corruptionis initia recte referri videntur ad tempus Imperii Neroniani, nec pœnitet judicii de *Statu Ecclesiæ* hujus intervalli quodammodo languescentis usque ad Trajani tempora, quibus *refloruit* secundum Lactantium, ab Hæreticorum *cœtibus* deinceps diligentius discreta, quod prolixius explicui in *Libris Observationum Sacrarum*.

XXXII. Quare quod Hegesippus apud Eusebium testatur de *virgineo Ecclesiæ statu* usque ad *obitum omnium Apostolorum*, & ipsius quoque *Joannis*, sub Trajano, acsi *hæretici* & *impostores* tum demum *aperta fronte* se inceperint ostentare publice & à cæteris secessionem facere, cum temperamento accipendum putem, quicquid Cl. Dodwellus pro Hegesippi hoc testimonio & fide disputet. *Hæreticos* enim plures jam tempore Joannis vel secessionem fecisse ab Ecclesia. vel à fidis Pastoribus ejus communione fuisse exclusos, liquet clarissime ex *prima*

Joan-

Joannis & *Epistolis Apocalypticis*. Nec negem tamen, *mysterium hujus iniquitatis* post Apostolorum obitum clarius esse revelatum, & fortius refutatum.

Δόξα τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν.



TYPUS DOCTRINÆ *PROPHETICÆ.*

CONSPECTUS OPUSCULI.

OMnis tractatio *Doctrinæ Propheticæ* tribus partibus includi posse videtur. α. PROLEGOMENIS, in quibus de *Prophetiis*, *Prophetis*, *Oraculis* veris, falsis, verorum ac falsorum *Criteriis*, eorum revelandorum *Modis*, *Studiique* hujus *Utilitate* & *Necessitate*, agitur. β. PROPHETIIS ipsis, pro variis suis objectis, in certas classes, sive in communem aliquem ordinem, compingendis ac digerendis. γ. CANONIBUS, sive *Regulis Prophetiarum* recte intelligendarum & interpretandarum.

PARS PRIMA.

PROLEGOMENA.

CAP. I.

De *Prophetis* & *Prophetiis.*

PRophetia est Prædictio casus aut eventus contingentis futuri temporis ex Revelatione Divina, eaque immediate excepta. *Contingentis*, inquam. Cum enim *Casus* omnes aut Eventus rerum vel *necessarii* sint, qui à physicis & necessariis caussis secundum naturæ Legem atque ordinem pendent, ut inter alios sunt *dierum noctiumque Vicissitudines*, *Reciprocatio æstus*, *Conversiones* & *Conjunctiones Siderum*, *Eclipses*; vel *contingentes*, qui necessariam caussam habere non intelliguntur, ut sunt *hominum volitiones* & *actiones liberæ*, earumque consequentia, posterius hoc est prophetiarum verum ac proprium objectum. *Jes.* XLI. 22. *Appropinquare faciant*, *& annuncient vobis* את אשר תקרינה EA QUÆ CONTINGENTER (casualiter) *eventura sunt*; *faxint*, *cognoscamus* הבאות VENTURA. Latius tamen recte dixeris, Prophetiam esse *scientiam*, *declarationem*, *interpretationem ejus quod sciri nequit nisi ex revelatione Divina.*

2. Homines qui ejusmodi prædictiones edunt,

dunt, vulgo dicuntur PROPHETÆ, notione Populis communiter recepta. Hebræis נביאים voce ejusdem potestatis, sive חוזים aut ראים VIDENTES. Postremam hanc notionem antiquissimi fuisse usus, patet ex I *Sam.* IX, 9. & etiamsi inter eam & reliquas magna intercedat affinitas quod ad significationem: distinctas tamen esse genuinas trium harum vocum notationes, evinci posse videtur ex I *Chron.* XXIX. 29. & 2 *Reg.* XVII. 13. nec tamen perinde patet accurata discriminis ratio. נביא quidem, sive PROPHETA, sic proprie dictus, facile distinguitur *Vidente*, quod vere notet *Visionis*, sive *Revelationis*, à Deo factæ, *Interpretem*. *Interpretari*, inquam, Divinam Revelationem, & de Divinis rebus *facunde dissertare*, Hebræis est *prophetare*; sive quis *Revelationem*, sibi factam, ipse exponat; sive *alteri* factam interpretetur; (*Exod.* VII. I.) quorum ille proprie Veteribus Προφήτης, hic Υποφήτης dicebatur. VIDENS autem appellatur qui *revelationem habet* aut *accipit*, (ὁ ἔχων ἀποκάλυψιν, I *Cor.* XIV. 26. *Num.* XXIV. 4. 16.) sive qui *oculis mentis* in rem imaginationi à Deo oblatam per *internam lucem* videt, quod non vident alii. *Videre* est θεᾶσθαι τῇ διανοίᾳ. unde *Prophetia* חזון *Visio*, Ἀποκάλυψις, dicitur. Dubium solummodo, quantum intersit inter הרואה & החוזה. æqua enim utriusque videtur vocis potestas, nec necesse fuerit in re incerta & levis momenti quic-

quam definire. Id tamen probabile habeo, חוזה sive חוזה proprie esse ἐκστατικὸν, qui oculos mentis in rem contemplationi suæ oblatam alte defigit, & *vultu immoto*, *in ejus intuitu* hæret, 2 *Reg.* VI. II. quæ omnis vis non est in voce ראה, quippe quæ simpliciter notat qualemcunque rei speciem, in phantasiâ descriptam, *videre*, non in ecstasi tantum, sed & *per quietem*; *Gen.* XXXI. 10. XLI. 22. estque adeo vocis ראה latior significatio, licet affimare non ausim, discrimen illud ubique accurate observari. Synonyma sunt elegantiora, איש האלהים *Vir Dei*, totus Deo & Divinis rebus devotus consecratusque, qui in & cum Deo vivit, 1 *Sam.* IX. 8. & איש הרוח *Vir Spiritus*, *spiritualis*, *à Spiritu* affectus actusque; *Hos.* IX. 7. מטיף *Stillator*, *Mich.* II. II.

3. Hujusmodi Prophetas, sive Vates, aut quo alio nomine appellatos, omnes habuerunt Gentes antiqui ævi, quorum ad nos pervenit memoria, ut ex Cicerone, Macrobio, Oneirocriticis, & sacræ ac profanæ historiæ quibuscunque monumentis liquet. Persuasum enim omnibus fuit, estque *opinio vetus*, *jam usque ab heroicis ducta temporibus*, *& omnium Gentium firmata consensu*, ut Cicero, dari quandam futurorum eventuum prænotionem, sive, *versari quandam inter homines divinationem*, *quam Græci μαντικὴν appellant*, id est, *præsensionem & scientiam rerum futurarum*; sive

hæc

hæc ὑπόληψις Populorum Orientalium ſuſcepta ſit à Patriarchis, qui commercium cum Deo habuerunt, & ab iis per traditionem manaverit ad poſteros; ſive ex *Somniis*, *Oraculis*, *Prædictionibus*, ſuo tempore vulgatis, cum eadem ſubinde eventu comprobari deprehenderent, hanc imbiberint ſententiam. Id certum, ſententiam fuiſſe communem.

4. Quam qui admiſerunt, omnes ita perinde ſtatuerunt, *ſcientiam* illam *futuri*, quæ proprie *Prophetia* dicitur, omnino *haberi ex revelatione*, ſive Dei ipſius, electos quoſdam homines hac prærogativa honeſtantis; ſive, quæ communis opinio fuit, *Angeli*, aut *Dæmonis* alicujus, Divinæ Providentiæ Miniſtri. Veteres enim paſſim arbitrabantur, ſupremi Numinis majeſtati non ſatis convenire, ut ſe ἀμέσως miſceat cum hominibus; ſed rectius dici, Deum ſummum ſe cum mortalibus communicare per Poteſtates quaſdam ſpirituales, ipſo inferiores, quas illi *Dæmones* vocabant, & veluti *medioxumos* quoſdam *Deos* venerabantur.

5. Supponebant itaque omnes illi Populi, *a.* dari quandam Providentiam & curam rerum humanarum, cujus ſummum moderamen ſit apud *Deum*, *liberum Rectorem* & Judicem Mundi, qui hominum rerumque omnium fata ſuo conſilio in longum deſcripſerit, & conſilii illius ſui exequutionem ipſe adminiſtret. quam Theologiam Scriptores mythici omnes

inculcarunt, β. Deum illum, hujus Universi Præsidem & Moderatorem, secundum cujus placiti sententiam omnes rerum casus & eventus componantur, ea esse in humanum genus bonitate & affectu, ut consiliorum quorundam decretorumque suorum scientiam cum electis aliquibus sanctisque hominibus communem facere velit. Utrumque vel alterutrum, tolle, si vis, & senties te subvertere fundamentum prophetiarum. Ponas enim, licet, quod impiæ Philosophiæ scitum est, omnes rerum eventus ex æterno & fatali quodam naturæ ordine necti; nihil vere in hoc universo liberum esse, quod esse videatur; volitiones & actiones omnes substantiarum intelligentium ab æternis certisque caussis non minus necessario pendere, quam qualicunque alia eventa, secundum naturæ legem inevitabilia: certum tamen, mortalium neminem tanto præditum esse ingenii acumine & perspicacitate mentis, ut hunc rerum nexum atque ordinem pervestiget, nedum in longum prospiciat. Fieri itaque nequit, ut *vera prophetia* sit *effectum naturæ*. Vera prophetia ostendit Numen aliquod, quod à natura rerum distinctum, huic Universo libere præsidet, & cum per Decretorum suorum conscientiam futura revelare possit, per bonitatem velit. Absque *hujusmodi revelatione* nulla est prophetia; aut creditur esse cum ratione. *Astrologiæ* enim *Judiciariæ* ineptias non curo.

6. Cæterum inter hos Populos Hebræi quoque antiqui temporis ſuis gloriati ſunt Prophetis, quorum longus catalogus à Moſe uſque ad tempora Malachiæ, imo Joannis Baptiſtæ, pertexitur. *Hoſ.* VI. 5. *Ego illos cælavi per Prophetas.* *Amos* II. 11. *Et ex Juvenibus veſtris quoſdam ſuſcitavi Prophetas.* *Jer.* XXIX. 19. *Zach.* I. 5. Exemplorum plena eſt mirabilis hiſtoria hujus Gentis, & ſuperſunt Oracula infiniti pretii, quæ inſpicere licet & meditari. Imo ante Moſen Patriarchæ, tam ſuperiores Diluvio quam inferiores, à quibus ortum trahunt Iſraëlitæ in linea Seminis Sancti, vel appellantur *Prophetæ*, vel vaticinati fuiſſe feruntur, veluti Enoch, Noah, Abrahamus, Iſaacus, Jacobus, *Jud.* ℣ſ. 14. *Pſ.* CV. 15. *Gen.* IX. 25. XLIX. 1. 2. ſeqq. Adamus ipſe, in ecſtaſin raptus, de ortu ſuæ conjugis fatidice diſſeruit, *Gen.* II. 23. Nova inſuper Oeconomia dedit nobis magnum illum & eximium Prophetam, à Moſe promiſſum, CHRISTUM JESUM, Filium Dei, *Deut.* XVIII. 18. & ipſo integrum *Prophetarum* chorum, ſive ipſi de rebus futuri temporis ſint vaticinati, ut Johannes; ſive in prophetias Veteris Fœderis interpretandas incubuerint. *Epheſ.* IV. 11. *Alios dedit* (Dominus) *Apoſtolos*, *alios* PROPHETAS.

CAP. II.

Quot *modis* Prophetæ *Divinam Revelationem* exceperint?

POsterioris generis *Oracula*, quæ in Hebræâ Gente conservata sunt ab usque natalibus humani generis, pro veris, genuinis, & θεοπνεύστοις amplectimur. quod in hoc *Typo Systematis Prophetici* supponere liceret, demonstrare opus non haberem. Sed quæ mox adferam de *Criteriis*, ex quibus vera Oracula à falsis discernuntur, huc referri poterunt.

2. Historia autem Hebrææ Gentis, & ipsa illa quæ supersunt Oracula, nos docent, *quos*, & *quo modo*, *quibusque in casibus & circumstantiis*, & sæpe etiam *quo tempore*, Deus Vates inter Hebræos sua dignatus sit *revelatione*. In universum tradit, *Prophetas*, vere & proprie sic dictos, fuisse passim homines *sanctos*, (2 *Pet.* 1. 21.) Deo devotos, affectu puros, castos moribus, secretos à vulgi & mundanorum hominum commercio, retractos à vanitate & vitiis sæculi, totos se involventes meditationibus rerum spiritualium ac cœlestium, & *ab* ipso *Deo ante uterum* ad grave hoc & sanctum munus *electos*, (*Jer* 1. 5.) quos hoc *prophetiæ* dono ornatos voluit. Exempla sparsa sunt per Verbum Dei, nemini

non

non nota. Suffragatur ratio. Purissimo enim enti quî conveniat tantam gratiam apud impuros, sui maxime dissimiles, deponere? Estne *luci commercium* cum *tenebris?* an his *consuescet* Deus tanquam *amicis* qui se negligunt aut oderunt? *Ps.* xxv. 14. *Jes.* xxxiii. 15. *Joh.* xv. 15. Addo, passim delegisse & vocasse Deum in communionem hujus gratiæ Viros ingenio & *facultate imaginatrice* excellentes, ut quæ illi per imaginationem à Spiritu affectam viderant, calide, copiose, exprompte, & fortiter efferrent; qui verorum Prophetarum character est.

3. Obtigisse autem fertur hæc gratia sanctis Viris πολυτρόπως VARIIS MODIS; *Heb.* i. 1. & sunt illi vere plures, licet Maimonides in *More Nevochim*, & qui inter Christianos ejus legerunt vestigia, in illis recensendis luxurientur. Nos tenemus cum auctore, cætera minus commendato, * posse illos referri omnes ad VERBA, sive VOCEM, & FIGURAS, vel seorsim, vel junctim sumptas. utriusque vero generis vel *in imaginatione*, sensibus internis, vel *extra imaginationem*, sensibus externis, oblatas. Sic est, omnis *Revelatio* Divina facta est Prophetis vel *interne*, absque sensoriorum externorum adminiculo, in *imaginatione*; vel *externe* per *vocem* aut *figuras*, sensibus externis vere exhibitas. modo

* *Tract. Theol. Pol.*

ſub *imaginatione* quoque intelligas *affectum* vehementiorem, cum *imaginatione* conjunctum, quem mox diſtinctius deſcribam.

4. *Revelationis internæ*, quæ phantaſiam reſpicit, duas eſſe conſtat pervulgatas ſpecies, quæ dicuntur SOMNIA & VISIONES. Utriuſque mentio apud Moſen *Num.* XII. 6. *Et nunc audite quæſo verba mea: Si Propheta aliquis inter vos ſit, ego Jehova me ipſi in* VISIONE (במראה) *notum faciam; in* SOMNIO (בחלום) *loquar cum eo.* Per *Somnium* intelligitur, quod quiſque ſentit, illa Revelationis ſpecie, qua Spiritus Dei aut Angelus aliquis bonus in dormientium phantaſia quaſdam rerum corporalium imagines, à ſe fictas, medio ſpirituum animalium accurate deſcribebat, & deſcriptas eidem alte imprimebat cum quodam Divinitatis ſenſu; quæ ad mentem relatæ ſecundum naturæ Legem, faciebant ut illa per quietem clariſſime *videret* aut *ſentiret*, quod eam ſcire voluit Deus. eſtque hoc genus Revelationis vetuſtiſſimum, omnibus Populis notum & creditum, ſuntque illius plurima in ſacris exempla. Nec eſt tamen unum *Somnii Divini* genus. *Quadruplex* recenſet Macrobius; ſed duas eorum ſpecies obſervaſſe ſuffecerit. Prima eſt, ubi quis per quietem meras videt, aut ſibi videre videtur, *figuras* ſive *imagines* rerum *Symbolicas*, per quas etiam abſque adjuncta voce, ſi eruditi ὀνειροκρίτου accedat interpretatio, de futuri temporis

poris eventibus edoceri potest, cujusmodi fuerunt *visa per quietem* Josephi, Pharaonis, Nebucadnezaris; *Gen.* XXXVII. 5. XLV. 1. *Dan.* II. 31. Altera est, ubi quis sive cum figuris sive etiam simpliciter absque iis per quietem, sibi videtur commercium habere cum *illustri* quadam *Persona*, Deo, aut Angelo, qui *figurarum*, phantasiæ oblatarum, species interpretetur, aut de præsentibus vel futuris *voce* sua dormientes videatur commonefacere. Exempla ubivis occurrunt, *Job.* IV. 12. 13. *Gen.* XX. 3. XXVIII. 5. *seqq.* XXXI. 24. *Dan.* VII. 16.

5. Alter *Revelationis internæ* modus est, hoc nobilior, quo vigilantes rapiuntur in ecstasin, cessante ad tempus usu sensoriorum externorum, dum à Spiritu Divino aut Angelo Dei jussu imaginationi exhibentur, & alte infiguntur imagines quædam sive figuræ rerum mysticæ & Propheticæ; aut Deus ipse vel Angelus, verba veluti cum iis faciens, eos de præsentibus aut futuris edocet. Hac specie Deus se præcipue Prophetis, certe illustrioribus, manifestum fecit, diciturque ea stylo Scripturæ V. T. חזון *Visio*, ἀποκάλυψις, *Jes.* I. 1. VI. 1. XIII. 1. *Jer.* I. 11. *Ezech.* I. 1. 2. Id ipsum est quod eleganter dicitur *esse in spiritu*, *Apoc.* I. 10. Mens enim in ecstaticis Visis, vacante sensuum externorum usu, & spiritibus animalibus inde ad sensorium internum retractis, defixa hæret in contemplatione imaginum, intus depictarum, omni dignarum animadversione.

6. Ad

6. Ad hanc internæ Revelationis speciem is quoque referendus est Ἀποκαλύψεως modus, quem Veteres Hebræi רוח הקדש SPIRITUM S. appellarunt, quo vigilantes non quidem extra se vere & proprie rapti sunt, quiescente usu sensuum externorum, sed tamen à Spiritu Dei supra naturalem facultatem evecti, excitatique valide sunt sive ad loquendum, prophetandum, aut de reus quibusque Divinis facunde differendum; sive ad componendos hymnos elegantiores ac Divinas laudes publice enarrandas atque decantandas; sive etiam *animati* ad facinora quædam heroïca ejusdem Spiritus superioris virtute edenda; cujus generis exempla occurrunt in Mirjamo, Debhora, Anna, Davide, Maria, Zacharia, Simeone, & heroïbus Gideone, Simsone, *Exod.* XV. 1. *Jud.* V. 1. 1 *Sam.* II. 1. 2 *Sam.* XXIII. 1. 2. 3. *Luc.* II. 25. *Jud.* VI. 34. Hi enim homines sancti *prophetice* loquuti sunt per Spiritum S. nec tamen, ut modo præfatus sum, plane rapti sunt extra se, & mens ab operatione omni circa res externas retracta. Imo id verum, atque adeo ita existimandum est, in hujusmodi casibus Spiritum S. simul influxisse in *affectum*, simul in *imaginationem*. Omnis enim *vehementior affectus* conjunctus est cum *imaginatione*, & quanto imaginatio est fortior, tanto concitatior affectus. 2 *Sam.* XXIII. 1. 2. Nempe dum Sp. S.

ima-

imaginationi *Prophetarum* hujus generis validè imprimebat species rerum futuri temporis: simul eorum affectum vi quadam majore suscitavit, & in iis produxit generosiores quosdam animi motus, per quos acti impulsique sunt ad dicenda & facienda, ad quæ absque hoc subsidio Sancti Spirtus naturalis illorum facultas non sufficeret. Estque hic vere ecstasis, sed non summus ille gradus, qui excellentissimis Dei Prophetis obtigit. Fatendum tamen, proxime ad eam accessisse DONUM illud SPIRITUS S. quo Christus Dominus *primam Ecclesiam* honestavit. *Act.* II. 4. Atqui hunc *Revelationis Divinæ gradum*, omnium secundum Judæos infimum, ipsi, ut dixi, appellare solent SPIRITUM S. etsi in scriptis N. T. ille peculiaris usus hujus phrasis non observetur. 2 *Pet.* I. 21. *Act.* XXVIII. 25. *Heb.* X. 15.

7. *Revelatio* externa, sive *sensibus* vigilantium *externis* objecta, vel fiebat nudis *figuris Symbolicis*, cujus exempla sunt *Gen.* XXXII. I. 2. 2 *Sam.* XXIV. 16. vel per *Angelos*, sub humana specie hominibus apparentes, eosque de voluntate Divina edocentes, *Jud.* II. I. 4. VI. II. vel *Voce* pura, de quo mox; vel *Voce*, cum figuris externis, Symbolis, aut imaginibus, aut signis Divinæ præsentiæ aliis, conjuncta, ut *Exod.* III. 2. 3. XX. I. 2.

8. *Vox* autem in hujusmodi Revelationibus adhibebatur vel *submissa*, ut videtur; cujus usus

ſus fuit in *Urim* & *Thummim*, 1 *Sam.* XXIII. 2. 4. 1 *Sam.* XXVIII. 6. vel *gravis & ſonora*, inſtar tonitrui aures percutiens, & veluti ex *tonitru* poſt præcedaneum aëris fragorem, nata, Magiſtris paſſim בת קול *Filia vocis* dicta, *Matth.* III. 17. *Joan.* XII. 28. 29. *Act.* IX. 4. 7. coll. cum *Act.* XXII. 9. vel *humana* communis, cujuſmodi excepta fuit à Samuele, 1 *Sam.* III. 9. 10. modo vox illa, quæ *vera* videbatur & extus ad Samuelem delata, non fuerit *imaginaria*. de quibus differentibus *Vocum* ſpeciebus alibi prolixius commentatus ſum.

9. Uſus certe fuit hujus poſtremæ ſpeciei Vocis in *Revelationibus* quæ *Moſi* obtigerunt ad *oſtium tentorii Conventus*, vel poſt extructum Tabernaculum ante *Arcam*; cujus Viri hæc fuit prærogativa, mortalium nemini præter ipſum indulta, ut in dubiis caſibus Deum conſulturus, oratione converſa ad Symbolum Divinæ præſentiæ, (*Ignem*, Nubi incluſum) quod ſuper *Tentorium* aut *Arcam* reſidebat, reſponſum ad interrogata ferret voce humanæ ſimili, familiari, communi, quali vir cum viro, amicus cum amico, ſermones cædere ſolet, & in colloquiis amicæ conſuetudinis uti, *Num.* XII. 8. *Exod.* XXXIII. 11. *Deut.* XXXIV. 10. Exemplum cape ex *Num.* VII. 88. *Cum Moſes ingrederetur Tabernaculum, ut loqueretur cum Jehova, audiebat* VOCEM *ſe alloquentem è ſpatio quod eſt ſupra operculum Arcæ teſtimonii, inter duos Cherubim.*

CAP.

CAP. III.

De *Criteriis*, ex quibus *veri Prophetæ* à *falsis*, *veræ prophetiæ* à *spuriis*, discernuntur.

CUm vaticinandi donum merito magni fieret apud Populos, tanquam quæ vere *res* quædam *magnifica*, & *salutaris sit*, qua mortalis natura ad immortalem proxime accedit; atque adeo Prophetæ, qui vaticiniorum suorum fidem præstare poterant, in magna essent existimatione: nemo miretur, plures fuisse qui hoc donum affectaverint; & multos alios qui id falso jactaverint & mentiti sint, quos Verbum Dei ψευδοπροφήτας *Prophetas falsos*, *dolosos*, *mendaces* vocat, *Jer.* XIV. 14. Profani ψευδομάντεις.

2. *Affectasse* multos hoc donum, liquet ex Scholis Prophetarum, Samuelis, Eliæ, Elisæ, & aliorum etiam haud dubie celebrium Vatum, in quibus Juvenes rerum Divinarum studiosi, secreti à mundo & consortiis mundanis, tenui se sustentantes victu, operam dederunt, tum ut retracti à vanitate sæculi, se exercerent in studiis sacris, & sublimium ac cœlestium rerum meditatione & contemplatione, Doctoribus præeuntibus & tam

tam suo exemplo quam institutione præmonstrantibus viam; tum etiam ut affectus suos ab omni impuritate purgarent, liberosque præstarent à perturbatione, & motibus turbulentis, animumque suum ita sedarent & componerent, ut ad influxum Sancti Spiritus recipiendum rite videri posset paratus instructusque esse; tum denique ut *imaginatricem facultatem*, quæ Spiritui Dei in operationibus Propheticis servit, pro virili excolerent; ad quas res *musicam* sibi existimabant prodesse, quam proinde passim inter alia honesta studia tractabant. Exempla obvia sunt in historia sacra, 1. *Sam.* x. 5. 2 *Reg.* II. 3. 5. IV. 38. Singulare est illud *Elisæ*, 2 *Reg.* III. 15.

3. *Falsorum* autem *Prophetarum* non tantum extra Canaanæam per totum Orientem magna fuit copia, sed & in Canaanæa atque Ecclesia Populi Dei, per plerasque ejus ætates, certe post schisma tribuum & invalescentem idololatriam; erantque eorum duæ classes. Aliqui eorum, omni posito pudore & reverentia Numinis, honoris aut lucri respectu, simulabant hoc donum, quod ipsi suum non esse, probe sciebant, *Mich* II. 11. *Jer.* XXXIII. 26. Aliqui autem subinde, ut videtur, sive corruptæ imaginationis vi victi, sive à Spiritu quodam malo acti, sibi omnino persuadebant ipsi, & persuasum ibant aliis, esse se veros Prophetas, cum falsi essent; cujus

jus rei animadversione dignum exemplum est 1 *Reg.* XXII. 10. 11.

4. Inde merito quæritur, *α*. Ex quibus *Criteriis*, sive *Signis diagnosticis* veri Prophetæ scire potuerint, se à bono Dei Spiritu agi, & non à malo, vel etiam ab imaginatione vitiata ludificari. *β*. Ex quibus argumentis & criteriis alii homines veros Dei Prophetas à falsis aut imaginariis, genuinas prophetias à spuriis, potuerint discernere, & in re maximi momenti sibi cavere ab errore aut incredulitate.

5. Quod ad prius attinet: duo in universum erant summa argumenta, quibus Prophetæ ipsi persuaderi poterant de veritate & Divinitate Revelationum, sibi factarum; petenda nimirum ex *Revelationis materia*, & *forma*. ubi ad *formam* vel maxime refero *modos* revelationis, & *circumstantias* quæ dicuntur, quibus circumscripta fuit.

6. Primo itaque suppono, Prophetas, sive revelationem aliquam per *vocem*, sive per *ἔκστασιν* acciperent, scire potuisse, quod ad *vocem*; esse præternaturalem quandam caussam, quæ se afficeret; quod ad *ἔκστασιν*, esse se isthoc tempore in potestate majoris cujusdam & potentioris caussæ, sive à vi quadam majore occupari & obsideri. In *voce*, cujus naturalis caussa demonstrari non poterat, inquam, supponebatur caussa quædam præternatura-

lis, eademque rationalis, quæ materiam aëriam determinare posset pro suo arbitratu ad motus ejusmodi tremulos, quales nos medio instrumentorum loquelæ in aëre producimus, quibusque ut *signis* nostras alligamus cogitationes, tympanum auris percussuris, & tales, quales non cupimus, sensationes in aliis secundum naturæ legem suscitaturis. cujusmodi caussa præternaturalis nulla mente concipi potest præter *Deum* aut *Angelum*, sive *bonum*, sive *malum*. In *ecstasi* vero non ficta & simulata omnes sentiebant, se subesse potestati majoris cujusdam & potentioris caussæ rationalis, à qua vigilantes rapiebantur ad ea videnda & audienda, quorum imagines per sensus externos ad mentem non deferebantur, Nulla vera ecstasis fuit aut esse potuit absque clarissima hujus operationis conscientia; quam per rationem facile intelligebant omnes, non posse esse effectum alterius caussæ ac potentis cujusdam *Spiritus*, sive ipse illos ageret raperetque Deus, sive *Angelus* aliquis, aut *Dæmon*.

7. Quæ cum ita se haberent: inspiciebant in *ipsam* revelationis *materiam*, considerabantque diligenter, cujus ea generis esset, ac modi; an θεοπρεπὴς *Deo digna*, nec ne? an duceret ad Deum; an abduceret à Deo? an Religionem, in certis solidisque principiis rationis fundatam, confirmaret, an destrueret? an revelationi Patriarchali antiqui temporis, Legi Doctrinæque Mosai-

Mosaicæ, & aliorum Prophetarum indubiis revelationibus conformis esset, an difformis? an Oracula aut emblemata Visorum solidum quid, elegans, gravis ponderis, & necessarii usus, complecterentur, & imprimis sic essent constructæ Visorum imagines, ut videri possent Divini esse opus ingenii; an quid leve, & vulgare, quod nihil in se eximium, saltem nihil elegans & Divinum præ se ferret? Si prius; non dubitabant amplius de Deo aut Spiritu bono *Revelationis* auctore. Argumenta pete ex illustribus Visis Jesaiæ & Ezechielis, *Jes.* VI. 1. 2. *Ezech.* I. 1. 2.

8. Difficilius tamen longe hoc examen instituebatur circa *Somnia*, quia *naturalia* à *præternaturalibus* in quibusdam casibus ægre videntur distingui. Et tamen distingui potuisse certum est: quare Jacobus, Josephus, Daniel, Pharao, Nebucadnezar, non hæsitarunt circa *Somniorum* suorum *Divinitatem*; quin certo persuasi fuerunt, *Somnia* sibi à Deo, aut Angelo bono, immissa esse, *Gen.* XXVIII. 16. XLI. 16. 17. Argumenta fuerunt, *α*. Claritas Revelationis. *β*. Emblematum, imaginationi per quietem objectorum, pulchritudo atque elegantia, partiumque, quibus constabant, cohærentia & proportio. *γ*. Alta & vivida impressio, somniantibus facta, de sublimiore quadam *Revelationis* caussa; de qua mox. quæ cum concurrerent, indubitato tenuerunt, motus spiritu-

rituum in cerebro illo tempore à majore quadam vi administratos esse, nec esse posse effectum tumultuarii discursus spirituum animalium, absque consilio & ratione administratorum in cerebro, qualis obtinet in *Somniis naturalibus*. Inspexerunt itaque porro & considerarunt *materiam* & *scopum* revelationis, quæ sibi *per quietem* obtigerat, perinde ac modo monui instituere debuisse, quibus *Visa* obvenerunt *ecstatica*; An nimirum in *Visis* illis *nocturnis* quid elegans esset, concinnum, *συναφὲς*, *partibus suis cohærens*, sublime, quod Divino aut Cœlesti ingenio dignum videri poterat effectum? an illorum Visorum Syntagma duceret ad Deum, aut ad gloriam ejus celebrandam faceret, nec ne? num *monita* illustris personæ, quæ se *per quietem* videndam exhibuerat; sive *Moralia* essent, sive *Prophetica*; sive *præcepta*, sive *promissa* complecterentur; sancta essent, gravia, pia, ac Divinum quid spirarent? & quæ his similia. Quod si vero hæc omnia recte se haberent: absque dubitatione in hanc lati sunt sententiam, Somnium sibi adeo immissum fuisse.

9. Verum cum subinde in *Revelationibus* sive *præsens* sive *futurum* tempus concernerent, argumentum *Divinitatis* peti non potuerit ex *earum materia*, ut exemplum est *Gen.* XXII. I. præcipue persuadebantur Prophetæ de *Divina* vel *cœlesti* auctoritate suarum *Revelationum* ex earum *forma exteriore*, hoc est, modo, adjun-

junctis, & circumſtantiis. In extraordinariis enim hiſce operationibus Deus tam certa & clara relinquebat veſtigia ſuæ præſentiæ, majeſtatis, gloriæ, ut Viri Sancti, quibus hæc gratia obtingebat, perculſi hoc ſplendore ſimul in dubitato perſuaderentur, commercium ſibi cum Deo fuiſſe. Deus enim ipſe tam valide imprimebat Vatibus hanc perſuaſionem, & lux, claritas, ſplendor, circumſtantiæ revelationis, tot argumenta ipſis ſubminiſtrabant hujus fidei, ut in ipſorum poteſtate non eſſet de eo dubitare, aut adverſus motum atque impulſum validiorem Divini Spiritus arietare & obniti. Exempla petere licet ex *Gen.* XXVIII. 11. 12. *Jeſ.* VI. 1. *Ezech.* I. 1. Sic de *convictoria hac luce* Jeremias, *cap.* XX. 7. *Perſuadendo traxiſti me in partes tuas, Domine, &* PERSUASUS SUM; *fortiter mecum egiſti, & viciſti*; prævaluiſti. ℣ſ. 9. *Et dicebam, non recordabor ejus, neque loquar amplius in nomine ejus, & factus eſt in corde meo tanquam ignis ardens incluſus oſſibus meis, & laboravi ſuſtinere; & non potui.* Certe Prophetæ, quos Deus ſemel, iterum, tertio, & ſæpius ſuæ dignabatur revelationis honore, cum experirentur, Deum in iis eodem fere modo ſecum agere & verſari, ſic aſſueverunt Divinæ huic operationi, ut fides eorum hac parte ne quidem potuerit tentari.

10. Et poteſt id quod hic moneo ad omnes alias Revelationum ſpecies referri. Omnes enim

nim cujuscunque generis comitatus est splendor aliquis aut claritas Divinæ præsentiæ majestatisque. *Visa* & *audita* sensibus externis excepta, passim clarissime demonstrarunt Θεὸν ἐπιφανῆ *Deum, sua illustrem gloria, præsentem*, ut ex Visis & auditis quæ Mosi primum, dein apud eundem montem *Horeb* omnibus Israelitis exhibita sunt, facile patet, *Exod.* III. 1. XX. 1. 2. Imo à *Somniis* etiam, in quibus Deus aut Angelus verba facere videbatur ad homines, hæc signa Divinæ præsentiæ non abfuere, ut liquet ex fictione *Job*, IV. 13. 14. 15. Præterquam quod hominibus, quibus nocturna revelatio obtigit, alte adeo impressum sit, *Revelationem illam Deum habere auctorem*, ut experrecti, quicquid contra niterentur, hunc sensum non valuerint excutere; cujus rei specimen extat illustre in Nebucadnezare, *Dan.* II, 3. cui licet *imago* per quietem oblata periisset, firmissime tamen illud inhæsit, Visum fuisse excellens, quod non aliunde quam à Deo traheret originem, & magni momenti arcana retegeret.

II. Sed ut ut Prophetæ ipsi persuasi convictique essent de veritate atque auctoritate Divina revelationis, sibi factæ: non tamen mox in hanc credulitatem adducebant alios. Equidem res erat anxii & soliciti discriminis. Cum enim falsorum Prophetarum, qui simplicitati & ruditati Populi publice illudebant, tanta

tanta esset copia, ut ipsi de eo conquererentur Judæi, & hoc obtentu veris Prophetis debitam reverentiam negarent, vel saltem suæ incredulitatis & perversi affectus vitium excusarent, ut patet ex *Jer.* XXIII. 15. 16. permagni intererat, hic sibi cavere ab errore. Et dubium tamen non est, quin certa dentur argumenta & *Criteria*, ex quibus veros Prophetas à falsis, Oracula genuina à spuriis, discriminare potuerint. Cæteroquin enim fidei nulla fuisset laus; nullum incredulitatis crimen. Virtus enim non est, credere quod creditur absque ratione.

12. Argumenta illa & *Criteria*, ex *materia*, *forma*, *adjunctis*, & *effectis* Revelationum nomine Divinæ auctoritatis vulgatarum, depromenda, inter alia erant, *α. Consensus Prophetiæ cum Canone doctrinæ & prophetiæ Mosaicæ ac Patriarchalis.* Hoc omnium erat primum criterium, ab ipso Mose presse commendatum, *Deut.* XIII. 1. 2. *Jes.* VIII. 19. 20. *Ad* LEGEM *&* TESTIMONIUM. *Si secundum hoc Verbum non sint loquuturi.* (falsi Doctores in Populo Dei, de quibus ibi mentio,) *quibus nulla est* AURORA! hoc est, pars nulla in resurrectione sanctorum ad vitam æternam; cujus *dies* post longam noctem mortis olim blande exoriturus sanctis antiquæ Scholæ Prophetarum dicebatur *lux*, *tempus matutinum*, *aurora*. *Ps.* XLIX. 15. 20. *Ps.* XC. 5. Quare si Propheta suaderet cultum

falsorum & fictitiorum Numinum; si in vitiis Populi conniveret; si peccatoribus & foedifragis læta nunciaret; si non inculcaret reverentiam & amorem Dei Israëlis ut primum omnium præceptorum; si denique Legem Mosis solveret: habendus erat pro *falso Propheta*. Moses enim est catholicus Ecclesiæ minister, *fidelis in tota Dei domo*, *Num*. XII. 7. plane ut sub Oeconomia Nova omne Verbum prophetæ ad Christi Jesu Doctrinam exigendum, 1 *Joh*. IV. 1. *Marc*. IX. 39. *Nemo enim est qui edit virtutem in nomine Christi, qui cito ipsi maledicere queat*. 1 *Cor*. XII. 3. Estque illud intelligendum tam de *Morali parte* Doctrinæ Mosaicæ & Christianæ, quam de *Dogmatica*. Qui enim Propheta sive Doctor publicus vitiis manifestariis & corruptis Populi moribus patrocinatur, & cupiditati carnali fræna laxat, hoc ipso demonstratur esse *Propheta falsus*, 2 *Pet*. II. 1. 2. 1 *Tim*. IV. 1.

13. β. *Implementum prophetiæ*, quippe quod verum prophetam à falso discernit. Sic ipse Jeremias, *cap*. XXVIII. 9. qui tamen character usum non habebat apud ejusdem ævi homines, si Prophetæ de eventibus, post longius tempus demum extituris, vaticinarentur. Et id quidem non abnuo ego: sed rarum erat de eventibus longi temporis alios oracula edere Prophetas quam celebres, notæque & probatæ auctoritatis, aliisque speciminibus dudum illustres, quo-

rum scripta digna habita sunt quæ in canonem sint relata.

14. γ. *Miracula* illustria, vere & proprie sic dicta, Divinæ potentiæ effecta, ad quæ, *precibus* impetrata, in dubiis casibus provocabant tanquam ad *signa* & *testimonia* Divini favoris & gratiæ, ministerium suum comitantis; idque rectissime, quippe non poterant alium habere usum. *Deus enim non audit peccatores*, *Joh.* IX. 31. nec *Divina potentia* servit mendacio, errori, fraudi. Erant autem ea plane necessaria, si Deus per Prophetam instituere vellet novam in Ecclesia Oeconomiam, aut Prophetis, corrupto Ecclesiæ statu, conciliare reverentiam atque auctoritatem, *Exod.* IV. 1. 1 *Reg.* XVIII. 37. *Joh.* X. 37. 38. Si enim Propheta novam Oeconomiam in Ecclesia non institueret: consensus cum Prophetia Mosis, & criteria alia, poterant sufficere.

15. δ. *Pondus, vis, sapientia, quæ inerant in oratione verorum Prophetarum*, quorum extra se raptorum mens, affectus, lingua à Spiritu Dei regebantur; tum quoque dicendi ac perorandi fiducia, παῤῥησία, animus intrepidus, constantia, vehementia, quæ instar torrentis obvia secum rapiebat, testabantur de veritate prophetiæ. Hic character demonstratur ab ipso Deo *Jer.* XXIII. 28. 29. *Propheta, penes quem est somnium, recitet somnium, & penes quem est verbum meum, loquatur verbum meum ve-*

rum. Quid PALEÆ *cum* FRUMENTO? *ait Jehova. An non sic est* VERBUM MEUM, *ut* IGNIS, *ait Jehova*, *&* UT MALLEUS *qui facit dissilire petram?* Certe hoc criterium tam est notabile & conspicuum in scriptis Veterum Prophetarum, quæ nobis relicta sunt, ut nemo non impius orationis illorum vim majestatemque, sive *solidum* illud & *grave*, quod dictis illorum inest, & *acre* illud ac *penetrans*, quod interiora conscientiæ & affectuum scrinia recludit, & vim *luminis Divini* se adversus omnem contrarium carnalis affectus nisum menti insinuantis, (*Heb.* IV. 12.) absque stupore consideret. *Loquente Deo, silet omnis caro. Zach.* II, 13.

16. ε. *Puritas vitæ & gravitas morum.* Hic character ex illorum est numero, quos *negativos* vocant, ut, si abesset, certo constaret, Prophetas non esse θεοπνεύστους, *inspiratos* missosque *à Deo*, quippe probabile non erat, Deum purissimum sanctissimumque arcana suorum consiliorum cum iis communicare velle, qui animo & moribus impuri, ipsi maxime dissimiles essent, & ministerii honestissimi dignitatem prostituerent. Sic de eo ipse Dominus *Jer.* XXIII. 14. *Et in prophetis Hierosolymæ vidi horrendum: mœchari, & ambulare in falsitate, & firmarunt manus maleficorum, ita ut non conversi sint quisque à pravitate sua. facti mihi omnes sunt ut Sodoma, & incolæ ejus ut Gomorrha.* Quare si qui Prophetæ lucri avidi, luxui, libidini & ge-

nio

nio indulgentes, corruptos sectarentur sæculi mores & vanitatem mundani fastus; hi, si forte placerent popello, non probabantur Deo, *Mich.* II. II,

17. ζ, *Firmitudo* animi, zelus, acrimonia, severitas, quin & *asperitas orationis*, in hypocritis, & vitiis Populi publicis, quin & Regum, Procerum, Sacerdotum, redarguendis, cum denunciatione terribilium Dei judiciorum, quæ impœnitentes & fœdifragos manent; nec non in commendanda resipiscentia, emendatione vitæ, & studio ac cultu sincero veræ virtutis. Inspice *Jesaiam*, *cap.* LVI. 10. LVIII. I. & evolve prophetias. Quin sane non dubitabant illi, Spiritus S. motum sequuti, & munere sibi mandato fideliter functi, adversus grassantia vitia declamando, odio atque invidiæ publicæ se intrepide exponere, & caput objicere periculis, ut ex exemplis Eliæ, Elisæ, Jeremiæ, Zachariæ, filii Jojadæ, & Joannis Baptistæ, satis liquet, 2 *Chron.* XXIV. 20. dum contra *Prophetæ falsi*, omnibus blandi & faciles, nemini graves & molesti, aurem captarent popularem, vitia publica dissimularent, & ad mores ac genium sæculi se scite accommodarent; quod, phrasi Sancti Spiritus est, *consuere pulvillos pro omnibus axillis manuum*, & *facere culcitras*, super quas homines secure dormiant, *ad caput omnis staturæ*, *ad venandum animas*, *Ezech.* XIII. 18. Imo est illud criterium Doctorum verorum

om-

omnis temporis, *Luc.* VI. 26. *Væ vobis si omnes homines bene de vobis loquantur. Sic enim Patres vestri tractarunt Pseudoprophetas.* Veri Ecclesiæ Doctores & fideles Dei ac Christi ministri non placent malis, non placent omnibus.

18. η. *Consensus* & *testimonium* aliorum Prophetarum verorum notæ probatæque auctoritatis. Propheta enim Prophetæ perhibebat testimonium: quo pertinet locus, recte acceptus, *Jes.* VIII. 2. *Jer.* XXVI. 18.

CAP. IV.

De *Ætate Prophetarum Canonicorum*, quorum scripta *hoc nomine* & titulo recepta sunt.

PRo *veris* autem *Prophetis* habemus, & hoc nomine colimus ac veneramur illos Dei Ministros sub Oeconomia Fœderis Legalis, quorum *Libri* nomine & titulo *Prophetarum*, sive *Propheticorum*, in canonem relati sunt à Synagoga antiqua, & faciunt integrum quoddam corpus τȣ̃ Λόγȣ Προφητικȣ̃ *Sermonis Prophetici*, 2 *Pet.* I. 19. Etsi satis constat, Hebræos Sapientes, qui *Canoni Liberorum Sacrorum* constituendo digerendoque præfuerunt, *Historicos* quoque illos, qui ante tempus Exilii Babylonici conscripti sunt, nomine נביאים *Prophetarum* insigniisse, quod nimirum illos à *Prophetis* compositos

positos existimarent; & *Danielem* classe *Propheticorum*; sic proprie dictorum, exclusisse. Certe *Codex Masorethicus* illum excludit; & dubium tamen an excluserint Veteres, qui licet partitionem Librorum *Sacrorum* in tres classes admiserint ἐκ γενεῶν ἀρχαίων: forte tamen *classi Hagiographorum*, præter *Hymnicos*, non eosdem omni tempore adscripserunt, ut alibi probabiliter disputo ex testimonio illustri Josephi *adversus Apionem*.

2. Atque hi recte & φερωνύμως à nobis appellantur Prophetæ *Canonici*, quod hoc titulo in *Canonem* Librorum Sacrorum sint digesti, & ex illorum Scriptis, summa cum veneratione exceptis, *exemplum* petamus *doctrinæ fidei* & *morum*. sunt enim illi apud nos eadem auctoritate qua olim apud Hebræos. In genere tamen *Prophetæ Canonici* merito dicuntur omnes, quos constat olim à Deo ad Judæam Gentem *extra ordinem* missos esse atque à Spiritu Dei valide affectos, ut tanquam *Doctores Publici* vitia Populi redarguerent, suaderent pœnitentiam, salutaria in dubiis casibus consulerent, impios & impœnitentes *dictis suis prosternerent* atque *occiderent*; (*Hos.* VI. 5.) sed reverentes nominis & Verbi Divini consolationibus suis erigerent; & subinde etiam futura in longum prædicerent, in usum & παράκλησιν Ecclesiæ sequentium temporum. cujus generis fuerunt Samuel, Nathan, Elias, Elisa, licet nihil in scriptis Ecclesiæ reliquerint.

3. Om-

3. Omnino vero inter hos locum quoque facimus *Danieli*, Prophetæ eximio, & hoc nomine ab ipsis quoque agnito Judæis; apud quos Liber ejus inter *Hagiographa* recensetur. non Josephus enim modo, sed & recentior Magistrorum Schola, satis honorifice illum solet appellare. Quod tamen Libri ejus pars magna historia sit, & quidem Chaldæa Lingua conscripta; & ipse genere atque instituto vitæ *Prophetam* non sit professus, sed potius in dignitate Politica ad finem vitæ versatus; *Visa* autem ipsi plane extra ordinem, & rarius per vitam obtigerint: movere potuit Judæos, cur illum in *Classem Hagiographorum* rejecerint.

4. Utique quod Maimonides scribit, & subtiliter disputat, (*More* P. II. C. XLV.) *gradum Divinæ revelationis*, Danieli factæ, fuisse *inferiorem* eo, quo Deus *veros Prophetas* (sic ille:) honestavit; & *Somnii* illud genus, quo Deus Danielem de præsentibus aut futuris commonefecit, diversum esse ab illo genere *Somnii*; quo Deus Prophetis, sic proprie dictis, se manifestum fecit; ob hanc quidem rationem quod nimirum *Daniel* ipse illas suas *Revelationes* appellet *Somnia* & *Visiones noctis*; (*Dan.* II. 19. VII. 1.) quodque idem Maimonides annititur, ut nobis persuadeat, hac de caussa Veteris Scholæ Doctores Danielem Hagiographis adscripsisse: mera cavillatio est; nec unquam Vir Doctus probaverit. Danieli se Deus revelavit non

per

per *Somnia* tantum, sed & per *Ecstatica Visa*, eaque summi generis, ut exemplum est cap. x. 5. 6. Vehementia enim divini affectus, quo extra se rapiebatur, fecit ut *soporatus* & *ἀναίσθητος sensu omni destitutus* videretur, ỿs. 8. 9.

5. Cæterum hi *Prophetæ Canonici* omnes, de quibus cum maxime loquor, non sunt antiquissimi temporis Reipublicæ Judææ; sed inde ab illa potissimum floruerunt ætate, qua status *utriusque Regni*, *Judæ* ac *Ephraimi*, jam incepit inclinari, & certe *Ephraimiticum* extrema respicere. Nemo enim illorum antecedit tempus *Ierobeami secundi*, pronepotis *Iehu*, Regis Ephraimitarum, post cujus excessum *Regnum* illud, jam ante variis casibus fractum atque imminutum, plane collapsum est, non longe post κατὰ μέρη destruendum ab Assyriis. Sunt enim ab excessu *Jerobeami* usque ad Hiskiæ *sextum*, in quem incidit subversio Regni illius per *Salmanassarem*, Anni 73.

6. Distinguuntur illi nobis passim in *majores quatuor*, & *minores duodecim*, olim *uno volumine* (τῇ βίβλῳ τῶν προφητῶν, *Act.* VII. 42.) comprehensos, idque recte se habet; & est tamen observandum, α. Hos Prophetas non eodem ordine recenseri in Editionibus antiquis LXX Intt. quo in Codice Hebræo, quippe illi *minores* præmittunt *majoribus*, & inter *minores*, sic dictos, *quinque* illos qui *Hoseam* sequuntur, diver-

diverso ordine disponunt. β. In neutro Codice, *Hebræo Màsorethico* & *Græco*, in illis recensendis rationem haberi *temporis* quo vixerunt, & officio suo perfuncti sunt. *Ætatis* enim eorum si habeatur ratio; sic digerendi videntur: JONAS, JOEL, AMOS, HOSEA, JESAIA, MICHA, OBADJA, NAHUM, JEREMIA, HABAKUK, TSEPHANIA, DANIEL, EZECHIEL, HAGGAI, ZACHARIA, MALACHIA.

7. JONAM, *Amitthai* Filium, *Gathhephera* loco Galilææ in tribu *Zabulonis* oriundum, *typum* excellentioris alicujus prophetæ, *Christi Jesu*, ex confini oppido *ejusdem Galilææ* tractus post sæcula aliquot prodituri, vixisse initiis *Jerobeami* II, vel potius extremis Patris ejus *Joasi*, liquet clarissime ex 2 *Reg*. XIV. 25.

8. Hunc proxime sequuuti sunt quatuor σύγχρονοι, de quorum ætate, in fronte Prophetiarum ab ipsis editarum consignata, nemo hoc tempore dubitat, *Hosea*, *Amos*, *Iesaia*, *Micha*.

9. HOSEA, filius *Beëri*, & AMOS, ortus ex *Thekoa*, quæ urbs est tribus *Iuda*, genere vitæ *Pecuarius*, antequam ad spectabile hoc munus vocatus fuit, *Prophetas* agere inceperunt sub *Uzzia*, Rege *Juda*, & *Jerobeamo* II, Rege Israëlis. unde patet, ætatem illorum connecti cum *primis annis Uzziæ*, & extremis *Jerobea-*

robeami, pronepotis Jehu, quippe Uzzias se pro *Rege* gerere cœpit anno *Jerobeami* XXVII. & *Jerobeamus* Anno XV Uzziæ decessit. Et *Hosea* quidem continuavit hoc suum ministerium per sequentes etiam Reges Judæ tres, *Jothamum*, *Achazum*, & *Jechiskiam*, viditque jam implementa quorundam suorum Oraculorum, quandoquidem Jehiskiæ initiis supervixerit; estque inde probabile, *Amosum* ante Hoseam *prophetare* incepisse, & vivere desiisse, cum *ætas* ejus qua *Propheta* solius *Uzziæ* & *Jerobeami* Regno circumscribatur.

10. JESAIA, *Amotzi* Filius, de cujus genere, ortu & exitu quæ feruntur, vel incerta, vel fabulosa sunt; his paulo est recentior, ut videtur, licet utrique, certe Hoseæ, σύγχρονος, quippe sanctissimum hoc munus auspicatus post mortem *Jerobeami*, Joasi Filii, non longe ante obitum *Uzziæ*, & forte *anno* Uzziæ *emortuali*: de quo hic accuratius non disputo. Idemque non tantum sub regno *Jothami* & *Achazi*, sed & per maximam partem *Jehiskiæ*, insigni floruit auctoritate, ut ex historia illius temporis liquet: nec tamen probabile, illum *Manassis* Regnum attigisse.

11. MICHÆ *Morasthitæ*; sic dicti à *Moreschetb Gath*, loco, ut videtur, contermino Urbi *Gatho* Philisthæorum in confiniis *Judæ* & *Benjaminis*, ad Occidentem Hierosolymæ, cujus ipse meminit *cap.* I. 14. & hoc nomine contradistincti *Michæ*, Filio Jimlæ, qui tem-

pore *Achabi* & *Iosaphati* vixit, 1 *Reg.* XXII. & ministerium in eandem incidit ætatem; nisi quod ille post *Iesaiam*, *Iothamo* jam regnante, & vulgatas etiam quasdam *Iesaiæ* prophetias, officium hoc administrare cœperit, & in eo ad extrema *Iehiskiæ* perseveraverit; quod non tantum ex inscriptione *Libri* ejus, sed & ex *Ier.* XXVI. 18. & Oraculorum utriusque Vatis *συγκρίσις* colligimus.

12. Incertior videtur ætas JOELIS, *Pethuelis* Filii, quæ in prophetia ejus non signatur, & de qua proinde non idem est eruditorum hominum sensus. Nostra sententia eadem est quæ Abarbanelis, vixisse illum eodem tempore cum Amoso, & paullo ante illum hanc edidisse Concionem Propheticam quæ ejus præfert nomen. Argumenta nostra sunt, α. Quod inter *hostes Judæorum*, *Ægyptii* & *Idumæi* tantum occurrant, *cap.* III. 19. *Assyriorum* aut *Babyloniorum* nulla in hac prophetia hactenus memoria. Locus enim *cap.* II. 20. æque ac superiora ad *plagam locustarum* pertinet. β. Quod eadem plane improperet crimina *Tyriis*, *Sidoniis*, *Idumæis*, qui captivos ex *Judæa* omnis sexus & ætatis multos abduxerant, inclementer habuerant, & vendiderant exteris, & agros illorum invaserant atque occupaverant, quæ *Amosus*, & simile iis denunciet judicium, *cap.* III. 2-7. coll. cum *Amos.* I. 9. 10. 11. γ. Quo tempore ille concionatus est, sacra adhuc apud Judæos,

sua

suo stabant ordine, *cap.* II. 15.16.17. *δ.* Lætiora tempora etiam in *Judaea* cum omnium rerum ubertate pollicetur; *cap.* II. 18.19. *ε.* Quam ipse *Judæis* prædixit instantem calamitatem *famis* & *sterilitatis*, Amos demonstrat *Israëlitas* modo pressisse, & adhucdum premere, *cap.* IV. 6.7. *ζ.* *Amos* incipit suam prophetiam ea sententia, *cap.* I. 2. qua suam fere claudit Joël, *cap.* III. 16. *Jehova ex Tsione rugiet.* Hæc postrema observatio est Abarbanelis, quam *stolidam* & *ineptam* quod dixerit Ill. Huetius: nihil me movet. Jesaiam autem vidisse hanc prophetiam; ex collatione utriusque prudentibus liquebit. Nec obstat, plagæ à *Joële* denunciatæ, in historia illius temporis nullam extare memoriam, magis quam quod *ingens* quoque *terræ motus* sub Uzzia in eadem sit prætermissus, cujus tamen liquidissima mentio; *Amos.* I. I. *Zach.* XIV. 5.

13. OBADJÆ, adversus Idumæos graviter declamantis, ætas maxime incerta habetur; sed ratio plus quam probabilis suadet, vixisse illum sub *Achazo*, estque argumentum prophetiæ ejus desumtum ex historia 2 *Chron.* XXVIII. 6--17. Quo enim tempore *Rezin*, Syriæ, & Pekah, Ephraimi, Reges consilium iniverant de exscindendo Regno & partienda inter se terra Judææ, *Jes.* VII. 6. *projecta* in Hierosolymam *sorte*, (Obadj. ℣s. II.) & fusus erat *Achazi* exercitus; junxerant se Idumæi hosti-

bus Judæorum, eandemque quoque ipsi captarant occasionem Judææ à meridionali parte invadendæ, spoliandæ, & urbium ejus occupandarum.

14. NAUMI, *Elkoschitæ*, (incertum an ad genus, an natalium locum, referendum sit nomen:) proxime post *Jesaiam* & *Micham* figenda est ætas, atque adeo sub *Jehiskia*, non tantum post deportationem *Decem tribuum*, sed & post cladem *Senacheribi*, *cap.* I. II. 12. unde argumentum prophetiæ desumptum est, & captata occasio prædicendi integrum interitum Nini, & Regni Assyriaci. Consensus ejus cum Jesaia non tantum quod ad materiam prophetiæ, sed & phrasin, patet ex *cap.* I. 13. cum *Jes.* X. 27. *cap.* I. 15. cum *Jes.* LII. 7. Quæ de expugnatione *Diospolitana* habet, *cap.* III. 10. referenda videntur ad tempora *Sabaconis*, Æthiopis; non ad *Senacheribum*, ut vult Usserius.

15. HABAKKUKUM prophetiam suam edidisse regnante apud Judæam *Manasse*, vel potius *Josia*, maxime sit probabile. Posterius tamen omnino teneo. Equidem quo tempore Propheta hic adversus *Chaldæos* declamavit, Regnum *Babyloniorum* jam satis confirmatum fuisse, recte colligitur ex *cap.* I. 14. 15. 16. nec tamen *Nabopolassar*, Nebucadnezaris Pater, hactenus *Syriam Occidentalem* aut *Phœniciam*, vel *Judæam*, tentarat, *cap.* I. 6. 7. brevi illud exequuturus,

turus; ℣. 5. *Nabopolassaro* Regnum Babelis præcipue illud debet incrementum, de quo vaticinatus est Propheta. Consensus ejus cum Jesaia liquet ex coll. *cap.* 1. 6. 7. cum *Jes.* v. 26. 27. est enim Spiritus in hac prophetia sui ipsius interpres, *cap.* 11. 14. cum *Jes.* xi. 9.

16. Est igitur coætaneus TSEPHANIÆ, natalibus illustris Viri; *Filii Cuschi*, *filii Gedaliæ*, *filii Amaziæ*, *filii Ezechiæ*, cujus tempus in inscriptione Libri exerte connectitur cum Regno *Josiæ*, *Amonis filii*. Imo inter argumenta utriusque prophetiæ maxima est affinitas. Prænunciat enim ipse quoque judicia pœnalia, Judæ & Hierosolymis decreta, administranda à Chaldæis. Certe etiamsi pius Rex esset Josias, & operam daret, quæ ab ipso expectari poterat, Ecclesiæ & sacris reformandis: erant tamen tempora corruptissima, & Procerum ac Sacerdotum sive hypocrisis magna, sive impietas & irreverentia sacrorum.

17. Sed liquet illud pariter clarissime ex Concionibus JEREMIÆ, de cujus temporibus, in ipsa prophetia ubique fere adscriptis, nemo dubitat, & qui tamen, si quis alius, omnium Ordinum Populi Judæi apostasiam & nequitiam acerrime perstringit. Auspicatus ille grave hoc munus est, ab ipso Deo solenniter initiatus, anno *tertio decimo* Regis Josiæ, admodum juvenis, *Hilkia* genitus Sacerdote in vico *Anathoth*, *in terra Benjaminis*, perstititque adversus gra-

vissima carnis tentamina in sancto hoc officio sub Regibus Jehoiakimo, Jehoiachino, Tsedekia, usque ad desolationem Urbis ac Templi, quando à Judæis, in Canaane relictis, nolens abductus est in Ægyptum, ubi finem vitæ & ministerii invenit. Patent singula ex prophetiis ejus, & historia vitæ, in iisdem tradita, *cap.* I. I. 2.

18. DANIELI, adolescenti egregio, nobili satu, abducto in Chaldæam, quo tempore *Nebucadnezar*, superstite adhuc Parente ejus Nabopolassaro, primam suam expeditionem in Judæam suscepit, Deus se omnium primo revelavit per *quietem* Anno *Nebucadnezaris secundo*, ut scribitur *cap.* II. I. 19. Atqui is *annus* vere est Nebucadnezaris *quartus*, à quo Pater imperium cum ipso communicaverat, sed *secundus*, à quo illud post obitum Patris solus administraverat. Sic recte expeditur difficultas, quæ, hac observatione neglecta, hæret in *cap.* I. 5. Cæterum *quartus Nebucadnezaris* est *septimus Jehoiakimi*. Nebucadnezaris enim prima expeditio in Syriam & Phœniciam, unde *initium* Imperii ejus ducitur in Historia Sacra, incidit in *quartum Jehoiakimi*, sive *tertium* completum. Confer *Jer.* XXV. I. cum *Dan.* I. I. 2. Superstes autem fuit Vir *desideratissimus*, in summa semper dignitate versatus, & cœlestibus Visis subinde honestatus, Imperii Babylonici fato, & produxit vitam usque ad Cyrum, Orientis

Recto-

Rectorem, qui ejus in administrando Imperio usus est opera; forte etiam ab ipso inductus ad reverendam majestatem veri Dei, & Populum ejus ex exilio vindicandum in libertatem.

19. Paulo seriora sunt initia EZECHIELIS, Filii *Buzi*, Aaronidæ, in Chaldæam transportati cum *Jehoiachino*, sive *Jechonia*, ubi prope fluvium *Chaboram* è frequente exulum cœtu à Deo electus, & Prophetico Officio luculenter inauguratus, revelationes accepit, sive sublime fictionis ingenium, sive sensus profunditatem spectes, plane mirabiles, & tam servum Deo *præstitit* fidelem in detegenda hypocrisi deportatorum exulum inter quos agebat, quam in redarguenda impietate Populi, in Judæa reliqui, ejusque & aliarum etiam *Gentium*, fatis explicandis. Primum visum ipsi obtigit Anno, ut ipse scribit, *quinto Deportationis Jehoiachini*, qui est *duodecimus Exilii* Babylonici, & *Nebucadnezaris*, & *tricesimus* ab initio Nabopolassari, Patris Nebucadnezaris. Sic intelligendus est Ezechiel, ubi ipse auspicia sui Ministerii consignans, scribit *anno tricesimo*, eumque copulat cum *quinto deportationis* Jechoniæ, *cap.* 1. 1. Si enim Annis Nabopolassari 21, quot illi dantur in *Canone Ptolemai*, subducas *biennium* quo Nebucadnezar cum Patre regnavit, invenies quos quæris annos triginta ab initio Nabopolassari usque ad *Deportationis* Jechoniæ *quintum*. Ultima Visio de *Templo* & Urbe

illi accidit *Deportationis vigesimo quinto*, sive *Exilii Babylonici* XXXII. *cap.* XL. I.

20. His jam succedunt Prophetæ tres, qui post reditum ex Exilio *Verbum Domini* administrarunt, HAGGÆUS, ZACHARIA, *Filius Berechiæ*, *Filii Iddo*, MALACHIA. Priores duo concionati sunt apud Populum ex Babele reducem, imperante Persarum Rege *Dario*, *Ezr.* VI. 4. qui probabiliter creditur esse *Darius primus*, atque adeo *Hystaspis Filius*, ab anno illius secundo, *octodecim* annis post Libertatem impetratam sub Cyro. *Malachia* quo tempore vixerit, & an diversus sit ab *Haggæo*, alibi disputavi, atque evici, Ministerium ejus recte videri innecti extremis annis *Artaxerxis primi*, sive *Longimani*, qui dicitur.

21. Canon Librorum novi Fœderis *unum Propheticum* agnoscit, *Apocalypsin Joannis*, consignatam anno ultimo Imperii Domitiani, sive *Sæc. primi* XCV. in Patmo insula. Esse illam à *Joanne*, & quidem *Apostolo*, vetustissima illorum Ecclesiæ Doctorum, qui proxime ad ætatem Joannis Apostoli accesserunt, traditio est, eaque primo Ecclesiæ tempore constans. Cajus, sive Gajus, celebris Presbyter Ecclesiæ Romanæ initio *Sæc.* III. de auctoritate hujus Libri dubium movit, & ausus est illum Cerintho adscribere; (Euseb. L. III. C. XXVIII.) eodemque Sæculo inclinante alii, ut liquet ex excerptis Dionysii Alexandrini apud

pud. Euseb. L. VII. C. XXV. tum quoque adulto Sæc. IV. inter Doctores Ecclesiæ aliqui circa Apocalypsin hæsitarunt, inter quos Basilius, & Gregorius Nazianzenus. ne dicam, *Alogos*, sic dictos, qui suspectam habebant auctoritatem omnium scriptorum Joanni Apostolo vindicatorum, hunc quoque Librum repudiasse.

22. Sed sepositis *Alogis*, quorum sententia vere est ἄλογος: observare est, suspiciones, quibus gravatur auctoritas hujus Libri, non modo incurrere in vetustiorem, eamque constantem, *traditionem* Ecclesiasticam, sed & fundari in levissimis rationibus de *obscuritate* hujus prophetiæ, & *Regno Christi millenario*, male intellecto & exposito. Id recte jam observavit Dionysius Alexandrinus, qui auctoritatem hujus Libri vindicavit *Sæc.* III. ut Epiphanius, *Sæc.* IV. etsi Dionysius nimium suæ indulserit conjecturæ, quando alium quendam *Joannem Ephesium*, ab Apostolo diversum, prophetiæ hujus scriptorem esse jecit, quam sententiam Vir quidam eruditus nostro ævo non dubitavit amplecti; sed levi pariter, & vere nullo fundamento.

23. Addo ego, nullius esse ingenii humani ejusmodi fingere prophetiam, tanta emblematum scitissime constructorum, & inter se cohærentium, eorundemque sensum præferentium sublimem & augustum, copia refertam, &

cum æquabili orationis pondere, majestate, raptu, divinitate, explicatam. Hactenus nullum ejusmodi *falsæ prophetiæ* editum est in Mundo exemplum; nullum, satis scio, edetur in posterum. Nullius ad id sufficit mortalis ingenium. Tentatum equidem sæpius; sed infeliciter. Faciat periculum profanus quisque, qui id fieri posse jactat, & videat, an vis sibi & copia ingenii tanta suppetat, ut facile sit mundo simili aliquo specimine illudere? Si vero experiatur, rem esse sua facultate superiorem: det Deo sui gloriam Nominis, & agnoscat Divini atque humani ingenii differentiam. Sunt sane characteres ejusmodi, ut ab omnibus non plane stupidis aut pessimæ indolis hominibus, facile queant observari.

24. Ex dictis liquet, præcipuos Prophetas Canonicos, quorum *Conciones* supersunt, id tempus à Spiritu fuisse affectos, quo utrumque Regnum, Judæ & Ephraimi, pervenerat ad præcipitium suæ fortunæ, & Deo statutum erat non differre longius judicia pœnalia, fœdifragæ Genti decreta, si ultimum hoc remedium suæ salutis sperneret, & iram Divinam vera pœnitentia placare negligeret. Habuit igitur Gens Judæa in Prophetis, ante rem utriusque Regni plane collapsam excitatis, clarissimum & simul extremum documentum Divinæ Longanimitatis & Gratiæ. Noluit enim punire Deus nisi *ἀναπολογήτους inexcusabiles*. Post Prophetarum convictiones

& con-

& consilia superbe rejecta, erupit demum flamma Divinæ iræ, & impoenitentes *ut stipulam* consumsit. 2 *Reg.* XVII. 13. 2 *Chron.* XXXVI. 16.

25. Præterquam quod voluerit Deus, ut Populus suus, brevi post per exilium dispergendus per orbem terræ, in manibus suis haberet *corpus* quoddam *Doctrinæ Propheticæ*, quod fidei & *spei* suæ in Exilio sustinendæ inserviret; quæ verissima ratio est, quare Deus *Prophetas* hosce *Canonicos* sub finem temporis utriusque Regni demum tanta copia suscitaverit. *Jes.* XXXIV. 16. *Hos.* XIV. 3.

26. Cæteros Vates, quorum *prophetiæ* in historia Scripturæ S. aut in *Odis* Davidicis conservatæ sunt, quorum longa series est usque à natalibus Mundi, non attingo. Ætas enim illorum dubia non est; &, si *Psalmos* excipias, prophetiæ rariores, licet præstantissimi generis. Patriarchæ omnes *Prophetæ* fuerunt, & ante Christum maximus Prophetarum *Moses*, cui proximus haud dubie *Elias*. *Adamum* ipsum per *ecstaticos raptus* cum Deo commercium habuisse, & à Spiritu affectum *mystice* quædam extulisse, & prophetice, historia ejus evincit, & crediderunt Veteres, Justinus Martyr, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, & Auctor *Recognitionum Clementis*; sive sententiam hanc suam hauserint ex ipsa historia, sive argumentum ejus petierint ex Versione LXX Intt. ad *Gen.* II. 21.

ϰ̀ ἐπέβαλεν ὁ Θεὸς ἔκστασιν ἐπὶ τ̀ Ἀδάμ. quod Vetus Interpres Latinus: *Et misit Deus* ECSTASIN *in Adam*, ut est apud Tertullianum Lib. de *Anima*, Cap. XLV. Et verum est, *Veteris Scholæ Doctores Judæos* in eadem fuisse opinatione; de quo alibi planius disserere velim, si Deus permittat, & faveat occasio. Inspiciat interim, qui hac in parte hæret, Auctorem *Cosri*, & *Specimen Theologiæ Mythicæ Hebræorum* Scherzeri, Viri Docti & bono præditi judicio.

CAP. V.

De *Studii Prophetici Utilitate & Necessitate.*

UT donum Prophetiæ olim habitum est imprimis præclarum, & hac de caussa passim impense desiderabatur: sic proxima illi Divinæ Gratiæ dos est, Prophetiarum intelligentia & interpretatio; ob quam rationem ipsi quoque illi qui *Verbum Propheticum* interpretantur, aut quoquo modo de Divinis rebus copiose & facunde disserunt, *prophetare* dicuntur, *Joël* II. 28. *Rom.* XII. 7. I *Cor.* XIV. I.

2. Est itaque *prophetiarum intelligentia* inter præcipua hominis Christiani ornamenta, eamque ob caussam magnifacienda. Qui enim non præ-

præsentia tantum & præterita, sed & *futura*; intelligit: intellectum suum ad Divinum, quantum pote, conformat, & veluti in communionem venit excellentissimæ perfectionis. Certe notitiam adeptus *arcanorum* Dei *consiliorum*, in numerum & societatem *familiarium* ejus *amicorum* recipi videtur, *Ioh.* xv. 15. Quod ipsum satis commendaret *Theologiæ Propheticæ* studium, si aliæ non accederent rationes, quæ illud suaderent, à *necessitate* illius *studii* & *utilitate* petitæ.

3. *Necessitas* hujus studii evincitur, *α.* ex *Mandato Divino*, quo omnibus, Dei reverentibus & studiosis veri, injungitur officium Prophetiarum scrutandarum. *Jes.* XXXIV. 16. *Quærite*, investigate, מעל A SUMMO ad imum *in Libro Jehovæ*, *& legite. unum horum non fallet. eventus nullus cognatum desiderabit; quia os Jehovæ præcepit, & Spiritus ejus colliget illa. Joh.* v. 36. *Scrutamini* SCRIPTURAS. Quales vero? *Propheticas.* 1 *Thess.* v. 19. *Prophetias ne negligite*, sive *vilipendite. Apoc.* I. 3. *Beatus est, qui legit & qui audiunt verba hujus prophetiæ.* Negligi itaque nequit hoc studium ab iis, quos facultas, officium, occasio, ad id excolendum invitant, absque transgressione mandati Divini.

4. *β.* Ex *scopo & consilio Dei* in dandis Prophetiis. Communicavit enim eas cum Ecclesia hoc scopo & fine ut legerentur, explorarentur, intelligerentur, quare damnabilis est incuria, &

&, quod rectius dico, socordia & pigritia eorum, qui existimant se *Verbum Propheticum* posse negligere. Demonstrant enim hoc ipso; se magnum donum & beneficium Dei repudiare; & quantum in se est, faciunt, ut Deus scopo suo, quem intendit in *Prophetiis* cum Ecclesia sua communicandis, excidat. *Jes.* v. 11. 12. *Va .... illis qui* MOLIMEN JEHOVÆ *non intuentur, &* OPUS MANUUM EJUS *non contemplantur.*

§. γ. Ex ipsa *Religionis Christianæ natura*; cujus demonstratio præcipue petitur ex *Prophetiis*, hujus rei gratia investigandis. Absque investigatione & scrutinio Prophetiarum enim nulla earum expectari potest intelligentia; nulla veri earum sensus demonstratio. absque hac non est perfecta ἐπίδειξις *demonstratio* Religionis Christianæ, in *Verbo Prophetico* fundatæ. Sic Petrus 2 *Pet.* 1. 19. *Habemus* βεβαιότερον FIRMIOREM *sermonem Proheticum*, (h.e. firmissimum, ut *comparativus* subinde pro *supremo gradu* sumitur, vel etiam *firmiorem*, sensu vere comparativo, quia in *Verbo Prophetico*, cum *eventu rerum* comparato, firmior & certior demonstratio est Veritatis Religionis Christianæ, quam in argumento, quod petitur ex *historia*, quæ sensuum testimonio nititur, de quo loquutus fuerat Apostolus, ℣. 16. 17. *cui attendentes bene facitis tanquam lucernæ splendenti in obscuro loco.* Paulus, *Ephes.* 11. 20. *Superstructi* FUN-

DAMEN-

DAMENTO PROPHETARUM *& Apostolorum. Luc.* XVI. 29. *Habent Mosen, & Prophetas; illos audiant. Joh.* I. 46. *Act.* X. 43.

6. *d*. Deus loquens *audiendus est*; præsertim si constet, ad *nos* quoque loqui, voluntatemque suam *nobis* revelare. *Jes.* I. 2. *Audite cœli, &* AURES ADVERTE TERRA, *quia* DOMINUS LOQUITUR. Contra vero in opprobrium & crimen vertitur gravissimum, quin sane pudendum & pœnitendum, aures suas a *Deo loquente* avertere. *Jer.* VII. 25. 26. 28. *Et dices ad eos:* HÆC EST *Gens*, QUÆ NON AUDIT VOCEM DEI SUI, *& non accipit disciplinam.* Prophetas autem Oeconomiæ Veteris non tantum sui temporis hominibus tantam *salutem* administrasse, sed & *nostri*; quin sane de pluribus illorum Oraculis dici posse, non ipsorum, sed nostri temporis, fata describere, docet Petrus I *cap.* I. 12. *Quibus* (*Prophetis* antecedentium temporum, *revelatum est, quod* NON SIBI *sed* NOBIS *ea ministrarent quæ nunc annunciantur vobis ab iis qui vobis prædicarunt Evangelium per Spiritum S.* Argumento sunt tot prophetiæ, quæ *Christum Jesum* & *Regnum ejus* ejusdemque Regni tempora depingunt. Quis igitur tantus stupor est, qui neget, hæc mereri attentionem? Estne quid in mundo potius quod agant mortales quam *Verba Dei scrutari*, si vere à Deo dicta esse credant.

7. Præter *necessitatem* vero & præstantiam hujus studii, *utilitas* ejus eximia & singula-

ris

ris est. Prophetiæ enim datæ sunt à Deo hoc scopo & consilio, ut Ecclesia in lucta, certaminibus, & adversis hujus mundi ex iis solidam caperet consolationem, *Rom.* xv. 4. *Quæ ante scripta sunt, ad nos docendos ante sunt scripta, ut per tolerantiam & consolationem Scripturarum spem retineamus. Apoc.* I. 3. *Beatus qui legit, & sunt qui audiunt*, h. e. intelligunt, *verba hujus prophetiæ.* Nimirum supponitur his & similibus locis, futurum esse ex consilio Dei, ut Ecclesia ejus in hoc Mundo multis exerceatur adversis; etiam sub Oeconomia Nova; etsi contrarium ejus sibi Judæi carnales persuaderent, non intelligentes naturam Regni Christi spiritualis ac cœlestis, quod non nisi post luctam difficillimam longi temporis de Mundo debebat triumphare. Sic erat in fatis, patetque luculenter hoc Dei consilium ex Libro *Apocalypsios*, in quo hæc certamina nobis sigillatim exposita sunt. In adversis autem natura nos jubet circumspicere consolationem; quæ cum peti nequeat nisi ex Verbo Prophetico, certaminis Ecclesiæ durationem & exitum demonstrante: quid utilius quam inspicere hos Libros Divinorum consiliorum & consulere? Ne jam dicam, Prophetias non ad hunc modo usum, sed & alios plures, & varios, lectoribus suis & scrutatoribus prodesse, 2 *Tim.* III. 16. Docent nos Deum, ejusque naturæ veras perfectiones. explicant rationes illius admirabilis providentiæ,

quam

quam in Mundo & Ecclesia gubernanda exercet. incutiunt ubique summam reverentiam Divinæ Majestatis & justitiæ. excutiunt torporem, & epidemicum illum lethargum, quo plerique homines soporati misere pereunt. stimulant animum ad veram virtutem & sanctimoniam. non revocant tantum, & abstrahunt, sed & absterrent à vitiis. suadent ubique pœnitentiam, & fidem, necessaria salutis remedia; nec fugere modo peccata, sed & abhorrere. erigunt & laudant conscientiam bonam; terrent malam; adeo quidem ut qui eas legit, sentiat, Deum sibi præsentem adesse. Quare liceat cum Apostolo dicere, 1 *Cor.* XIV. 39. *Itaque fratres,* ζηλοῦτε τὸ προφητεύειν *affectate Prophetiam.* Estque singularis nostrorum temporum felicitas, quibus tam excellens donum excitatum est in fidelibus Christi Jesu Ministris, & hactenus non extinctum.

PARS II.

De PROPHETIIS ipsis, pro variis suis *Objectis* in certum quendam Ordinem digerendis.

CAP. I.

Generalis *Prophetiarum*, & utilissima *Divisio*.

POst *Prolegomena* proxima est IPSARUM PROPHETIARUM contemplatio. Sunt autem illæ variæ, & varii ac diversissimi generis, sive argumenti, ut *Amos*. III. 7. *Deus enim nihil quicquam facit, nisi revelet* סודו ARCANUM SUUM *servis suis Prophetis.* Inde judicare licet de amplitudine *Objecti* Prophetiarum, quas si perfecte intelligeremus, haud dubie in iis deprehenderemus præcipua Orbis & Ecclesiæ fata atque eventus. *Prophetiæ* enim sunt veluti divinorum Decretorum & Consiliorum Libri Exegetici. Deus autem pro bonitate sua nihil celare voluit Ecclesiam, quod è re ejus esse, aut ad solatium pertinere ut sciret, ipse optime intellexit. Sed res ipsa loquitur. Præter Prophetias, quæ in Histo-

Historicis Libris Sacræ Scripturæ conservatæ sunt vere memorabiles cujusque argumenti: habemus cum *Apocalypsi Joannis* septendecim Libros Propheticos, modo percensitos, qui Conciones Vatum prisci temporis, eorumque *Visa* & *Oracula* de rebus futuris, continent, præter *Psalmos Davidis*, ipsas quoque *Prophetias* magnam partem, utilissimis comparandas. *Propheta enim cum esset, præscius loquutus est de resurrectione Christi. Act.* 11. 30. 31.

2. Quare cum diffusum sit hoc studium, & late se extendat: utilissimum haud dubie est, ut prophetiæ illæ varii generis & argumenti in classes quasdam digerantur, earumque meditatio certo adstringatur ordini. Hac enim unica ratione succurri poterit studii hujus cum fructu excolendi difficultati, quæ cæteroquin ob Oraculorum quorundam obscuritatem, & laboris, qui hic requiritur, devorandam molestiam, Divinarum rerum studiosos ab eo posset absterrere. Distingui autem, sive *dividi*, videntur posse prophetiæ in classes, duplice modo, vel respectu *Objecti*, circa quod versantur, vel respectu *Temporis* quo editæ sunt.

3. Posterior modus facilis est. Dividendum est totum tempus Ecclesiæ in certa quædam Intervalla. Dein videndum, & ex historia colligendum, quinam singulis Intervallis floruerint Prophetæ, eorumque singulorum Prophetiæ inspiciendæ sunt, examinandæ, & earum per-

ſcrutandus eſt ſenſus. Sed hæc via longior eſt, & ab iis, qui ad hoc ſtudium manuduci cupiunt, calcari nequit. Cum enim vere multa Oracula obſcuriora ſint, & ſenſus eorum inveſtigatio multum otii, ſtudii, exercitationis requirat; longum eſt ſingula ordine expendere: quod tamen ab iis fieri cupimus, qui in hoc ſtudio aliquem jam fecerunt progreſſum.

4. Ergo ratio ſuadet, præferendam eſſe Prophetiarum diſtributionem illam, quæ petitur ab *Objecto* circa quod verſantur. Cum enim idem Spiritus operatus fuerit in Prophetis, ac proinde inter Prophetas & Prophetias veras maxima ſit harmonia; & præterea de iiſdem rebus, aut ſtatibus Mundi atque Eccleſiæ ſæpe vaticinati ſint Prophetæ: quiſque videt, prophetias ejuſdem argumenti ſeligi, & inter ſe comparari, & hac ratione eas commodiſſime in claſſes & ordinem aliquem compingi & digeri poſſe.

5. Quo aſpectu quando Prophetiæ nobis obverſantur: duplice modo inſtituere licet. Vel enim *Objecta Prophetiarum abſolute* conſiderare poſſumus, vel *reſtricte:* ut mox declarabo.

6. Quando *Objecta Prophetiarum* ἁπλῶς *abſolute* conſiderantur: facillimum eſt, omnes Prophetias diſtinguere in *duas claſſes* majores. Sunt quæ MUNDI, ſunt quæ ECCLESIÆ *Fata* & Eventus prænunciant.

7. Prophetiæ, quæ *Fata Mundi* deſcribunt,

bunt, vel sunt *argumenti generalis*, vel *specialis*; sive, vel *in genere* explicant *fata Mundi* illustriora, certo quodam ordine decursura, cujus generis specimina insignia sunt *Zach.* VI. 1--8. *Dan.* II. 31--46. VII 1--28. XI. 1. 2. seqq. vel *in specie* singularium *Gentium* aut *Personarum* Mundi nobiliorum eventus præcinunt, cujusmodi sunt Oracula de *Ægyptiis*, *Babyloniis*, *Assyriis*, *Idumæis*, *Syris*, *Nebucadnezare*, *Pharaone Necho*, *Cyro*, *Dario Codomano*, *Alexandro Macedone*, obvia apud Jesaiam, Jeremiam, Ezechielem, & sequentes Prophetas.

8. Prædictiones pariter, quæ ad *Ecclesiam* respiciunt, recte partiaris in duas classes. Aliæ ad CAPUT *Ecclesiæ*, aliæ ad CORPUS *Ecclesiæ* pertinent. Ad *Caput Ecclesiæ*, sive Principem in Ecclesia Personam MESSIAM, quem nos *Jesum* esse credimus tempore *Herodis Regis* natum ex *Maria*, Virgine sancta, referuntur bene multæ Prophetiæ, per totum Dei Verbum seminatæ, in quibus ejus *Characteres*, *Proprietates*, *Officia*, *Beneficia*, *Prærogativæ*, *Casus*, graphice consignantur. Quæ vero Prophetiæ spectant ECCLESIAM, quæ præcipue sub Oeconomia Nova dicitur *Regnum Christi*, rursus sunt vel *generalis*, vel *specialis* argumenti. *Generalis* quidem quæ declarant *Fata Ecclesiæ* per singulos ejus in hoc Mundo *Status*, temporumque *Periodos* & *Oeconomias*, quas Deus Sapienti Con-

filio suo præfinivit, continua quadam serie & nexu; *specialis*, Fata vel illustrium Personarum, ut *Davidis*, *Josiæ*, *Zerubabelis*, *Joannis Baptistæ*, *Judæ*, *Pauli*; vel *singularium* Ecclesiæ *Casuum* & *Eventuum*, quos Spiritui S. visum est præ cæteris accuratius delineare. quorum exempla in sequentibus occurrent. Atqui hæc est *Prophetiarum Partitio*, quam diximus *Absolutam*.

9. Sed proximis hisce temporibus Doctissimi Viri, in quibus prima laus debetur Cl. Coccejo, postquam se applicarunt ad Systema aliquod Prophetiarum componendum, existimarunt, Prophetias omnes, quæ ad *Ecclesiam* pertinent, quippe quarum usus est præ cæteris utilissimus, commodissima & facillima methodo adstringi & *referri* posse ad CERTA Ecclesiæ TEMPORA, Divino Consilio descripta, in quibus illustriora & extantiora quædam ederentur Divinæ Providentiæ & Gratiæ effecta, in *Ecclesiam* & *Mundum* inductura notabilem *Status* ejus variationem; quibus *temporibus*, sive illustrioribus temporum eventibus aut mutationibus subordinari volebant omnes alios *casus* & *eventus* tanquam *signa* quædam *illorum temporum prognostica*, quippe per quæ Ecclesia moneretur de *temporum illorum*, sive majorum Mundi & Ecclesiæ *mutationum*, *qualitate*, & ex quibus *signis* pii scrutatores viarum Dei ἐν πλάτει colligere possent, quantum temporis la-

lapſum jam præteritumque eſſet; & quantum adhuc lapſurum, uſque ad notabilem ejuſmodi & majorem *Status Eccleſiæ* mutationem; quantum temporis emenſa eſſet Eccleſia in hac vel illa Oeconomia, quantum adhuc emetiendum reſtaret. *Significationes* recte dixeris cum Latinis Veteribus. Græci vocarunt *διοσημείας*, & tamen ſenſu aliquanto reſtrictiore. Scriptores Sacri אותות, & *Σημεῖα Signa.*

10. Hypotheſes, ſuper quas hæc *methodus tractandarum Prophetiarum* fundatur, ſunt abſque omni dubitatione ſolidiſſimæ, *α.* Deum conſtituiſſe *Mundum* & *Eccleſiam* ſuam *in Mundo* non *uno*, ſed *diverſis modis* regere; adeo ut Eccleſia ſe non *una* ſed *diverſis faciebus* in Mundo conſpiciendam daret; nec unus ejus *ſtatus* eſſet, ſed *varii.* *β.* Quemque *ſtatum* & *modum adminiſtrandæ Eccleſiæ* Divino conſilio eſſe circumſcriptum certis *temporum intervallis, ætatibus, periodis*, quæ cujuſque *ſtatus* Eccleſiæ *durationem* limitarent; veluti, ſi Deo ſtatutum fuerit aliquandiu *Eccleſiam* ſuam paſcere *promiſſis* bonorum gratiæ, antequam ipſa illa bona promiſſa *repræſentaret*; eandem alio tempore *ſubjicere Legi* antequam eam vocaret ad *libertatem filiorum Dei*; fore *tempora Judæorum*, & *Gentium*; *Meſſiæ* optati, expectati, ſperati; ejuſdemque *Meſſiæ* manifeſti facti, & Regnum, ſibi à Patre promiſſum, per ſe adminiſtrantis: idem Deus conſilio ſuo *ἀποτόμως*

præcise definivit, quot *annorum*, *mensium*, *dierum* *intervallo* quodque illorum temporum includeretur, sive intra quos illi diversi *Ecclesiæ status* consisterent *terminos*; tum quoque sapienti suo consilio rem ita *dispensavit*, ut quæque res & insignior quisque Casus aut mutatio Status Ecclesiæ caderet in *tempus commodum*, opportunum, *proprium*; unde duo sunt illorum *temporum* attributa, esse nimirum מועדים χρόνυς, TEMPORA CERTA, *fixa*, circumscripta, sive ut cum Arnobio loquar: *circumscriptiones statas*, *spatiis mensium & dierum dinumeratione conclusas*, *Hab*. II. 3. *Dan*. XII. 7. 9. *Gal*. IV. & עתים καιρὺς TEMPORA OPPORTUNA, commoda, *propria*, unde καιροὶ ἴδιοι, *Rom*. III. 26. I *Tim*. II. 6. *Tit*. I. 2. Prius *quantitatem* respicit, posterius *qualitatem* temporis. Hæc Paulo est ἡ οἰκονομία καιρῶν *dispensatio temporum*, *Eph*. I. II. h. e. *Gratiæ Divinæ* aut *Statuum Ecclesiæ*, circumscripta & affixa certis temporibus. γ. Ecclesiam non transire ab *uno statu* ad *alium* absque *insigni quodam Eventu* & mutatione memorabili; cujus generis sunt *Redemptio Israëlitarum ex Ægypto*, & Νομοθεσία *Sinaitica*, cum instituere-tur *Oeconomia Legalis*; *Adventus Filii Dei in Mundum* initio temporis *Evangelii*; *Adventus Filii Dei gloriosus*, præcessurus *Statum gloriæ*. δ. Deum Ecclesiam per Prophetas docuisse, quinam acciderent *Casus* extantiores per decursum unius alicujus continui Ecclesiæ *temporis*,

ante,

antequam eadem unum ſtatum cum alio commutaret; ut pii homines, veluti *in ſpeculaſtantes* (*Hab.* II. I.) illos *Caſus* notabiliores, à Vatibus demonſtratos, diligenter obſervantes, inde primo quidem cognoſcerent *ſui temporis qualitatem*; deinde etiam ſcirent & intelligerent, quantum Eccleſia in quaque ætate & periodo temporis provecta ſit, quantumque ſpatii in via, ſibi decurrenda, proceſſerit, & *ſpei ſuæ* quid quantumque jam ſit adepta, quid ſuperſit quod juxta promiſſorum & prædictionum fidem adipiſci debeat, uſque quo perveniat ad finem ſuæ luctæ, & perfectionem ſui ſtatus, Divino conſilio definitam; ſive phraſi Petrina 2. *cap.* I. 19. *uſque quo dies illuceſcat, & phoſphorus exoriatur in cordibus* credentium.

II. Fere ut *viator*, cui propoſitum eſt iter conficere aliquot ſtadiorum, ſi ad decurſum cujuſque *ſtadii* aut *milliaris* pro more Romano *lapidem* offendat, aut quod ſignum aliud, quod viæ publicæ menſuram deſcribit: inde colligit, quantum viæ ſpatium in profectione ſua ſit permenſus, quantum ſibi permetiendum reſtet; quam longe à loco, unde digreſſus eſt, abſit, quam item longe à meta, ad quam citato gradu tendit. Vel, quod ejuſdem generis exemplum eſt: ut *annus* ſpatium temporis facit *menſium* ac *dierum* certo numero circumſcriptum, quod incipit à *vere*, terminatur in *hyeme*, in quod ſpatium incidunt *quatuor* majores

tempestates, quæ dicuntur, sibi ordine secundum statum naturæ cursum succedaneæ, ex quibus de cujusque anni temporis *statu*, *qualitate*, termini propinquitate vel distantia, in promptu est judicare; ut, si *hyems* sit, intelligas, antequam *æstatem* attingas, intercessurum esse *ver*, & ex *veris* aut *æstatis* duratione facile colligas, quantum temporis à *vere* aut *autumno hyems* distet, in qua annus terminatur: sic omnino cum Deus Mundi & Ecclesiæ tempora, & Oeconomiarum Mundi atque Ecclesiæ durationem definiverit certis temporum periodis: *criteria* quædam *diagnostica* pro summa sua bonitate & sapientia constituit notabiliorum quorundam *casuum* atque *eventuum*, qui certo ordine & serie ex Divino consilio repræsentarentur, ex quibus homines pii & Verbi ejus reverentes colligerent, quantum in tempore cujusque Oeconomiæ fecissent progressum, & *quo* temporis *articulo*, *qua tempestate*, *quibus in circumstantiis*, expectare possent implementum magnarum illarum rerum, *Oraculis* & *Promissis* prædictarum, quæ spem suam sustinebant.

12. Meditationem hanc suam Eruditi Viri deprompserunt ex *Matth.* XVI. 1. 2. 3. ubi Christus, Dominus noster, de SIGNIS TEMPORUM disserit. Cum enim Pharisæi ab ipso *signum* peterent *sibi dari è cælo*, ex quo indubitato constaret, *esse illum verum Messiam*, *Patribus promissum*: incurrunt in reprehensionem Domi-

Domini, quod *signa è cœlo* citra necessitatem ullam *peterent*, cum *signa temporum*, & quidem clarissima, haberent in Prophetiis, eaque magna cum oscitantia & socordia negligerent; ad quæ si attendissent, opus non haberent aliis argumentis, ex quibus de veritate missionis Christi, & Evangelii ejus, persuaderentur. *Quando vesperascit*, ait, *rubente cœlo, dicitis: Serenitas, cœlum enim rubet; & mane; Hodie sæviet tempestas; cœlum enim triste rubet. Hypocritæ! faciem quidem cœli nostis* διακρίνειν *discernere*, τὰ δὲ σημεῖα τῶν καιρῶν οὐ δύνασθε SIGNA *autem* TEMPORUM *non potestis?* Ubi per *signa temporum* intelligit *criteria* illa *diagnostica*, ex quibus cujusque *temporis* Ecclesiæ *status* & *qualitas* dijudicari queat & debeat; an nimirum tempus hoc vel illud Ecclesiæ sit tempus Messiæ, nec ne? an *Persona Messiæ*, ejusque *opera* tempori, an *tempus* Personæ Messiæ quadret? Si ipsum *Messiæ tempus* non sit: quale illud sit Ecclesiæ tempus? quo ordine distet à *tempore Messiæ?* quinam *casus* & eventus majores, veluti *signa* & characteres *appropinquantis* temporis Messiæ, inter hoc tempus, & tempus Messiæ intercessuri, adhuc expectandi sint? & quæ alia hujus generis.

13. Nec minus clare de eo Dominus *Matth.* XXIV. 32. *A ficu discite hanc parabolam: cum jam ramus ejus tenerescit, & folia germinant, nostis prope esse æstatem; ita & vos* CUM VIDE-

RITIS HÆC OMNIA, SCITOTE, ILLUM PROPE ESSE ET AD FORES. Sive ibi differat Dominus de Desolatione Hierosolymorum, sive de fine Mundi, & extremo tempore, ut nobis videtur: certum est, agere de *Signis temporum Diagnosticis*, ordine certo repræsentandis, ex quibus *qualitas temporis* cognosci, & rudiore modo *quantitas* ejus mensurari posset, ut jam diximus.

14. Et Petrus, 1 *Epist.* 1. 10. *De qua salute exquisiverunt & scrutati sunt Prophetæ, qui de ventura in vos gratia prophetarunt, scrutantes,* εἰς τίνα ἢ ποῖον καιρὸν *in* QUOD *aut* QUALE TEMPUS *prænuncius ille Spiritus Christi qui in ipsis erat, declaret venturas Christi passiones, & glorias, illas consequuturas,*

15. Nobis vero sic videtur, hanc methodum in componendo *Systemate Prophetico* omnium esse optimam, & magnum adferre usum ad Verbi Prophetici intelligentiam. Nullæ enim Prophetiæ editæ sunt de *Eventibus Mundi*, nisi cum respectu ad Ecclesiam. De *Fatis* vero *Ecclesiæ* nihil occurrit in Prophetiis, quod non ad TEMPORA Ecclesiæ; & eorundem SIGNA referri queat. Quare utilissimum videtur, & nostro instituto commodissimum, eam sequi & exponere.

CAP. II.

De *illustrioribus* Ecclesiæ *Temporibus*, eorumque *Eventibus* & *Fatis*, quibus *Casus* & *Eventa alia* notabiliora tanquam *Signa temporum* subordinantur.

PRimo itaque secundum hypothesin, modo jactam, de TEMPORIBUS videndum est; dein de SIGNIS illorum TEMPORUM, ad quæ omnes Prophetias, tanquam ad communes quasdam classes, referri posse dixi. Et quidem Cl. Coccejus, in hoc versatus argumento, *Meditationes* suas *Propheticas* præcipue defixit in *Tempora duo* illustriora, ut sunt MANIFESTATIONIS MESSIÆ IN CARNE, *cum institutione Oeconomiæ Novæ*, & CONSUMMATIONIS SÆCULORUM, *cum glorioso ejusdem Adventu ad judicium novissimum.* Priori tempori, quod est *Adventus Messiæ in Mundum* ad *fundandum Regnum Gratiæ*, & instituendam *Oeconomiam novi Fœderis*, subordinat, sive potius præordinat, SIGNA SEX, ab ipso petita & illustrata ex *Deut.* XXX. 1--6. posteriori, quod est tempus *illustris Christi Jesu adventus* & *regni ejus* gloriosi, (2 *Tim.* IV. I. dat SIGNA SEPTEM, demonstranda in *totidem* Ecclesiæ N. F. *Periodis*, quæ eruere conatus est ex mystica interpreta-

pretatione *Prophetiæ Mosaicæ* de *Fatis tribuum*, quæ extat *Deut.* XXXIII. 1—29. imo jam distincte satis indicaverat in expositione *Capitis superioris* XXXII, quod *Canticum* complectitur Mosaicum, à ℣s. 21. usque ad ℣s. 44. sed deinceps multo clarius produxit in *Apocalypsi*; ita passim instituens in sua *Verbi Prophetici* interpretatione, ut ad hæc *Tempora*, eorumque *Signa*, quorum *altera* per *Oeconomiam Veterem* decurrunt, *altera* per *Novam*, prophetias adstrinxerit; & imprimis *periodos majores N. T.* in Vaticiniis V. T. certo ordine & serie ostendere laboraverit.

2. Nec dubium, quin hæc *Tempora*, & *Temporum Signa* sint illustriora, & potuit id ejus instituto sufficere. Sed in generali Prophetiarum *Systemate* concinnando oportet rem altius ordiri & repetere. Quare existimem recte me instituturum, si *quatuor* ponam *Tempora* illustria, in quæ inciderent *Casus* aliqui insigniores, secum laturi magnas *Mundi* & *Ecclesiæ* mutationes, quibus reliqui omnes *Casus* atque eventus in Prophetiis prænunciati subordinari, & quibus comparari possunt, ut sunt, *α.* DESTRUCTIO PRIMI MUNDI, sive *omnis carnis per aquas Diluvii*, exceptis *Noacho*, & *domo ejus*, de quo *Gen.* VI. 1. 2. seqq. *β.* ἡ Ἀπολυτρώσεως LIBERATIO *Abrahamidarum ex Ægypto* cum terribili demonstratione Divinæ Justitiæ, eamque consequens PACTIO SINAITI-

CA,

CA, *Exod.* XIII. 1.2. seqq. XX. 1.2. γ. MANIFESTATIO (φανέρωσις, *Apparitio*) *Filii in carne ad peccatum per immolationem sui ipsius è medio tollendum*, (*Hebr.* IX. 26.) & *Oeconomiam novi* ac melioris *Fœderis* fundandam in suo *sanguine*, *Matth.* XXVI 28. δ. ἡ Συντέλεια τῶν αἰώνων CONSUMMATIO sive FINIS *Seculorum*, quo *Christus absque peccato* (sibi ut Sponsori imputato) *secundo conspicietur iis qui ipsum expectant ad salutem*, (*Heb.* IX. 18.) & *veniet ad* JUDICIUM (*Rom.* II. 16.(cum conflagratione hujus terræ, perditione impiorum & profanorum hominum, & plena ac perfecta ἀπολυτρώσει *redemptione filiorum Dei*, de quo 1 *Thess.* V. 1. 2. 2 *Pet* III. 1. 2. & alibi sæpius.

3. His *Temporibus* illustribus *quatuor*, eorumque notabilibus *Eventibus*, qui in statum *Ecclesiæ* ac *Mundi* magnam inducere debebant mutationem, omnes alii *Casus*, quorum mentio occurrit in Verbo Prophetico, tanquam *Signa* subordinantur; quidam tamen *directe*, *indirectius* alii. Utique *Eventus* illi notabiles horum *quatuor* illustrium *Temporum* tanquam *bases* omnium aliorum Eventuum in Verbo Dei commendantur; atque adeo sufficere videtur hæc distributio. Quod enim in *Historia Sacra* pertractanda tempus, quod ante natum Christum effluxit in *plura* Intervalla dispescamus: in illa Doctrina suum habet usum, ubi *Casus* atque *Eventus* rerum simpliciter ut *historicos* consideramus;

ramus; non ut *Signa temporum*, quod fit in *Verbo Prophetico*. Quare placet huic meditationi inhærere. recte enim se habet, & est ad præsens hoc institutum accommodata.

4. Primo itaque hæc *quatuor tempora*, quæ designavi, sunt מועדים *tempora statuta*, Divino consilio definita, præfixa, circumscripta: qui character est illorum temporum, quibus *Signa* aptantur. De *tempore Diluvii* liquet ex *Gen.* VI. 3. de *Exitu Israëlitarum ex Ægypto*, *Gen.* XV. 13. 14. De *tempore Adventus Filii Dei in Mundum*, 1 *Pet.* I. II. *Gal.* IV. 1. Denique de tempore novissimi *Adventus Christi Jesu*, ad omne opus Dei in hisce terris consummandum, *Matt.* XXIV. 32. Dei enim omnia consilia cum sint prudentia, & suis ponderata ac librata modis; sive, ut cum Minutio loquar; cum in omni Dei opere sit *summi Moderatoris mira & Divina libratio*: nihil fit in Mundo nisi *tempore suo*, tam *opportuno* quam *certo*, *Eccles.* III. 1.

5. Secundo hæc *Tempora quatuor conjuncta fuerunt cum insignibus Status Mundi aut Ecclesiæ mutationibus*; ut adeo hæc *Tempora*, sive *Casus* illustriores, qui in ea inciderent, tanquam aliorum Casuum Bases & Fundamenta considerari queant. quod ut distincte probem, opus non est, cum res per se loquatur. Primus Casus Diluvii, si quis alius notabilis, finem dedit *Mundo Veteri*, & *initi-*

terra novo, eſtque immutatio rerum; quæ hoc tempore accidit, merito tanta viſa Petro, ut inde arguat adverſus *irriſores*, *ex quo die Patres obdormierunt* OMNIA *non* διαμεμενηκέναι οὕτω ITA *permanſiſſe*, (in *eodem* perſeveraſſe *ſtatu*) *ab initio creationis*, 2 *Ep.* III. 4. Alter horum *Eventuum*, qui eſt LIBERATIONIS *Abrahamidarum ex Ægypto*, novam Eccleſiæ dedit Oeconomiam, qua, ſtylo Scripturæ, *conditi ſunt* COELI NOVI, *&* TERRA NOVA; *Hag.* II. 7. Tertius omnium illuſtriſſimus, ΕΠΙΦΑΝΕΙΑΣ *Filii Dei* in Mundo; notabilem pariter in Eccleſiam induxit variationem. *Veteri* enim *Cœlo* & *Terra*, hoc eſt, Oeconomiæ Veteri Sinaiticæ, abolitis, ſubſtituti ſunt *Cœli novi*, & *Terra nova*; Oeconomia, inquam, Nova; (*Jer.* XXXI. 32. 33 *Hag.* II. 7. *Heb.* XII. 26.) in qua omnia fere Oracula & Pomiſſa antiqui temporis implementum ſuum conſequuta ſunt, 2 *Cor.* I. 20. Quartum denique *tempus* finem dabit ordini & ſtatui rerum Eccleſiæ in hiſce terris, & omne opus Divinæ Gratiæ ſiſtet in ſumma perfectione poſt ſuperiorum temporum luctam; quando Deus erit *Omnia in omnibus.* Εἶτα τὸ τέλος· TUNC ERIT FINIS. 1 *Cor.* XV 24. Atque hæc quidem ita ſe habent, & rite demonſtrata videntur. Præcipuus tamen uſus hujus *Diviſionis Temporum* pateſcet ex ipſa Prophetiarum contemplatione.

6. Tantum obſervandum hic eſt, inter ipſa

hæc *Quatuor Tempora* illustriora, quæ designavi, illam intercedere proportionem & analogiam, ut *priora* sint *signa posteriorum.* Cum enim Deus *in Christo Jesu fecerit* πρόθεσιν, qua descripsit, atque in ordinem digessit, omnia sua *Molimina* & *Opera*, Fataque & Tempora omnia Mundi atque Ecclesiæ inter se connexit, adeo ut speciem habeant *viæ*, quam Deus sibi proposuerat in exequutione Consiliorum suorum decurrere: fieri nequit, quin *priora tempora posteriorum*, & omnia *tempora priora* signa sint *temporis extremi*, in quo omne opus Dei terminatur, & ἀποτέλεσμα suum consequitur. Ita sane *Constitutio Oeconomia Veteris*, quæ in genere aliorum *Signorum* se habet per modum temporis; si referatur ad *Adventum Christi in Mundum*, merito & necessario ponitur inter *Signa temporum*, quæ *Messiæ* φανέρωσιν *in carne* debebant præcedere. Imo ipse ille *prior Adventus Messiæ* ad visitandos homines, qui *Tempus* facit omnium illustrissimum, respectu *posterioris Adventus Christi Jesu ad Judicium*, est *Signum temporis*, quia Adventus Christi *prior* est *posterioris* prænuncius, *Apoc.* XXII. 12. Estque id plane utile & necessarium observatu, quia Scriptura S. easdem *res*, sive *Casus*, modo *absolute* considerat, modo *relate*; atque adeo *tempora* subinde cum *Signis temporum* confundit.

7. Et tamen verum est, *quatuor* illorum, quæ

quæ designavi, *Temporum* illustrissimum esse TEMPUS MESSIÆ, ad cujus tam *Personæ* quam *Ecclesiæ* sive *Regni* fata pleraque Oracula pertinent. 1 *Pet.* I. 10. 11. *Act.* X. 43. *Huic* OMNES PROPHETÆ *perhibent testimonium; remissionem peccatorum accepturum per nomen ejus, qui in ipsum credit.* *Matth.* XI. 13. OMNES PROPHETÆ, *& ipsa* LEX, *usque ad Joannem prophetarunt.* Sensus est, ab eo præcipue tempore implenda repræsentandaque esse, quæ in *Lege* & *Prophetis* tam promissa erant Ecclesiæ quam prædicta. Hoc tempore OBSIGNARETUR VISIO *& Propheta*, sive *prophetia*, *Dan.* IX. 24. hoc est, *expectatio & mentalis Visio* (*quales sunt Visiones in Somniis & Figuris*) *vertetur in visum oculorum, aut fidem visorum ac narratorum per testes idoneos, &, quod Lex & Prophetæ prophetaverant, id incipiet in rebus ipsis exhiberi.* sic optime eruditus Interpres. *Prophetia obsignatur*, ubi prophetia *desinit*, *finitur*, clauditur; sive, ut Veteres loquebantur, *consistit:* quod locum non habet antequam res ipsæ repræsententur & exhibeantur. usque enim eo manet *prophetia* fulcrum *spei.* ubi res ipsæ præsentes adsunt, & *fides* succedit *spei:* finitur prophetia. implementum enim prophetiæ est ejusdem complementum. quare in futuræ vitæ statu perfecto *προφητεῖαι καταργηθήσονται prophetiæ* ABOLEBUNTUR, 1 *Cor.* XIII. 8. *Hab.* II. 3. VISIO (prophetia) *est ad* STATUTUM TEMPUS, quando illi succederet

נבי INDEX, exhibiturus & demonstraturus implementum. quo pariter referri solet locus *Apoc.* XIX. 10. *Testimonium Jesu est Spiritus Prophetiæ:* sed quem aliter commodius intelligi posse, alibi evici. Id tamen certum & extra dubitationem positum est, *Tempus tertium* cum Fatis atque Eventibus suis esse præcipuum *Objectum* & *Centrum* veluti Prophetiarum. Huc omnia tendunt. Ad hoc *tempus* pleraque alia superiorum temporum *Fata* ut *Signa* ordinantur. QUOT QUOT *enim sunt* PROMISSA DEI, *in Filio Dei Jesu Christo, sunt ita & amen.* 2 *Cor.* I. 20. quod certo & sano sensu de *Oraculis* quoque & *Prophetiis* dici potest. Certe generales Prophetiæ & promissa antiqui temporis fere in hoc magno Mundi atque Ecclesiæ fato terminantur. Et plus etiam veri subest dicto Apostoli: sed quod in præsenti statutum non est enucleare.

8. Atqui id ad primam speciem dici non videtur summa cum ratione. Cum enim omne Opus Dei in *ultimo tempore* demum terminetur & complementum suum consequatur: videbantur potius Prophetæ secundum communis sensus & judicii rationem de extremo tempore, quod omne Opus Domini consummatum reddet, luculenter & copiose vaticinaturi, & cætera levius perstringentes, oculis veluti in ipsum scenæ centrum defixis, in magna illa catastrophe, quæ in Sæculorum finem incidet, describenda plurimum versaturi esse. quod tamen secus se habere videtur. Re-

9. Respondeo, *α.* Prophetas de *posteriore* Christi Domini *adventu* loqui commode non potuisse, nisi prius loquerentur de *priore.* nec potuit vere distincta mentis cogitatione apprehendi *posterior* ille *Adventus Christi Jesu* & *consummatio Saeculorum*, antequam Ecclesia priorem vidisset. ob quam rationem Prophetæ hoc maxime Tempus Oraculis suis illustrarunt, tanquam quod proximum esse suis temporibus, & absque quo cognito nihil intelligi poterat. *β.* A *primo* illo *Adventu Christi in Mundum* & *Oeconomia Ecclesiæ per ipsum instituta* omnia alia, & maxime temporis sequuturi fata dependent, & inter ea ipse ille *posterior Adventus Domini ad judicium* cum Consummatione Sæculorum. Id ipse innuit in Oratione sua coram Synedrio habita *Matth.* XXVI. 64. AB HOC TEMPORE *videbitis Filium hominis sedentem ad dextram potentiæ Dei, & venientem in nubibus cœli.* Aderat nimirum nunc illud tempus quo *Filius hominis* evehendus esset ad summum culmen gloriæ, sibi à Patre decretæ; cujus gloriæ primus gradus cum mediis, & medii cum summo, tam insolubili & indivulso nexu cohærerent, ut in primo medii, in primo & mediis *ultimus* illius *gloriæ gradus* conspici jam & à prudentibus tanquam præsens videri posset. primus enim gloriæ illius gradus ultimum involvebat. perinde ut, cum Salomo Rex

thronum suum *sex* conscenderet *gradibus* (1 *Reg.* x. 19.) qui Regem, in thronum scandentem, in primo videbant gradu, jam cogitatione sua præcerpebant, esse in ultimo. qua de caussa ab initio jam *temporis tertii* illa audita vox est, 1 *Joh.* II. 8. *Ultima hora est.* 1 *Cor.* x. 11. *tempus prope est*, *Apoc.* I. 3. & ipsius Domini, *Apoc.* I. 12. *Ecce* VENIO CITO. Sic est, lapso tempore mundi, & Oeconomiæ novæ, mora videbitur exigua, & nulla vere, comparatione instituta cum Sæculis æternitatis. *Spatium temporis*, inquam cum *Auctore Dialogi de Oratoribus*, *si ad infirmitatem corporum nostrorum referas, fortasse longum videatur: si ad naturam sæculorum, & respectum hujus immensi ævi, perquam breve, & in proximo est.* γ. Nihil certius & verius est, quam Prophetas, ubi de *temporibus Messiæ* vaticinati sunt, præcipue loquutos fuisse de *Regno Messiæ*, qua specie illud se conspiciendum daret Mundo in summa sua perfectione ante *consummationem Sæculorum*, media sæpe cursim & propere transeunt. in felicitate novissimi hujus temporis ad vivum depingenda potissimum exultant. *Act.* III. 21. *Apoc.* x. 7. cum XI. 15.

CAP.

CAP. III.

De TEMPORE PRIMO, ejusque SIGNIS.

PRIMUM TEMPUS, ad quod *Signa* aliqua ordinantur in Verbo Prophetico, est *perditi destructique primi Mundi per* DILUVIUM. Casus est tam tristis quam memorabilis; catastrophe quædam universalis; exemplum tremendi Dei judicii, quod finem dedit Mundo Veteri, & ortum Novo. Docet enim historia, quæ in Monumentis Mosaicis conservata est *Gen.* VI. VII. VIII. in *primum Mundum*, sive *hujus terræ Orbem*, postquam per aliquot sæcula à natalibus suis quo erat conditus statu durasset, inductum esse à Deo *Diluvium* ejusmodi, quod totum submerserit, & quicquid in eo hominum erat & animantium terrestrium ac cœlestium (his exceptis qui cum Noa Patriarcha servati sunt in *Arca*) universali quadam & terribili strage extinxerit. Hanc nimirum vindictam poscebant Divinæ justitiæ rationes, dum invalescens & insanabilis corruptio prius inundasset Mundum, quam aquæ è suis cataractis missæ per ruptis repagulis, corruptos. *Omnis* enim *caro corruperat viam suam*, & quod intra

Cainitas hactenus steterat exemplum impietatis, ipsum quoque invaserat *semen sanctum*, & maximam jam ejus partem à tramite recti abduxerat. Abnegata spe melioris vitæ, exũto metu Divini Judicii, & honesti repulsa conscientia, fræna laxabantur cupiditati, & securitati. fas & nefas permiscebantur. vis & tyrannis tenebant locum juris. spernebantur salutaria sanctorum Patriarcharum & Prophetarum consilia & monita, &, quod alibi eleganter Tacitus, *ridebantur vitia, & corrumpere ac corrumpi seculum erat*. Sic periit primus mundus.

2. De hoc tam memorabili *Casu* silere non potuerunt *Prophetæ*, si qui illo tempore vixerint, nec tacitum præterire Eventum tam singularem quam funestum impiis, de quo nemo absque horrore cogitet. Quin probabile est, illos, si qui extiterint, non tantum de terribili hoc Dei Judicio esse vaticinatos, sed & *Signa temporum*, quæ illud præcederent, notasse. Hæc enim Divinæ Providentiæ lex est æterna, in æquitate & bonitate ejus fundata, antequam Justitiæ suæ decreta exequatur, peccatores monere officii, & per *gradus* quosdam, futuri præsagos, & per intervalla & spiramenta temporum, lento pede post patientiam frustra longo tempore exercitam (1 *Pet.* III. 20.) ad extrema tendere.

3. Et certe extitisse *Prophetas* hoc intervallo,

lo, quod à *Mundi conditu* ad *Diluvium* fluxit, 1655 annis inclusum, nemo in dubium vocet, qui sacri Codicis veneratur auctoritatem. Judas enim exerte Enochum, ab Adamo septimum, *prophetasse*, ait, ℣ſ. 14. 15. Cæterorum autem Patriarcharum, Setho prognatorum, idem erat character, eadem conditio. Erant enim *Præcones Publici justitiæ*, qui *cum Deo ambulabant*, ejusque familiari gaudebant commercio in illa mundi infantia, & *in quibus erat Spiritus Christi*, 1 *Pet*. III. 18. 19. qui per eos Mundum illius temporis *redarguebat*, *Gen*. VI. 2. 2 *Pet*. II. 5. Lamechum *Prophetam* fuisse, liquet ex *Gen*. V. 28. 29. Noam pariter, filium ejus, Divinis revelationibus honestatum fuisse, ejus prodit historia. Nec est quod miremur, Spiritum Dei in *casta* illa *pectora*, *nullis contacta vitiis*, *influxisse*.

4. Nec siluerunt Prophetæ illi Antediluviani de *primo* hoc *Tempore*, sive de *Fatali* illo *Casu* Divini Judicii qui illud comitaretur, & primum Mundum involveret exitio. Nempe si *Revelationes Divinas* & *Prædictiones* Prophetarum Antediluvianorum consideremus: deprehendemus duplex earum esse *Objectum*; hoc est, vel spectasse illustria *Fata temporis tertii*, hoc est, *Messiæ*, & *Beneficiorum* ab ipso in Mundum conferendorum: quod huc hactenus non pertinet: vel *Fatum* hoc notabile *Temporis primi*, sive *Diluvii instantis*, quo Deus vindictam sumeret de carnalibus & profanis Verbi sui & spei me-

tusque futuri irrisoribus, qui orbem jam, qua habitatus erat, repleverant. Et hoc certe non est dubium quin vulgatius & communius fuerit. Non est enim probabile, Spiritum S. per Prophetas loquentem Eventum tam memorabilem, proxime imminentem, esse neglecturum, & de remotioribus Casibus, licet illustribus, tantum vaticinaturum esse. Sed non subsistit hic oratio nostra in probabili. Certa demonstratio est ejus quod anticipavi in ipso Dei Verbo, & temporis illius historia.

5. Primo utique id exerte monemur *Gen.* VI. 3. his verbis, Deo in historia adscriptis: SPIRITUS MEUS *non semper* CONTENDET CUM HOMINE, *eo quod ipse caro sit.* Locus est, si quis alius, dignus animadversione, à cujus genuino sensu Vetus Versio Græca, ab Hieronymo non emendata, Interpretes antiqui temporis abduxit. nec est tamen ille obscurus vel dubius, quantumlibet ab ingeniis doctissimorum hominum, forte studio non optimo, depravatus; sed clarus & simplex. *Spiritus Dei* est *Spiritus* qui *est* & operatur *in Prophetis*, 1 *Pet.* I. 11. cujus Spiritus est רין ἐλέγχειν, arguere, convincere homines de *peccatis*, *Joh.* XVI. 8. & cum iis hac de re disputare, disceptare, *litigare*, contendere, *Jes.* V. 1. 2. *Jer.* XXV. 31. *Hos.* IV. 1. proprie *judicare* hominis conscientiam per Prophetarum & Doctorum

ctorum Publicorum præconia. ad quam *convictionem* pertinet vel maxime denunciatio Divini judicii, quod effugere non poterunt peccatores, si in vitiis suis & pessimo vitæ instituto perseverent. unde certo colligimus, Prophetas illos Antediluvianos de hoc terribili Dei judicio esse vaticinatos. Imo patet id ex hoc ipso loco, dum dicitur; *Non* SEMPER *contendet Spiritus meus cum homine, sed constitui dies ejus* 120 *annos.* nempe usque quo *tremendum* illud judicium, de quo ipsi loquebantur *Prophetæ*, & *qui in iis erat Spiritus*, vulgaretur.

6. Secundo occurrit hic notabilis prophetia *Enochi*, de qua Judas *Epist. vers.* 14. 15. Describit ille profanos & impios homines sui temporis, qui Christianam religionem adulterabant, & singulari cum vafritie & malignitate ingenii, simplicitati credentium illudentes, carnalem reddebant ex spirituali; quibus ille ob oculos ponit justum Dei judicium, olim hæc & similia scelera, Divinam provocantia severitatem, insigniter vindicaturum; de quo ipse: PROPHETAVIT AUTEM DE ISTIS *septimus ab Adamo* ENOCHUS, *dicens: Ecce venit Dominus cum sanctis myriadibus suis, ut judicium instituat adversus omnes, & redarguat quicunque ex ipsis sunt impii, de factis omnibus, quæ impie patrarunt, deque omnibus duris, quæ loquuti fuerint adversus illum peccatores impii.* Non

quæ,

quæro nunc solicite, unde hanc prophetiam petierit Judas, cum in monumentis Mosaicis non extet. Dici tamen potest, ut arbitror, vidisse Apostolum Domini *in Spiritu* id ipsum, quod hic de Enocho consignat, involute contineri testimonio illo honorifico, quo historia sacra Enochum ornat; *ambulasse illum perenniter* CUM DEO, *Gen.* v. 24. coll. cum *Gen* VI 3. ubi *Spiritus Dei*, qui fuit in Patriarchis, dicitur *judicasse* homines primi mundi corruptos, ut modo vidimus. Qui enim ita affecti erant Patriarchæ, ut, Mundo mortalium in *partes* scisso, *sectarentur partes Dei*, ejusque agerent & defenderent caussam *sectamque*, idque publice profiterentur & præ se ferrent; cum *Prophetæ* essent, & publici *præcones justitiæ*, quæ obtinetur *ex gratia* per fidem, conjunctam cum sincero sanctimoniæ studio: non potuerunt non damnare, non *factis* tantum, sed & *verbis*, corruptos Cainitarum mores, *proposito iis terribili Dei judicio*, suo tempore indubitato protrahendo in lucem cum impiorum perditione inevitabili. Sic solent Prophetæ, docetque ratio, ad persuadendam pœnitentiam & emendationem morum non posse aliunde argumentum peti certius quam à τῷ φόβῳ τοῦ Κυρίου *terrore Domini*, 2 *Cor.* v. 11. Id vidit Judas in Spiritu; quin idem nos quoque videmus, & ex iisdem principiis recte colligeremus, si forte etiam Judas nos de eo non monuisset.

nuisset. Quod autem Judas ait, Enochum vaticinatum esse de judicio, quod manet *profanos* illos & *impios*, de quibus ipse loquitur: sic accipiendum est, ut existimemus, argumentum Concionum Propheticarum Enochi fuisse generale. Declamavit ille in vitia hominum sui temporis ut *Propheta* & *Præco justitiæ*, docuitque carnales & impios homines, quantumvis summa sit Dei patientia, effugere tamen ipsos non posse severitatem Divini judicii, magna cum majestate suo tempore revelandi & per Angelos executioni mandandi. Id judicium Enochus prævidit in Spiritu, & hominibus sui temporis primum prænunciavit; deinde etiam hominibus omnium temporum, ejusdem indolis: quare Judas hanc prophetiam ad similis ingenii homines sui temporis recte applicuit. Sed, ut dixi, de hominibus primi Mundi primo loco intelligenda est.

7. Tertio loco huc referendum est quoque κατὰ τὸ γράμμα vaticinium Lamechi de filio suo *Nôa*, quod mystice & in vera sua emphasi ad *tertium tempus* pertinet, *Gen.* v. 29. HIC *nos consolabitur de operibus nostris, & dolore manuum nostrarum, & de terra cui maledixit Dominus.* Nempe prævidit & prædixit Vir sanctus, à Spiritu instinctus, Mundum tempore Noæ Filii sui purgatum iri à fæce scelerum & flagitiorum per notabile aliquod Dei judicium, quo impii & profani interirent;

rent; & Noam, Filium suum, visurum esse *Mundum novum*, inquinamentis humanæ malitiæ liberatum, & hoc nomine gesturum esse typum Messiæ, veram consolationem adversus peccata, & peccati effecta, præstituri; *remissionem*, inquam, *peccatorum*, cum gratia veræ *sanctimoniæ*, cujus ipse in *Mundo novo* auctor, præco, exemplum esset.

8. Noah ipse insequutus Parentem, ejusdemque premens vestigia, Propheta & *præco justitiæ*, (2 *Pet.* II. 5.) idem prosequutus est argumentum *Concionibus* suis *Pœnitentialibus*; quibus homines sui temporis à vitiis revocare nisus est ad emendatius vitæ institutum; idque satis patet ex loco, quem modo explicabam, *Gen* VI. 3. Huc respexit Petrus, 1 *Ep.* III. 19. in loco vexato quidem & varios ingenii lusus experto, sed minime obscuri & remoti sensus. Verba Apostoli sunt: *Per quem*, (*Spiritum* quo Christus *vivificatus est*) *etiam spiritibus qui sunt in carcere profectus prædicavit; qui olim immorigeri fuerunt cum semel expectaret ille Dei patiens animus in diebus Noa cum construeretur Arca.* Sententii loci est, eam *Rem* quæ SPIRITUS ÆTERNUS dicitur in *Christo*, præstantiorem ejus & Divinam Partem, quæ eadem aliquando vocatur *Spiritus Dei*, *quasi relictis cœlis*, *prodiisse* in terram, & olim afflasse *Noam* qui à Divino hoc Spiritu actus & instinctus valide de-

declamaverit in vitia sui temporis; & de *instante Diluvio* monuerit homines illos, quorum *spiritus* nunc sunt *in carcere*, hoc est, circumscripti *loco* & *statu*, unde non poterunt evadere & in quo expectant judicium novissimum. est enim *carcer* hic idem quod ᾅδης *status mortis*, & *locus animarum*, à corporibus separatarum; imprimis impiorum, qui contradistinguitur *Sinui Abrahami*, *Luc.* XVI. 23. Hebræis metaphorice מסגר *Locus conclusus*, *carcer*. *Ps.* CXLII. 8. *Jes.* XXIV. 22. Verba Petri continent paraphrasin loci *Gen.* VI. 3. modo explicati, idque passim Interpretes quoque illi observarunt, qui nec Petrina hæc nec Mosaica recte acceperunt. Laudem hic maximam meretur diligentia Bezæ, & qui eum sequutus est interpretationemque ejus docte adstruxit, Davidis Clerici, in *Quæstionibus Sacris*.

De SIGNIS *hujus Temporis*.

9. Vidimus de *Tempore primo*. restat dispiciamus de illius SIGNIS: nisi forte cui paradoxum videatur ea investigare in tanta prophetiarum de hoc *Tempore* paucitate. Nec tamen dubitamus ulli, quin Prophetæ horum temporum illa ostenderint. *Spiritus* enim *Dei* non demonstrat tantum *tempora*, sed & *temporum qualitates*, *successiones*, *spatia*, & *terminos*;

minos; sive eadem præcise definiat, sive rudiore modo, & ἐν πλάτει. Prophetæ, quod Petrus ait, *scrutantur*, in QUOD & QUALE *tempus* Casus atque Eventus rerum majores incidere debeant. Quin licet de *Signis* hujus ipsius *temporis*, quod modò descripsimus, tum ex Scriptura, tum ex ratione probabili certi quid statuere: etsi in cæteris *temporibus*, *tertio*, inquam, & *quarto*, latior nobis pateat excurrendi campus.

10. Et *primo* quidem Spiritus Dei prædixit & præfinivit, *judicium Dei* in improbos primi Mundi vulgandum esse sub *Noa*, Lamechi Filio. Id enim non dubie colligi poterat ex Oraculo illo, quod per Lamechum Parentem Noæ in natalibus filii editum est, *Gen.* v. 29. quod *grammatice* & *typice* de Noa intelligendum esse, omnes consentiunt & res ipsa loquitur. intelligi autem non poterat nisi hoc sensu, tempore Noæ Mundum expurgandum esse sceleribus & flagitiis suis, & instaurandum in melius. Quando enim Lamechus dixit: HIC *nos consolabitur de operibus nostris*, *&c.* digito monstrans Filium suum Noam: necesse est hæc verba sic intelligi, ut implementum aliquod hujus prophetiæ in ipso Noa ostendi possit. quod quale sit intelligi nequit nisi nostra hac admissa hypothesi. unde sequitur, NOAM fuisse PRIMUM hujus Temporis SIGNUM, à Deo editum, ut sancti

cti intelligerent, *Judicium* hoc Dei terribile *sub Noa*, (ipso vivo & superstite, Patriarcharum Principe) manifestum evasurum esse. Quid? à Natalibus Noæ usque ad *Diluvium* lapsi sunt *anni sexcenti*, *Gen.* VII. II. Ergo *annis* ante hunc Eventum *sexcentis* Deus jam monuit impios de hoc tristi Fato judiciali, longo post tempore demum producendo in lucem.

II. *Alterum Signum* hujus *Temporis* clarissime expressum est *cap.* VI. 3. CENTUM & VIGINTI ANNI, quibus Spiritus per Noam publice declaravit circumscriptum fore *tempus Divinæ patientiæ* usque ad exequutionem terribilis Dei judicii, si mundus degener & impius officio pœnitentiæ interea deesset. Certe judicium Dei ante decursum hujus temporis non erat vulgandum, quantumvis malitia mortalium jam ad summum crevisset. Verba historiæ: *Non contendet Spiritus meus cum homine*, (sive etiam, *in homine*) *in æternum*, *eo quod ipse caro est*; & ERUNT DIES EJUS CXX ANNI. Non tango nunc quæ Scaliger ex his verbis pro suo *Sæculo Patriarchali*, quod ipse דור appellari censuit stylo Scripturæ S. disputavit. Si cæteræ Scaligeri hypotheses recte se habeant, & aliunde nullis urgeantur difficultatibus: facile patior, illum εὑρήματι suo *Sari Periodici*, sive *magni Mensis Sæcularis*, Chaldæis recepti, gaudere,

(quis enim illi neget doctæ inventionis laudem?) modo certam & sanam hujus loci interpretationem non conturbet aut pervertat. Certus enim & sanus huic loco hic subest sensus; hactenus Patriarchas eosdemque Prophetas de imminente Dei judicio ita esse vaticinatos, ut terminum temporis Divinæ Longanimitatis accurate non definiverint, tanquam sibi à Deo nondum revelatum; sed ab hoc tempore Deum φανερῶς *aperte* declarare, se longanimitatem suam ultra tempus cxx annorum non esse protracturum, quippe quod Noæ, *præconi justitiæ*, hoc articulo temporis significaverat. Certe vel de *duratione humanæ vitæ* accipiendus est locus, vel de *duratione temporis Divinæ Longanimitatis*. Prius manifeste refellit historia Patriarchalis, & falso dicitur, ævum humanum esse ab hoc tempore circumscriptum cxx *annis*. Posterius itaque, quod nos contendimus, eligendum est. Idem proinde est quod Petrus ait, 1 *Ep.* III. 20. hunc respiciens locum, τὴν μακροθυμίαν τοῦ Θεοῦ *patientem Dei animum in diebus Noæ expectasse* hominum rebellium pœnitentiam. Quod si jam aliunde constaret, aut probabile habeatur, Patriarchis in usu fuisse aliquem *Sarum Periodicum* sive *Secularem Mensem* cxx *annorum*: posset illuc respici, licet *ævi humani durationem* Deus hic neutiquam definiverit. Summa est, pios, qui supererant exiguo numero, scire potuisse ex

hoc

hoc *signo*, quanto spatio Divina μακροθυμία ab hoc tempore includeretur.

12. *Tertium Signum* hujus *Temporis primi* fuit FABRICATIO ARCÆ, εἰς μαρτύριον τοῖς ἀσεβέσι *in testimonium impiis*, & *spem* Noæ ac *servandorum* ex domo ejus. Certe Scriptor *Epistola ad Hebraos* ait, *Noam*, χρηματισθέντα *Divinitus admonitum de iis qua nondum videbantur*, εὐλαβηθέντα *metu religioso correptum construxisse arcam in salutem domus sua* & *per eam* CONDEMNASSE MUNDUM, *cap.* XI. 7. Comparanda est historia Mosaica, *Gen.* VI. 12. 13. Utique ex *fabrica Arca* colligi poterat, & per eam Spiritus *Mundum impiorum* publice monebat, testabaturque, α. Deum impietatem humani generis puniturum esse per *aquam*, sive *Diluvium* aliquod *Universale*; non per *ignem* aut quem modum alium, qui Divinæ Justitiæ visus esset commodior. Id huc usque revelatum non erat à Deo, sed inde ab hoc tempore omnibus ex *Signo Arca* posset innotescere; sive ad hunc Præmonitum Divinum reverenter adverterent animum, sive quod impii & profani solent, eum spernerent & irriderent. Certe *Arca* iis erat *testimonio* & *signo* quod publice ostentabatur, in *terrorem impiorum*, & piorum spem ac consolationem. β. Judicium illud Domini brevi esse protrudendum in lucem, & instare exequutionem tristis decreti Divinæ Justitiæ. quo quoque

pertinent verba Domini ad Noam, *cap.* VI. 13. FINIS *omnis carnis venit coram me*, h. e. nunc adest. Et velim tamen ea dextre intelligi: non ita sane acsi Deus hic designaret *extremum* illud *tempus*, quod Diluvium proxime & veluti immediate præcessit; sed in *quadam latitudine*, stylo Scripturæ, ut sensus sit, *instare* nunc illud tempus quo judicium Divinum manifestum fieret, etiamsi adhuc forte per menses, aut etiam per annos aliquot, abesset à termino. Plane enim mihi persuadeo, Noam *construenda Arca* bene longum tempus se occupatum habuisse: non tantum quod fabrica esset sui generis nova, eademque magnæ molis, & insoliti, ut videtur, operis; & reliquus Arcæ apparatus ingentem requireret curam: sed hac etiam de caussa, ut tempus laboris longius protrahendo, commodam inde captaret occasionem *signum* hoc identidem de novo objiciendi & ostentandi impiis ac profanis hominibus, quo altius animis istorum infixum sederet, & seria meditatio venturæ Dei iræ, de qua hoc *signo* monebantur, ipsos permoveret ad resipiscentiam; & favet huic sententiæ Petrus 1 *Ep.* III. 20. Accessit tandem ingressus Noæ in Arcam *septiduo* ante *Diluvium*, *cap.* VI. 1. 4. quod extremum idque manifestissimum erat *Signum Judicii* proxime imminentis, & jam ipsis impiorum capitibus veluti impenden-

tis. Brevi nunc rumperetur cœlum ingenti cum fragore, & irrisores prosterneret; brevi terra abyssos & sinus suos interiores detegeret, ad extinguendas noxiæ cupiditatis flammas.

13. Atqui hæc *Signa Temporis primi* collegimus ex prophetia, sive *verbali*, sive *reali*, quæ conservata est in historia; quorum respectu id falsum esse deprehendimus, quod alterius generis Vates alibi cecinit:

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus.

Sed licet etiam præterea aliud colligere ex ratione ipsa, comparata cum constante ductu atque ordine *viarum Dei*, hoc est, suetis Divinæ Providentiæ rationibus. Nempe cum Prophetæ & sancti viderent invalescere corruptionem, non tantum inter Cainitas, sed in ipso etiam sancto semine Sethitarum: haud dubie ex hoc *signo* clarissime illi intellexerunt, & sano cum judicio collegerunt, quod ex re ipsa manifestum est, differri non potuisse Dei judicium. Sic capiendus locus *Gen.* VI. 3. *Spiritus meus non semper contendet cum homine*, בשגם הוא בשר *eo quod & ipse caro est.* quod non *Cainitæ* tantum, sed & *Sethitæ* sectarentur corruptos Sæculi sui mores, nec minus quam hi se effunderent in omnem libidinem sceleris, *refractis*, ut alibi Plinius, *pudoris & reverentiæ claustris.* Recte itaque inter *Signa* hujus Temporis primi recen-

sebimus *Corruptionem Sethitarum*, & *inquinationem seminis sancti*; quæ cum observaretu à prudentibus scrutatoribus viarum Dei, qui supererant: scire & indubitato prædicere poterant, instare *diem iræ & revelationis justi Dei judicii*. *Gen.* XVIII. 23. 24. seqq. *Ps.* XII. 1. 2. L. 1. 2. *Jes.* LVII. 1. 2. seqq. *Rom.* II. 5. Hæc Lex est Divinæ Providentiæ: Peccatum sequitur pœna; universalem Gentis cujusque corruptionem πανωλεθρία. imprimis si *Ecclesia* misceatur *Mundo*, & ad illius se conformet mores & consuetudinem Sæculi. Prius *indicium* facit *posterioris*, estque exemplorum affatim in omni historia, præcipue *Judaica* novissimi Reipublicæ illius temporis.

CAP. IV.

De TEMPORE SECUNDO, ejusque SIGNIS.

ALTERUM TEMPUS illustre, *Objectum Prophetiarum*, illud est, in quod cadit ἡ ἀπολύτρωσις, REDEMPTIO sive LIBERATIO *Abrahamidarum ex Ægypto*, eamque consequuta PACTIO SINAITICA, quæ *novam* Ecclesiæ dedit *Oeconomiam*, & tam in eam quam Mundum insignem induxit mutationem. Sane Eventum hunc singularem esse ac me-

memorabilem, atque adeo proprium & idoneum *Objectum Prophetiarum*; quis neget? Opus enim illud & Beneficium Dei, quo Israëlis posteros, ex Ægypto ductos, adseruit in Libertatem, fuit Opus magnum, conjunctum cum executione terribilium Dei judiciorum, quorum fama orbem personuit. Adscribitur illud passim in oratione sanctorum hominum *manui Dei robustæ* ac *sublimi*, ejusque *exerto brachio*; quin Deus ipse justitiam potentiamque ac *magnitudinem* suam (*Deut.* III. 24.) & amorem ac fidem erga Ecclesiam, ex hoc Opere æstimari vult, *Exod.* XIII. 3. XIV. 8. XX. 1. *Deut.* IV. 34. *Ps.* CXXXVI. 12. *Jes.* XI. 11. Præter historiam legendæ hic sunt integræ pericopæ Divini Verbi, in quibus beneficii hujus excellentia & magnitudo decantatur, *Psalmi* CV. CVI. CXIV. *Jes.* LXIII. 12. LXIV. 2. 3. Quantæ enim illud Gratiæ beneficium, quantæ Potentiæ Opus, quantæ Exemplum Justitiæ, Jacobi posteros, numerosum equidem sed imbellem & inermem Populum, à longo jam tempore pressum jugo molestissimæ, inhumanæ, & jam desperatæ servitutis, vindicare in libertatem & extorquere manibus ac potestati potentissimi tyranni, bene armati, huic prædæ incubantis, & certi sententia, eam non dimittere! & quidem absque armis, auxiliis, & qualicunque vi externa, *per judicia sui oris!* hostes, jam ante pluribus *malis*,

 cœli-

cœlitus immissis, fractos & prostratos; ad unum omnes mergere undis ejusdem illius maris Arabici, per cujus fundum, nunquam antea detectum, modo semitam straverat Populo suo in ejus salutem! Quid, inquam, quod eundem illum Populum suum *Nube* quadam, præsentiæ suæ symbolo, interdiu texerit & muniverit? de nocte illuminaverit? per incerta vasti deserti circumduxerit; itinera ipse descripserit & metatus fuerit? *pane* cibaverit *cœlesti*; potum subministraverit ex fonte Divini operis? majestate & gloria sua ei affulserit apud Paranis & Sinæ montes? & quæ plura alia. Eleganter Vates Sacer: *Ubi est qui ascendere eos fecit ex mari cum Pastore gregis sui* (Mose)? *ubi est qui posuit in medio ejus Spiritum suum sanctum? qui fecit incedere ad dextram Mosis* BRACHIUM MAGNIFICENTIÆ SUÆ? *qui fidit aquas coram iis ut faceret sibi nomen æternum? qui fecit eos ingredi per abyssos, tanquam equum in deserto, ut non impegerint? tanquam jumentum in planitiem descendit, Spiritus Jehóvæ requiem illi præstitit. sic duxisti populum tuum ut faceres tibi nomen gloriosum.* Nihil dici potest pulchrius & sublimius.

2. Præcipuum tamen illud est in complexu hujus Operis, quod Deus hoc tempore *novam* in Ecclesiam suam induxerit *Oeconomiam*, &, stylo Spiritus S. NOVOS *condiderit* COELOS,

NOVAM TERRAM, *Hag.* II. 7. Rides, quisquis es qui ad Opera Dei contemplanda oculos adfers carnales, corruptum judicium, affectum sinistrum, nec magnum esse putas, quod colluvies rudis populi per Deum aut Mosen acceperit Leges, & formata sit in Rempublicam? Ego id verum esse ajo, quod Vir prudens inter Romanos scripsit, *alia esse clariora, alia majora.* Præsta mihi fidem historiæ, & judicium rectum, & spirituales oculos, & agnosces, rem hic gestam esse *maximam* & memorabilem, licet forte minus *claram* fama Gentium. Populum hunc, quocunque censeatur loco, veram utique Abrahami sobolem, nullis prærogativis externis commendabilem, (*Deut.* VII. 7.) Deus, qui in beneficiis gratiæ sui sibi tantum vult constare rationem arbitrii, sibi elegit *in peculium* ex omnibus Gentibus totius Orbis, instruxitque Legibus *pro illius ratione temporis* bonis, sanctis, utilibus, salubribus, quæ involvebant sanam Doctrinam de *vera Religione*, jam tum apud omnes fere Populos adulteratam, easque partem ipse cum clarissimæ præsentiæ suæ significatione promulgavit, *Deut.* IV. 8. *Neh.* IX. 13. His Legibus Populum rudem, indomitum, ferocis & protervæ indolis, pronum ad idololatriam, nec Dei veri sacrorumque suorum satis adhuc reverentem, veluti *septo inclusit*, (*Gal.* III. 23. 24.) & ab aliis Gentibus hujus terræ *discrevit*, hoc equidem consilio, ut

tabula promissorum Gratia & *vera Religio*, veræque Religionis *Doctrina*, in hac una Gente sincera & incorrupta conservarentur usque ad *meliora* illa mundi *tempora*, quibus ipsi statutum erat *gratiam* suam omnibus explicare Populis. Ergo hoc tempore *Promissioni* accessit LEX, (*Gal.* III. 19.) nomen invidiosum, res salutaris. Ecclesia ex *libera* facta *serva*, (*Gal.* IV. 1. 2.) peperit *liberos ad servitutem*, *Jes.* LIV. 1. Erectus est *paries intergerinus*, *Ephes.* II. 14. seclusæ discretæque *Gentes* à communione Dei verorumque beneficiorum Gratiæ. Mundus, huc usque *unus*, in *duas* divisus est *partes*, quarum altera עם POPULUS, altera לא-עם NON-POPULUS dicta est. Νομοθεσία *Legislatio* ipsa in Ecclesiam intulit ἱερωσύνην *Sacerdotium* (*Heb.* VII. 11.) cum universa *forma* & ordine sacrorum. hoc est illud *Cœlum Ecclesiasticum*, hoc tempore conditum. Hæc omnia *nova* obsignata sunt & κεκύρωται *confirmata* solenni *fœdere*, ad Sinæ & Horebi montem percusso, *mediatore Mose*, cujus ministerio humanum genus *divisum* est, in Christo *redunienium*. *Exod.* XXIV. 4. 5. seqq. *Gal.* III. 19. 20.

3. Imo ne sic quidem magnum hoc Opus Dei complementum & ἀποτέλεσμα suum jam consequutum esse censendum est; sed tum demum, quando Abrahamidæ post longos in Deserto errores tandem per *Iosuam* introducti sunt in terram, Patribus suis promissam, eandem-

demque post devictos hostes sorte divisam occuparunt; plane ita ut hoc beneficium explicatur *Ps.* CXIV. 1. 2. Prophetiæ enim, quæ ad hoc *Tempus* pertinent, modo ad ipsum *Exitum ex Ægypto*, modo ad illius *Complementum*, quod est hæreditaria Canaanææ possessio, referuntur.

4. Hoc autem *Tempus*, hunc *Eventum* notabilem quando facio *Objectum Prophetiarum:* suppono utique, hoc Intervallo temporis, quod interest inter *Iudicium Diluvii* & *Liberationem Populi Dei ex Ægypto*, extitisse *veros Prophetas* aliquos, de quibus nunc agimus. Imo vero extiterunt quos Deus commercio & revelationibus suæ voluntatis extra ordinem est dignatus, & haud dubie plures, quam quorum notitia ad nos pervenit; præcipui tamen in posteris *Semi*, per quos gratiam suam Deus cum humano genere communicatum iri, non obscure declaraverat. Nec dubium quin inter illos fuerint Viri eximii, etsi brevitas historiæ singulorum gesta & eventus excludat. Sed certa fides est de Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Josepho, quippe quos Deus ipse, de Abrahamo loquens ad Abimelechum, honorifico hoc testimonio ornat, *Gen.* XX. 7. *Redde huic homini uxorem, quia* PROPHETA (נביא) *est, & deprecabitur pro te.* Quod de uno dicitur, de omnibus dictum accipiamus. Fuit enim eadem omnibus conditio, ratio vitæ

ea-

eadem. quo alludens Vates Sacer *Ps.* cv. 15. hanc Deo vocem tribuit: *Ne attingite* UNCTOS *meos*, (dictum veluti ad Canaanæos Reges:) *&* PROPHETAS *meos injuria ne afficite.* *Prophetæ* UNCTI, sic appellati, summi fuerunt ordinis, & magnæ auctoritatis, Divina electione evocati è mundo, ut in re gravissima Deo servirent, ejusque exciperent Oracula. Quam illud Abrahamo honestum & gloriosum, quod de ipso Dominus *Gen.* XVIII. 17. *Num celabo Abrahamum quod factum eo?* Nempe Abrahamus erat *amicus Dei*, *Iac.* II. 23. amicus autem amico consilia sua explicat, nihil magni operis clam ipso efficit, *Ioh.* XV. 15. Sed gratia Dei his limitibus hactenus non erat circumscripta: diffundebatur ad plures. Liquet ex exemplo *Melchizedeki*, Viri singularis, & *Deo probati*, tam *Prophetæ* quam *Regis* & *Pontificis*, (ut nimirum in omni officio suo *Filium Dei* adumbraret:) & ex speciminibus *Somniorum*, quibus Deus interstitio hujus temporis voluntatem suam manifestam fecit quibuscunque hominibus, quos è re erat in quibusdam casibus & circumstantiis de ea edoceri, ut historia prodit. Jobus autem, Elihu, & principes illi Viri, qui ad Jobum consolandum convenerunt hac ipsa, ut videtur, temporis *Periodo*, si *Prophetæ* non sint dicendi: fuerunt certe Viri magni, sapientes, illustres, mysteriorum veræ fidei solida imbuti intelligentia, sublimia cogitantes,

& co-

& cogitata sua pulchre ac graviter explicantes. Nec tamen nescio ego, & nego, esse hoc Opus Libri *Jobi* temporis aliquanto posterioris, sed cujus *materiam* nihilominus recte statuimus ex monumentis antiqui ævi depromptam esse.

5. His positis admissisque, observo, Prophetas hujus Periodi de memorabili hoc *Tempore* tam *Iudicii* quam *Beneficii* Divini, quo vindicandus erat Populus *Dei* è manu sævi & potentis Tyranni, ducendusque in *terram*, sibi promissam, cum immutata Ecclesiæ Oeconomia, esse vaticinatos, & hujus *Temporis Signa* à Deo edita fuisse in *Oraculis*. Casus enim nimis fuit insignis, quam ut præteriri potuerit. Estne res parva, *cælos novos & terram condi novam?* Nullum hoc majus phænomenon habet natura; nullum illustrius Ecclesia. Merito itaque Prophetæ, ora solventes sua vel soluti à Spiritu, memorabilem hunc Eventum præcinuerunt. Sed res ipsa demonstranda est, & *Prophetiæ* de hoc *Tempore*, dein *Signa* hujus *Temporis* indicanda.

6. Prima, eaque luculenta, de hoc *Tempore* prophetia est Noæ, *Gen.* IX. 25. *Et dixit*: MALEDICTUS SIT CANAAN; *sit servus servorum fratribus suis. Benedictus Iehova* DEUS SEMI, *&* SIT CANAAN EI IN SERVUM. Oraculum hoc non allego, ut illud explicem, sed ad scopum, quem mihi nunc propositum habeo, applicem. Suppono itaque hic, quod nemo mihi

hi negaverit; prophetiam hanc, *quod ad partem ejus priorem* quæ nunc solà ad me spectat, implementum suum consequutam esse, quando *Canaanitæ*, *Canaanis* Chamo orti, posteri, qui insederant *Palæstinam*, terram Abrahamo promissam, vel bello victi ab Israëlitis Semo & Abrahamo oriundis, duce Josuâ; & magna strage deleti in terra Canaanæa pœnas dederunt Divinæ Justitiæ; vel terra illa expulsi; vel *Jacobidis* in perpetuum servili conditione subjecti sunt, ut exemplum est in Gibeonitis. Prævidebat itaque Noa *in Spiritu*, fore ut Orbis hujus terræ dividatur inter filios suos, eorumque posteros; Palæstina occupetur à *Canaanitis*, *Chamo* prognatis; & ut *Israëlitæ*, progenies Semi, terram illam, jam olim sibi destinatam hæreditatem, Divino jussu, vi armatâ ingressi, sibi vindicent, postquam Canaanis posteros magnis affecissent cladibus. Hic primus est sensus hujus Oraculi, qua parte me nunc respicit. altius enim quid & sublimius in eo involutum esse, non nego; sed quod hoc tempore non attingo.

7. Secundò pertinent huc omnes Revelationes Abrahamo & Patriarchis, ejus successoribus, factæ de *Terra Canaanea* à posteris eorum possidenda ex *Testamento Divino*, quod Scriptura *Vetus* appellat, quod Deus ipse jurejurando caverat certo & definito tempore mandandum esse executioni. *Gen.* XII. 7. XIII. 15. XV. 18. *Die illo pepigit Jehova fœdus cum Abrahamo dicens:*

SEMI-

SEMINI TUO DABO TERRAM HANC *à fluvio Ægypti usque ad flumen magnum Euphratem.*

8. Tertio Carmen illud Fatidicum, quo Jacobus senex, morti proximus, Liberorum posterorumque suorum Fata complexus est & descripsit, quod integrum exhibetur *Capite nono & quadragesimo Geneseos*, huic prophetiarum classi adscribendum est. Sunt in eo, quod non negem, quæ *Tempus tertium* sibi vindicat. longius enim excurrit in paucis quibusdam pericopis. sed præcipuum *Carminis* illius *Prophetici* argumentum est, prænuncium futurorum, quæ in ipsa Canaanæa, postquam inter tribus divisa esset, acciderent. Adeo pius Senex, licet jam in Ægyptum cum familia sua translatus, & ibidem florens, spem tamen omnem suam in implementum maximorum promissorum, sibi majoribusque suis à Deo datorum, quorum servabat tabulas, defixerat, præstititque illi Deus hanc gratiam, ut sortem posteritatis suæ in futurum quasi præsentem ante obitum intueretur.

9. Quarto denique reticendum non est Oraculum clarissimum de eodem hoc illustri Eventu, quo Josephus, urgentibus vitæ extremis, Liberos, nepotes, consanguineos, affatus est, consignaturus Testamentariæ Voluntatis suæ mandata, *Gen.* L. 24. *Fatum quidem meum nunc instat: sed Deus vos certissime visitabit, facietque, ut ex hac terra ascendatis in terram,*

quam

quam jurejurando pactus est se daturum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo. Hæc, si quæ alia, liquida est prophetia, vel confessio fidei Patriarchalis. Hic, inquam, prænunciatur illustris ille Casus, à quo cætera omnia dependebant. Fata enim Veteris & Novæ Oeconomiæ eum in modum cohærent, ut altera pendeant ab alteris, altera alteris sint involuta, &, quod rectius dico, priora posteriora trahant.

De *Signis* hujus *Temporis*.

10. Atqui hæc carptim de *Tempore* ipso. Videndum nunc de SIGNIS hujus TEMPORIS, Casibus nimirum & Eventibus, ex quibus intelligere posset Abrahamus ejusque posteri, *quo & quali tempore* magnum illud *Beneficium*, Genti suæ promissum, repræsentandum esset; ne spes vaga esset & incerta, sed firmiore fundamento subnixa, & suis circumscripta limitibus. etsi enim longa via est: perjucundum tamen accidit, terminum scire; & ex ejus comparatione metiri profectum. *Signa* autem hujus *Temporis* vel *directe* huc referuntur, clara scilicet & evidentia; vel *indirecte*. quod in *Temporibus*, quæ sequuntur, perinde observari velim.

11. *Signa*, quæ huic *Tempori* directe aptantur, omnia fere simul recensentur, clarissimo loco, *Gen.* XV. 13. 14. 15. Sunt autem,

a. QUA-

a. QUADRINGENTI ANNI *peregrinationis Seminis Abrahami in terra, non sua,* hoc est, in Canaane & Ægypto, qui inciperent circa tempus *nati Isaaci,* & finirentur in ipso *Exitu ex Ægypto.* Verba χρησμολογίας ipsa: *Certo scias,* SEMEN TUUM *peregrinum fore in terra non sua .... per* QUADRINGENTOS ANNOS. Non potuit Abrahamus initium hujus temporis ducere ab alia Epocha quam à natalibus Filii sui *Isaaci,* in quo *censendum erat ipsius semen, Gen.* XXI. 12. *semen,* inquam, illud cui destinata erat *hæreditas Canaanæa,* de qua hic mentio. atqui à *nato Isaaco* usque ad *Liberationem* posterorum ejus *ex Ægypto,* fluxerunt, ex nostra hypothesi, Anni 405. Inter *Exitum* enim Patris ejus ex *Ure* & *Exitum* nepotum ejus *ex Ægypto* intercesserunt anni CCCCXXX, secundum antiquam interpretationem loci *Exod.* XII. 40. Erat autem Patriarcha cum *exiret Charane,* natus LXXV *annos, Gen.* XII. 4. qui idem annus nobis supponitur esse *Exitus ex Ure. anno* vero ætatis *centesimo* suscepit *Isaacum, Gen.* XXI. 5. Quod si vero supponas, Abrahamum egressum esse *Urem* Anno ætatis LXX, & per *quinquennium* moratum esse *Charane* usque ad obitum Patris sui *Thera:* (quam hypothesin pluribus Chronologis receptam esse, constat:) præcise lapsi fuerint *à nato Isaaco* usque ad *Exitum ex Ægypto* Anni CCCC. Sed nihil vitii est, si dicas, fluxisse CCCCV, hoc est, *quinquennium* amplius. poterat

enim exigua mora *quinquennii* hic absque incommodo ullo negligi, & omnino sufficere, si spatium hoc temporis *numero rotundo* comprehenderetur. Cæterum erat hoc *Signum* omnium clarissimum, poteratque valide sustinere spem prosapiæ Patriarchalis, in cujus manibus erant *tabula* horum promissorum.

β. SERVITUS & AFFLICTIO *posterorum Abrahami in terra non sua*, quippe in qua *servitute* & *afflictione* hi anni CCCC terminarentur. Sic habent verba Divini Oraculi: *Erit semen tuum peregrinum in terra non sua, &* SERVIENT ILLIS, *&* AFFLIGENT EOS, *per* CCCC *annos*. vult dicere, illos CCCC *annos* terminatum iri in *servitute* & *afflictione*. incidenda enim est sententia post voces, *affligent eos*, quod recte fecerunt Masorethæ. quippe spatium CCCC *annorum* ἀμέσως cohæret cum *peregrinatione in terra* NON SUA, h. e. tam *Canaanea*, quam *Ægypto* in qua *peregrinatio* complementum suum acciperet. Pertinet id, ut quisque videt, ad temporis *qualitatem*. Ergo quando Israëlitæ observabant, se post excessum Josephi ab Ægyptiis gravius premi & affligi, & haberi conditione servili; expectare poterant *Liberationem*.

γ. QUARTA GENERATIO *eorum, qui cum Jacobo venerunt in Ægyptum*. Sic ferunt verba τοῦ χρηματισμοῦ, ℣. 16. *Et* QUARTA GENERATIO *huc revertetur*. Per *quartam generationem* hic omnino intelligendi sunt *pronepotes* illorum

rum, qui cum Jacobo Patriarcha Ægyptum ingressi sunt. Evincitur illud ex *Tabulis Genealogicis Patriarchalibus*, quarum quotquot in historia *Mosis* & *Chronicorum* integræ conservatæ sunt, docent, *Pronepotes Patriarcharum* Ægyptum egressos esse, eorumque *Liberos* Canaanæam occupasse. Non nescio interim, esse qui per vocem דור *Generatio*, *ætas*, hic *sæculum*, sive (ἑκατοντάδα) *centuriam annorum* intelligi velint. Sed non est illis facile demonstratu, vocem דור *ætas* hac significatione in sacris venire. Nec *sæcula* sive *centuriæ* annorum illo tempore circumscribebant *ætatem mortalium*. Præterea, si hunc sensum Spiritus intendisset; forte dicturus fuisset, non *quartam*, sed *quintam generationem*, (post lapsos nimirum *quadringentos annos*) in Canaanæam reversuram esse, vel *Abrahami semen* בדור חמישי *in quinta generatione* (secundum phrasin *Ps.* CIX. 13.) in Canaanæam rediturum esse. certe id firmavit eventus. Si *generatio* hic sit *sæculum*: non *quarta*, sed *quinta*, repetiit Canaanæam, ut patet ex *Exod.* XII. 40. & ex historia Gentis. Ergo cum Israëlitæ observarent *quartam generationem* (γενεὰν) eorum qui cum Jacobo descenderant in Ægyptum: poterant expectare *Liberationem* & *Reditum* in Canaanæam.

δ. PECCATA AMORRHÆORUM & CANAANITARUM IN SUMMUM AUCTA, & *Divinam provocantia vindictam*. Sic enim statutum

erat Deo secundum Legem suæ Providentiæ, non expellere Canaanitas possessione Patrum, antequam per scelera & flagitia sua, per luxum, libidinem, impietatem, Divinam provocassent punitionem & severitatem. Sic ℣. 16. *Quia nondum perfecta est iniquitas Amorrhæorum usque huc.* Est quædam mensura tam peccatorum hominum quam Patientiæ Divinæ; servatque hunc modum, hanc legem in puniendis hominum erroribus summus Rector, ut Justitiam suam æquet Longanimitati, severitatem temperet clementia, nec minus consideret, quid hominum mereantur vitia, quam quid patientiæ æquitatique suæ in iis ad tempus ferendis conveniat, ut spatium relinqueretur pœnitentiæ.

ε. *Ultimum* denique & proximum *Signum* hujus *Temporis* faciunt JUDICIA DEI CLARISSIMA INTER ÆGYPTIOS, *Liberationem præcessura.* Sic se habent verba Oraculi, ℣. 14. *Et Gentem illam, cui servient illi,* JUDICABO. Prosterneret Deus tremendis judiciis suis *Draconem marinum*, dominantem pro arbitrio ludentemque apud septem alveos divitis Nili, paratum ad deglutiendum *Semen Abrahami*, in cujus manibus erant tabulæ *promissorum Benedictionis* & *Vitæ.* vindicaret innocentiam Populi, tamdiu oppressi, vexatique, faceretque testatum, non lædi impune quos ipse amat. Hoc itaque tempus cum adesset: indubitato colligere poterant pii & prudentes qui inter eos super-

erant,

erant, instare tempus suæ Ἀπολυτρώσεως, & exerere caput. Hæc clara sunt, nec reliquam faciunt difficultatem.

12. Atqui hæc quidem *Signa*, quæ recensui, huic *Tempori directe* aptantur. sunt tamen alia pauca, quæ illuc *indirecte* sive *oblique* pertinent. cujusmodi sunt, α. Prophetia de *summa multiplicatione Seminis Abrahami*, *Gen.* XIII. 16. XV. 5. Terra enim Canaanæa cum possideri non posset & occupari, nisi à magna hominum multitudine: colligi utique inde poterat, expectari non posse implementum Oraculorum de *terra Canaan*, & *Oeconomia Vetere*, antequam *semen Abrahami* excrevisset in fœcundam ac numerosam sobolem, quæ Canaanæam subigere, subactamque colere, & possessionem illam integram in usus suos vertere posset. Hoc incrementum Genti dedit Ægyptus, ex communi Historicorum traditione satu hominum non minus quam proventu fœcunda; favente etiam, veluti præter naturæ legem & modum, Divina providentia, vi promissi Abrahamo dati. Pii itaque & prudentes Viri in posteris Jacobi cum observarent, progeniem Jacobi in Ægypto diffundi in magnam hominum multitudinem; hoc ipso monebantur de instante tempore occupandæ possessionis Canaanææ. β. Refero huc prædictionem, ante implementum vere obscuram, de futura *Josephi* dignitate & honoribus. *Gen.* XXXVII. 5--10. quam eventus docuit;

Ægyptum respicere. Utique cum Jacobus, & integra ejus domus hac occasione in Ægyptum sedes suas transferrent: in mentem iis venire potuit, *Ægyptios* illam esse *Gentem*, in Divino Oraculo consignatam, quæ pronepotes & abnepotes Jacobi, ortu liberos, compingeret in servitutem, & à Deo *severe puniretur*, dum ipsi ejus dextra adsererentur in libertatem. Reliquæ prophetiæ *hujus Intervalli* ad sequentem pertinent *Periodum*, & *tertio Tempori*, ut *Signa*, subordinantur.

CAP. V.

De TEMPORE TERTIO, ejusque SIGNIS.

AD *tertium* tandem pervenimus *Tempus*, omnium nobilissimum, plerisque *Prophetiis* & *Promissis* antecedaneæ Ætatis Mundi atque Ecclesiæ decantatum, celebratum. Imo recte dixerim, & ex sequentibus patebit, *revelata* superiorum temporum, *partite variisque modis* edita in hoc veluti centrum concurrere, huc tendere, hic quiescere. Est itaque nobis accuratius de *Tempore* hoc illustri primo loco videndum, deinde de illius *Signis*.

2. TEMPUS ipsum quod attinet: est insigne memorabilibus Casibus & Eventibus, qui tamen cum inter se cohæreant, ex uno ducuntur principio, quod est APPARITIO FILII DEI

IN MUNDO AD PROCURANDAM HOMINI MISERO SALUTEM, *Gal.* IV. I. I *Tim.* I. 15. I *Petr.* I. 10. sive, si vis, LIBERATIO VERA & antitypica miseri peccatoris è servitute peccati & Legis, potestate Satanæ, & æterni exitii metu, procurata per *sanguinem* Filii Dei, missi in Mundum ad exarmandum Satanam, & satisfaciendum postulato Divinæ Justitiæ; eamque *Liberationem* consequens PACTIO NOVI FOEDERIS repræsentans excellentia beneficia *Gratiæ*, olim promissa, *Remissionis Peccatorum*, *Illuminationis*, *Sanctificationis*, *Libertatis*, *Fiduciæ*, *Lætitiæ*, *Pacis*, *Consolationis*, aliorumque præstantium *Donorum Sancti Spiritus*, certissimi *pignoris Divini amoris*, & *arrhabonis hæreditatis Cœlestis*. Matth. XXVI. 28. *Hic est enim sanguis meus*, NOVI FOEDERIS, *qui pro multis funditur in* REMISSIONEM PECCATORUM. *Luc.* I. 74. *Ut* SINE METU, *è manu inimicorum nostrorum* LIBERATI, *serviamus ipsi*, *cum* SANCTITATE *&* JUSTITIA *in ipsius conspectu omnibus diebus vitæ nostræ*. *Tit.* II. 14. *Qui dedit semet ipsum pro nobis*, *ut nos* REDIMERET *ab omni iniquitate.* I *Pet.* I. 18. *Ut qui sciatis*, *vos non caducis rebus*, *argento vel auro*, FUISSE REDEMTOS *ex vana illa vestra conversatione*, *à patribus tradita*, *sed pretioso* SANGUINE *tanquam agni immaculati & intaminati*, CHRISTI.

3. Eventum igitur hunc si propius inspici-

as, deprehendis esse bipertitum. Pars *Manifestationem Filii Dei* ejusque *Personam*, & *Obedientiam* spectat; Pars *Obedientiæ* & Meriti ejus *Effecta* & *Consequentia*. pars *Christum*, pars *Ecclesiam*. pars *Fœdus Novum*, pars *Fœderis Novi Auctorem* & *Mediatorem*, ejusque *Attributa*. Unum ab altero hic separari nequit. unum alteri implicatur. Utriusque notio OECONOMIÆ NOVÆ ideam format, & absolvit.

4. Hunc *Casum* quis inficietur esse illustrem, aptumque adeo ad illustrandum &, liceat dicere, nobilitandum qualecunque *Tempus Mundi* & *Ecclesiæ?* Certe Beneficium hoc Divinum in genus humanum collatum, omnium haud dubie, quæ mente concipi & cogitatione intelligi possunt, maximum est, nullum aliud ei comparandum, nedum anteferendum. quin recte dixerim, longe majus esse, amplius, excellentius, quam mortalis homo cogitatione sua assequi & complecti possit; sive Beneficium illud impetratæ datæque *salutis in se* spectes, sive consideres *modum* plane singularem & admirabilem, quo hæc tanta salus hominibus dispensata est.

5. Nempe cum homines, qui ex Adamo ortum trahunt, (*quales sunt natura:*) Divinæ Justitiæ essent obstricti ad æternam miseriam, *servi peccati* & *corruptionis*, vero Dei amore vacui, *irretiti laqueo Diaboli* & *ab eo captivi ducti secundum ejus voluntatem*, *mortui in lapsibus*, *filii iræ*, cassi *jure* & *spe* æternæ vitæ; tum

præ-

præterea genus humanum demersum esset crassissimis tenebris profundæ *ignorantiæ veri Dei*, (excepta luce, neutiquam tamen serena, quæ Judæam collustravit:) & prolapsum in fœdos stultosque errores circa rem omnium sanctissimam quam *Religionem* vocamus, absque qua salus æterna obtineri nequit; quin immo cum spes salutis peccatori misero nulla suppeteret, nisi intercederet *Mediator* qui *Nomen Dei publice sanctificaret*, & *debitum Divinæ* persolvendum *Justitiæ* in se tanquam *Sponsorem* pateretur transferri, cujus *Officii* dignitas & magnitudo alii Personæ nulli convenire poterat quam quæ *humanæ Naturæ* jungere posset *Divinam*: hoc, inquam, loco & statu cum res essent, Deus pro infinita bonitate & gratia sua *Filium* suum *Unigenitum* humano generi dedit *Mediatorem*, *Doctorem*, *Pontificem*, *Regem*, *Servatorem*, *Adsertorem*, *Vindicem*, eumque *misit in Mundum in similitudine carnis peccati*, auxilium fessis rebus, ut homines, à Deo & salute alienatos, *ad Deum reduceret*; tenebras ignorantiæ ipsorum dispelleret; verum ipsis ostenderet Deum, veram purissimamque Religionem, veram viam salutis; postulato Divinæ Justitiæ satisfaceret; & per *mortem* & *sanguinem* suum eos Deo *reconciliaret*; credentibus in se cum *remissione peccatorum Spiritum* suum daret, & per eundem regeret, gubernaret, obsignaret; & quidem in statu *pacis* & *amicitiæ*

cum Deo absque *conscientia peccati*, absque *metu mortis*; immo eosdem non tantum vindicaret à *servitute peccati*, sed & liberaret à *jugo* onerosо *Legis Mosaicæ*, & adsereret in *Jura Libertatemque Filiorum Dei*; &, quod Beneficii hujus complementum est, post depositam vitam hanc mortalem, & decursum Sæculorum hujus Mundi, transferret in Statum perfectæ *Salutis*, *Gloriæ*, *Felicitatis*, *Lætitiæ*, qui peccatum, mortem, interitum, tristitiam omnem, & tristitiæ ac miseriæ caussas, æternum excluderet. Sic docet Scriptura *fundatam fuisse libertatem*, *salutem*, *securitatem humani generis*, idque credimus nos, quotquot Christi sumus, & toto recipimus animo; estque, quod modo præfabar, tam *illustris Casus*, tam *singulare Beneficium*, ut nemo id cogitatione aut oratione exæquare, prædicare, extollere; nemo pro merito æstimare possit. 1 *Joh*. IV. 10. *Hac in re manifesta est charitas Dei*, *non quod nos dilexerimus Deum*, *sed quod* IPSE DILEXERIT NOS, *&* MISERIT FILIUM SUUM, UT ESSET PROPITIATIO PRO PECCATIS NOSTRIS.

6. Hic vero tantus & tam illustris *Eventus* ex Divino Consilio innexus fuit *certo* alicui *tempori*, ut cæteri *Casus* insigniores, de quibus in *superioribus* vidimus. *Hab*. II. 3. *Quia adhuc Visio* (Prophetia) *est ad* STATUTUM TEMPUS. *Gal*. IV. 4. *At postquam venit τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου* PLENUM ILLUD TEMPUS, (*tempus ex-*

ple-

pletum secundum mensuram antea definitam:) *emisit Deus Filium suum.* quod *Tempus*, stylo Pauli, eleganter venit nomine καιρῶν ἰδίων TEMPORUM PROPRIORUM, sive *temporis proprii*, quod videlicet omnium Mundi temporum aptissimum visum fuerit ad *magnam* hanc *salutem*, humano generi decretam, in *lucem producendam* per Verbum Evangelii, & *justitiam suam* eum in modum *revelandam coram omnibus Populis* Orbis terrarum: ut deinceps nunquam obscurari posset, *Tit.* I. 2. 1 *Tim.* II. 6. *Ps.* XCVIII. 2. quod *tempus salutis*, si id quod demonstrandum est hic tantisper liceat anticipare; per *quatuor millia* annorum, & quod forte supra est, distans ab originibus Mundi, & minus paulo quam *mille & quingentis annis* à fundata Oeconomia Vetere, incidit ex meliorum Chronologorum sententia in annum ultimum *Herodis*; Antipatri Filii, Regis Judæorum, *Octaviani Augusti* XL. an XLI.

7. Atqui *Eventus* hic illustris cum hoc conjunctus *Tempore*, sive *Tempus*, hoc eventu nobilitatum, præcipuum fuit *Objectum* Promissionum, & Prophetiarum Ætatum superiorum, idque, (quis addubitet?) dignissimum. Omnia enim fata alia, sano & recto sensu, ab hoc fato pendent. beneficia omnia temporalia & spiritualia in hoc beneficio suum accipiunt complementum. hic primus terminus fuit spei sanctorum. hic πλείωσις *consummatio.* Veteres enim *absque nobis* nostrisque *temporibus* non erant

con-

consummati, *Heb.* XI. 40. Id vero non res ipsa tantum, & inspectæ prophetiæ evincunt: sed Christus Dominus ipse, ejusque Ministri, & sancti, luculenter testantur. *Luc.* I. 69. 70. *Erexit nobis cornu salutis in domo Davidis servi sui, prout loquutus est per os* SANCTORUM PROPHETARUM SUORUM *qui* FUERUNT à SÆCULO. *Matth.* XI. 13. *Nam* OMNES PROPHETÆ, *& Lex ipsa usque ad Joannem prophetarunt.* *Luc.* XXIV. 25. *O amentes & tardi corde ad credendum omnibus quæ loquuti sunt Prophetæ.* --- *Et exorsus à Mose, &* OMNIBUS PROPHETIS, *interpretabatur illis* IN OMNIBUS SCRIPTURIS *quæ de se scripta erant.* *Joh.* I. 46. *Invenimus illum, de quo scripsit Moses in Lege, &* PROPHETÆ. *Act.* III. 24. *Sed &* (præter *Mosen* cujus facta fuerat mentio) OMNES PROPHETÆ, *à Samuele & deinceps qui fuerunt quotquot loquuti sunt, prænunciarunt* HOSCE DIES. *Act.* X. 43. *Huic etiam* OMNES PROPHETÆ *testimonium perhibent.* I *Pet.* I. 10. *De* QUA SALUTE *inquisiverunt & scrutati sunt* PROPHETÆ *qui de* VENTURA IN VOS GRATIA *prophetarunt.*

8. Prophetiæ tamen de hoc *Tempore* non sunt ejusdem generis & argumenti. Non tantum enim, quod modo prædixi, in duas dividuntur classes, ut nimirum *aliæ* ad *Ecclesiam* ejusque OECONOMIAM novam, & Oeconomiæ illius *Beneficia* pertineant; *aliæ* ad CHRISTUM JESUM,

SUM, Filium Dei, illius *Oeconomiæ* Auctorem & Fundatorem: sed cum in illustri Persona Servatoris plurima consideranda sint; veluti *Ortus* ejus singularis ejusque *circumstantiæ*, *Attributa*, *Qualitates*, *Dotes*, *Officia*, & præcipue *Status duo*, iique diversissimi, quibus se Ecclesiæ manifestum faceret, *humilis* unus, alter *gloriosus*, cum *gradibus* uterque suis quibus Messias tum *descenderet* in *profunda* opprobrii & angoris, tum *ascenderet* ad summum *fastigium gloriæ*: quisque facile cum animo suo reputet, prophetiarum hic esse *Objectum* latissimum amplissimumque, fecitque adeo Spiritus, cum Personam Messiæ nobis notissimam esse vellet, ut omnes *illustris* hujus *Personæ characteres*, tanquam totidem *cælaturæ Lapidis* hujus *Fundamentalis Domus Dei spiritualis*, *Zach.* III. 9.) in usum nostrum accurate sint præformati; lineæ omnes, quæ ad notitiam ejus pertinebant ductæ descriptæque, ne necesse haberemus ullibi hærere; ita tamen, ut Spiritus S. pro modo ætatum & Oeconomiarum Ecclesiæ hic *ordine* processerit, &, quemadmodum Ecclesia ætate crevit, sic lux cum tempore & profectu Status Ecclesiæ clarior clariorque fulserit, donec tandem eo res est perducta, ut prophetiæ nihil defuerit nisi implementum.

9. Primæ prophetiæ, quæ de *tertio* hoc *Tempore* extant, occurrunt in historia Ecclesiæ *primi Temporis Intervalli*, quod in *Diluvio* finitur,

nitur, sed, ut pro illa ætate, paucæ; & poterant etiam paucæ sufficere. Et quidem omnium primum *Oraculum*, quod de hujus *Temporis* fato editum est, ex communi fere Interpretum opinatione involvitur illi parti sententiæ primi solennis Dei *Judicii*, de *Angelis* & *hominibus* habiti in Paradiso, qua gravatur Satanas. Atqui id recte dicitur quatenus omnis *interpretatio Divinæ Voluntatis de obscuris futuri temporis eventibus* quacunque tandem occasione fiat, summa cum ratione *prophetia* appellatur: etsi effatum Divinum, quod hic proprie partem facit sententiæ à Deo pro tribunali in Satanam dictæ, naturam propterea suam non mutat, nec desinit esse *enunciatum judiciale*, licet illi *qua Propheticum est* locum faciamus inter Oracula. Sunt autem verba, omnium ore trita, hujusmodi, *Gen.* III. 15. *Et ponam inimicitiam hostilem inter te* (Satanam) *& inter hanc Mulierem, & inter Semen tuum & Semen ejus.* ILLUD CONTERET TIBI CAPUT, ET TU ILLI CONTERES CALCANEUM.

101. Ænigma est, prolixam complectens meditationis materiam, cui sequentia fata, procedente tempore clarius explicanda, involvuntur. *a.* Fore ut Mundus mortalium, Divina tolerandus patientia per successionem generis humani, scindatur in duas partes. *partem* alteram gesturam esse *imaginem Satanæ*, quæ consistit odio Dei & *Sanctorum*; alteram *partem* Satanæ

fore

fore *inimicam*, in id pro virili incubituram, ut *opus Diaboli* in Mundo destruatur, molimina & conamina ejus subvertantur. β. Deum itaque ex *consilio* quod ceperat, *gratia*, hunc in finem aliquos ex genere humano esse *sanctificaturum*, eosque ad *spirituale hoc prælium* instructurum. γ. Hos omnes *inter se uniendos esse* & respiciendos in *uno aliquo Principe*, tanquam *Capite* sui corporis, sub quo & in quo censerentur, qui ita *esset ex muliere*, ut *non esset ex Viro*, atque adeo φερωνύμως dici posset SEMEN MULIERIS, voce *notionis singularis*, *quatenus* esset *unus* sub quo plures censerentur, (*Gal.* III. 16.) & unus ipse omnium mortalium *natus* esset *muliere*, absque ope Viri. *Gal.* IV. 4. δ. Hanc *Personam illustrem*, tum *Obedientiæ* & *passionum suarum* merito, tum *Doctrina* cum efficace *Spiritus* gratia conjuncta, tum quoque *Potentia sua*, omnia Satanæ molimina & opera esse destructuram, *omnia abolituram esse peccati effecta*, & electis ex genere humano veram perfectamque præstituram esse salutem. ε. Imo Consilio Divino *certum* aliquod *tempus* dispectum constitutumque esse, quo illustris hæc Persona, *nata muliere*, caput & princeps servandorum, *publice* congrederetur, & de summa totius rei *prælio decretorio* (sed *sacro* & *spirituali*) decertaret cum *Satana* & potestate infernali; quod ipsissimum illud tempus esse novimus, quo *obedientia* & constantia Christi Jesu gravissime *tentata*

fuit

ſuit tam in *horto Gethſemane* quam in *cruce*, quo tempore expoſitus furori & inſultationi *Satanæ* ac totius *poteſtatis infernalis*, & *malorum hominum* tentaminibus, ſe tanquam *hoſtiam piacularem* Deo obtulit ad explendum debitum *Divinæ Juſtitiæ* pro peccatis electorum, *Col.* II. 15. *Joh.* XIV. 30. *Luc.* XXII. 53. *Hæc eſt* HORA VESTRA (loquitur Dominus ad ſatellites Satanæ, ipſum comprehendentes:) *&* POTESTAS TENEBRARUM. Hoc *tempus* illius momentoſi *certaminis* jam proviſum ab ipſis Mundi natalibus, quo inter *Semen Mulieris* & *Serpentem* cerneretur. ζ. Illuſtrem illam *Perſonam*, *Muliere* naſcituram, in hoc congreſſu reportaturam victoriam, h. e. in graviſſimis tentaminibus & angoribus probaturam eſſe Deo *puriſſimam obedientiam* & in obedientia conſtantiam uſque ad *mortem*, & ita vindicaturam eſſe *Se* & *Semen electum* à poteſtate *Divinæ juſtitiæ*, atque hoc ipſo *contrituram caput* Satanæ, cujus omnis in hominem poteſtas à *Divina juſtitia* & *Lege* derivabatur. Id ipſum eſt quod Apoſtolus ait ad hoc alludens Oraculum, idque interpretatus, Chriſtum Jeſum MORTE SUA *deſtruxiſſe illum qui habet poteſtatem mortis, hoc eſt, Diabolum*, *Heb.* II. 14. *Morte* ait, non *potentia*, non *efficacia doctrinæ*; quæ tamen & ipſa hic plurimum valent. ſed reſpicit hoc in loco Divinus Vir *radicem* & *cauſam* omnis poteſtatis *Diaboli* in Mundo, quæ arceſſenda eſt à *Divina*

nia Justitia, & Divinæ Justitiæ instrumento *Lege*, exigente vindicias, cui quando satisfactum est à *Sponsore*, cætera consequi oportebat. *n.* Denique declaratur hoc Oraculo, in hoc conflictu, &, liceat dicere, duello, victorem & triumphatorem Satanæ, illustre, inquam, illud *Semen mulieris*, accepturum esse *vulnus grave*, in inferiore sui parte, quæ hic *calcaneus* dicitur; *casurum*, inquam, quod est consequens *læsi contritique calcanei*, hoc est, occubiturum, & moriturum, sed *illæso* & *integro capite*, h. e. præstantiore & superiore sui parte, atque adeo brevi *resurrecturum*, & gavisurum victoriæ suæ fructu. Id Apostolus ibidem, MORTE SUA DESTRUXIT, ait, DIABOLUM, qui hoc ipso *succubuit*, quo videbatur *vincere*, vicitque contra qui *cadebat* & videbatur *succumbere*. Sic ipse eleganter, plenus fiducia de futuro eventu hujus certaminis, & prævidens fatum suum corporisque sui mystici, *Joan.* XVI. 33. *In mundo habebitis* AFFLICTIONEM, (Satanas *calcaneum vestrum mordebit*, ut *meum*:) *sed bono estote animo*, EGO VICI MUNDUM. dictum per ϖρόληψιν. erat enim *brevi* victurus, & *obedientiæ* suæ jam probatæ constantia *vincere cœperat*.

II. Sententias hasce ex *Oraculo* hoc non eduxi scrupulose & quæsite. latent perspicue & distincte in ejus sensu. nihil coacti, nihil violenti in illud mea intulit interpretatio, patetque

H adeo,

adeo, pandere nobis hæc pauca verba omne *arcanum* Voluntatis Divinæ de *Salute*, decreta humano generi, ejusque procurandæ *Auctore*, & *Modo*. Et tamen largior ego lubens, ante clariorem Divini Consilii expositionem, & præcipue ante eventum, *Ænigma* hoc (sic enim rectissime appello:) quibusdam suis partibus fuisse intellectu obscurius. sed obscurius esse voluit Deus, ut illi Ecclesiæ ætati conveniret revelatio, & exerceret meditationem sanctorum. At eventus quicquid hic involutum erat, planissime evolvit atque explicavit; omne mysterium hujus Oraculi detexit; omnem caliginem dispulit. quanto certius intelligimus, & persuademur, eundem esse auctorem *Evangelii*, qui hujus est *Auctor Oraculi*, quod, nisi lucem & fidem Evangelii admoveas, interpretationem omnem respuit: pariter ut *Oraculum* ipsum præstantiam suam, suæque originis commendat veritatem, & simul Divinitatem illius Verbi, quo conservatum est. Non potuit enim non à Deo profectum esse illud Verbum, quod, Satanæ probrosum, tot mysteria, nullius mortalis ingenio pervia, ante eventum δυσερμήνευτα & δυσκατάληπτα, ante tractum longissimi temporis duabus involvit *brevibus sententiis*, iisque tam divitis & ampli sensus, ut prophetiarum omnium & ipsius Evangelii summam exhibeant.

12. Sic itaque existimandum est, Revelatum-

rum hoc omnium aliarum prophetiarum basin esse & fundamentum, quippe Spiritus S. procedente Ecclesiæ ætate id potissimum egit, ut Oraculum hoc sive confirmaverit, sive etiam illustraverit in *prophetiis generalibus*, cujus generis plures sunt, per Verbum Dei diffusæ, ut Lamechi, *Gen.* v. 29. si accipiatur secundum sensum μυστικώτερον; Revelationis Abrahamo factæ *Gen.* XXII. 18. Jacobi *Gen.* XLIX. 10. *Prophetias* has *generales* voco, easque ad certam quandam *Classem* refero, quod in iis *absque* ullis *antecedaneis signis temporum*, ut passim in aliis Oraculis obtinet, vaticinatio de *Christo* instituatur; eaque generalis argumenti. suntque ejusdem generis quæ occurrunt *Jes.* VII. 14. 2 *Sam.* XXIII. 3. *Ps.* LXXII. 1. 2. *Jes.* XXXII. 1. *Zach.* III. 9. &c.

13. Hæc igitur *prima Classis Prophetiarum generalium*, quæ ad *Messiam* pertinent, distinguenda est. Sed præter *prophetias* has *generales*, in quibus Messias depingitur ut *Persona illustris*, *suo tempore apparitura in Mundo ad procurandam salutem Ecclesiæ*; plures Prophetiæ aliæ *singularia* sive *specialia* Messiæ *attributa* manifesta faciunt, quæ cum tempore & per gradus Ecclesiæ innotuerunt, cœperuntque illæ prophetiæ præcipue vulgari post *Diluvium*. etenim ante *Diluvii* tempus revelationes propheticæ Spiritus S. de *Persona & Beneficiis Messiæ*, quarum implementum adhuc in longum differretur,

generaliores fuisse, probabile est, quantum ex paucis illis speciminibus quæ in historia sacra supersunt, licet judicare; fuitque idcirco generalis expectatio Patrum, certo tempori non adstricta. Lux igitur hic Ecclesiæ *gradatim* & *particulatim* (κατὰ μέρος) orta est, fere ut imago rudioribus ductibus primo, quod fieri solet, deformata, processu temporis, crescente operis materia, & pluribus identidem lineis à perita manu instructa, ad eam sensim exsurgit perfectionem, ut archetypum suum ad vivum exscribat. Ergo Spiritus S. σαφῶς declaravit, illustrem hunc *Servatorem* Ecclesiæ, & *Debellatorem Satanæ*

α. Quod ad *Excellentiam* Personæ ejus: fore æternum *Filium veri Dei*, (Joanni (τὸν ΛΟ'ΓΟΝ) veræ consortem Divinitatis, *manifestandum in carne*, h. e. natura humana, eamque *inhabitaturum*, suaque virtute æterna *spirituali* (*Heb.* IX. 14.) *sanctificaturum* ad magnum opus redemtionis humani generis, & *robore* ac potentia in hoc opere sustentaturum, *Ps.* II. 7. *Jes.* VII. 14. IX. 5. XL. 3. 4. LIV. 5. *Jer.* XXIII. 6. *Hos.* I. 7.

β. Quod ad *Ortum* Naturæ humanæ: ducturum esse natales ex

(a) *Semo*, *Gen.* IX. 26.

(b) *Abrahamo*, *Gen.* XXII. 18.

(c) *Isaaco*, *Gen.* XXI. 12.

(d) *Jacobo*, *Gen.* XXVIII. 4.
(e) *Juda*, *Gen.* XLIX. 10.
(f) *Davide*, 2 *Sam.* VII. 12. *Jer.* XXIII. 5.
(g) Nasciturum *Bethlehemi*, *Mich.* V. 1.
(h) Ex *Virgine*, *Jes.* VII. 14. *Jer.* XXXI. 22. sua *virtute*, *Zach.* VI. 12.
(i) *Ortu humili* ad externam speciem; *Jes.* XI. 1. LIII. 2. *E medio fratrum*, *Deut.* XVIII. 18. *Jer.* XXX. 21.

γ. Quod ad *Dotes* attinet & *Virtutes* Naturæ humanæ: fore illum omnibus hominibus *perfectiorem*, omnibus *Adami posteris* (phrasi Vatis) *longe pulchriorem*, sedem *Divinitatis* (*Col.* II. 9.) *donorumque* qualiumcunque *Sancti Spiritus* quæ hominem exornant & perficiunt. Censentur in his *Scientia* & *eruditio* ejus, *Sapientia*, *Prudentia*, *Justitia*, *Sanctimonia* sive *Amor* & *reverentia Dei*, *Mansuetudo*, *Docendi aptitudo*, *Suada eloquii*, *Celsitas animi* & *constantia*, & *Obsequii in Deum Patrem promptitudo*; tum quoque *judicii*, à Divino Spiritu instructi, *solertia* & *sagacitas* in perspiciendis discernendisque *interioribus* hominum *affectibus*, & *odorando timore Domini*. *Jes.* XI. 1. 2. XLII. 1. 2. L. 4.

 LXI.

LXI. 1. *Psal.* XL. 7. XLV. 1. 2 *Sam.* XXIII. 3. 4. *Zach.* IX. 9. 10.

d. Quod ad OFFICIA: fore

(a) DOCTOREM *placidum*, munus hoc absque *clamore* & *strepitu* in communibus Synagogis & Scholis sui temporis cum *clara demonstratione veritatis* vel ignoratæ hactenus vel obscuratæ obiturum, & imprimis *consolaturum fractis animo, mansuetos, humiles, sitientes justitiam*, verbo *Evangelii*, sic proprie dicti, quod ex ejus ore *primum* audiretur; *superbos* vero *operum suorum meritis*, & sui *fiducia plenos*, neglecturum, repulsurum, castigaturum, & suffusurum pudore, *Jes.* XI. 4. XL. 1. XLII. 2. 3. LIII. 1. LXI. 1. 2. *Joel* II. 23. *Hab.* II. 3. *Zach.* XI. 4. 7. *Mal.* III. 2.

(b) PROPHETAM illustrem, magnæ auctoritatis, instar *Mosis*, clarum miraculis, *novam* instituturum in Ecclesia *Oeconomiam*, redemtionem procuraturum Populo Dei; quin hoc ipso *similem* futurum *Mosi*, quod ipse *Mose* esset major, ut Moses aliis omnibus Prophetis, *Deut.* XVIII. 18. *Mich.* VII. 15.

(c) PONTIFICEM, verum & antitypicum, *Aarone* excellentiorem, qui post-

postquam ex *voluntate Dei*, secundum *Legem*, sibi præscriptam, *se* ipse *obtulisset* Deo summa cum promptitudine animi in gravissimis passionibus, & ipsa morte, ad *expianda peccata Populi* sui, *consideret* ad dextram Dei in Cœlis, æterno gavisurus *Sacerdotio*, cum *Regno* in Ecclesiam conjungendo, *Ps.* XL. 7. 8. *Jes.* LIII. 10. *Ps.* CX. 4. *Zach.* VI. 13.

(d) REGEM, qui *Populum* electum, ex Judæis, & Gentibus maxime, per Orbem universum colligendum, regeret *forma Regni Cœlestis*, *Divini*, *Spiritualis*, *æterni*, sceptro *Verbi*, *Potentiæque suæ*, per Spiritum, & huic Populo tam præscriberet æquissimas *Leges* & secundum eas *judicaret*, quam eum defenderet adversus hostes, & *Bonis* statui suo convenientibus cumulate locupletaret, *Gen.* XLIX. 10. 1 *Sam.* II. 10. 2 *Sam.* XXIII. 3. *Ps.* II. 2. 6. XXII. 29. XLV. 7. LXXII. 1. 2. &c. XCIII. 1. CX. 1. 2. *Jes.* IX. 6. XXIV. 23. XXXII. 1. *Jer.* XXIII. 5. *Ezech.* XXXVII. 24. *Hos.* III. 5. *Zach.* VI. 13. IX. 9.

(e) JUDICEM universalem, qui à pertinacibus & refractariis Regni sui hostibus,

stibus, juste damnatis, pœnam *severe* exigeret, & Ecclesiam adversus eosdem fortiter vindicaret, primum quidem *Judæos*, deinde *Gentes*, *Ps.* II. 9. L. I. 2. LXVIII. 22. *Jes.* XI. 4. LXI. 2. LXIII. I. 2. *Mal.* IV. I. 2.

ε. Quod ad STATUS *Messiæ*: fore diversos: *humilem* unum, sed brevis temporis; *gloriosum* alterum, *priore* subiturum gravissimas afflictiones, terminandas in probrosa *morte* CRUCIS, *Jes.* LIII. per *tot.* & ℣. 5. *Ps.* XXII. 17. LXIX. 26. 27. *Zach.* XII. 10. postquam ab *amicorum* familiarium aliquo *proditus* esset, *Ps.* XLI. 10. ab alio *abnegatus*, ℣. 7. æstimata *proditionis mercede triginta argenteis*, *Zach.* XI. 12. posteriore statu *resurrecturum ex morte*, & *sepulchro*, *Ps.* XVI. 10. XL. 3. CXVIII. 22. *Ps.* III. 6. *Jes.* LIII. 10. LV. 3. *ascensurum* in *cœlos*, *Ps.* XLVII. 6. LXVIII. 19. & capessiturum *thronum gloriæ*, sibi à Patre decretæ, *Ps.* VIII. 5. 6. 7. *Obadj. ult.*

ζ. Quod ad BENEFICIA, per ipsum impetranda & conferenda in Ecclesiam: procuraturum esse *Populo credentium* in se JUSTITIAM ÆTERNAM: h. e. æternam caussam *Remissionis peccatorum* & *Juris ad vitam*; dona *Spiritus Gratiæ*, *Fiduciæ*, *Adoptio-*

optionis Filiorum, *Precum*, *Scientiæ viarum Dei*, *Sanctimoniæ*, uberiore copia effundenda; *Libertatem*, à jugo Legis; *Hæreditatem Mundi*, rupto pariete intergerino, qui Judæos à Gentibus dividebat, *Dan.* IX. 24. *Ps.* LXVIII. 19. *Jes.* XLIV. 3. *Jer.* XXXI. 32. *Joël* II. 28. *Zach.* IX. 12. XII. 10. & in genere *Benedictionem*, distribuendam *omnibus Gentibus* Orbis terrarum, *Gen.* XXII. 18.

14. Atqui hæc *specimina* prophetiarum, quæ *Characteres* aliquos Personæ Messiæ *individuales* designant, pro nostro nunc instituto sufficiunt. possunt enim facile ad has *Classes* revocari plures ejusdem generis, in quibus singularia quædam alia de *Persona Messiæ* ejusque *Statibus*, & *Casibus* aliis qui ipsi sive in *Educatione*, sive in *Vitæ cursu*, & *obeundo Munere*, sive in *passione* ultima acciderent, & Casuum illorum *circumstantiis*, prædicuntur, cujusmodi variæ dantur, passim satis notæ. nobis sufficit *Classes* & *genera* prophetiarum hujus argumenti indicasse.

15. *Pars altera* prophetiarum de hoc *Tempore tertio* pertinet, ut dixi, ad ECCLESIAM, sive ad NOVAM *Ecclesiæ* OECONOMIAM, à Messia instituendam, ad quam *Classem* recte revoces pleraque *Oracula*, quæ de *Beneficiis*, à Messia in Ecclesiam conferendis, modo anticipavi. *Beneficiorum* enim illorum duplex est

aspectus. Si ad *Caussam suam* referantur; aggreganda sunt prophetiis de *Christo*, *tantæ salutis* auctore. si ad *Subjectum* horum *Beneficiorum*; adscribenda sunt Oracula hæc *Ecclesiæ*, cui hæc tanta bona destinata, cui impetrata sunt. Summa est, illustrem illum *Messiam* fore *Mediatorem* NOVI FOEDERIS inter Deum & Ecclesiam pangendi, *Vetere Sinaitico* abolito, *Jer.* III. 16. XXXI. 32. 33. *Ezech.* XVI. 60. 61. *Jes.* LXI. 8. quod Fœdus secum duceret *novam Oeconomiam* Ecclesiæ, in qua vigeret *Lex nova* & perfecta Regni Cœlestis, cum excellentibus *Beneficiis Gratiæ*, Ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν, *Libertatis*, *Pacis* conscientiæ, *Lætitiæ*, *Consolationis*, *Donorum Spiritus S.*, *Lucis*, *Scientiæ*, *Sanctimoniæ*, *Prophetiæ*, *Jes.* XI. 9. XII. I. 2. XXXV. 5. 6. XLIV. I. 2. *Ezech.* XXXVI. 26. *Joël*, II. 28. *Zach* XII. 10. quamque Oeconomiam honestarent maxime & nobilitarent Populi OMNIUM *Gentium* & *Nationum*, per totum Mundum certatim confluxuri ad hanc serenam ac Divinam Lucem, hoc Regnum Gratiæ, Hierosolymam Cœlestem; in quibus Populis, *Ecclesiæ* aggregandis, Abrahamus ejusque verum semen possideret *hæreditatem Mundi*. *Jes.* II. I. XLIX. I. 2. 3. LIV. I. *Jer.* III. 19. *Ps.* II. 8. & quæ sunt prophetiæ aliæ ejusdem generis bene multæ, quæ ex Libris sacris collectæ ad hanc *Classem generalem* reducendæ sunt; quod semel & iterum monuisse sufficiat.

16. At-

16. Atqui hæ prophetiæ, quarum recensionem proxime institui, pertinent ad *Tempus tertium* ipsum, sive ad *Beneficia Cardinalia*, hoc tempore in Ecclesiam conferenda. Quod ad SIGNA hujus *Temporis*: varia illa sunt & multa, per omnes diffusa prophetias. *Patriarchæ* jam ἀπ' ἀρχῆς aliquorum meminerunt. *Moses* postea nobiliora distinctius indicavit. præcipue vero *Prophetæ posteriores*, quorum conciones conservatæ sunt in Libris sacris, hoc titulo notis, de *Signis* hujus *Temporis* clare sunt vaticinati, qui Prophetæ præcipue floruerunt, quo tempore Status utriusque Regni, *Judæi* & *Ephraimitici*, incepit labefactari, & extrema respicere: ut modo demonstrabamus: Deo rem providentia sua sic moderante, ne cum deportatione *Ephraimitarum* & *Judæorum* in Exilia *Assyriacum* & *Babylonicum* spes verorum credentium concideret. In *Psalmis* enim etsi multa vaticinia extant de *Christo*: pleraque tamen fere pertinent ad *ipsius Messiæ Personam*, *Officia*, *Status*, *Regnique* ejus *Naturam* & *Fata*. minus in iis est de *Signis* & indiciis *Temporum* quæ *Ortum* ejus antecederent. Sed est de eo paulo accuratius disputandum.

CAP. VI.

SIGNORUM TEMPORIS TERTII specialior Investigatio.

TEmpus Messiæ sua habuisse *Signa*, à Prophetis demonstrata, sive προσημαστικὰ, sive διαγνωστικὰ, ex quibus tum *qualitas* illius cognosci, tum *quantitas* mensurari posset: jam ante evicimus ex *Matth.* XVI. 1. 2. 3. 1 *Pet.* I. 11. Petrus exerte & eleganter ait, *Prophetas, qui de ventura in Ecclesiam gratia vaticinati sunt, scrutatos esse* εἰς τίνα ἢ ποῖον καιρὸν *in* QUOD *aut* QUALE TEMPUS *prænuntius ille qui in ipsis erat Spiritus Christi declararet venturas Christi perpessiones, & glorias quæ eas consequerentur. Quantitatem* & *Qualitatem temporis Messiæ* Apostolus solicite distinguit. *Quantitas* sive ex *liquidis prædictionibus* quæ eam definiebant, sive ex *Casibus* & *Fatis* quibusdam *illustrioribus*, adventum Messiæ certa serie *præcessuris*, æstimanda erat. *Qualitas* indaganda ex illo genere prophetiarum, quæ statum *Reipublicæ* & *Ecclesiæ* Judææ, & rerum Mundanarum, *qualis* esset tempore *Adventus Messiæ*, demonstrant. *Quantitas* sibi vindicat signa προσημαστικὰ, quæ *Tempus futurum* respiciunt: *Qualitas* Signa *Concomitan-*

mirantia & *Διακριτικὰ*, quæ *tempus præsens* ab alio qualicunque discernunt.

2. Utique faciebat ad honorem Messiæ, à suis non in vagum; sed *certo tempore* expectari, ut qui inter Judæos *hoc Angelo Novi Fœderis delectabantur*, ad illum recipiendum tanto essent paratiores & via tanto Regi honeste præstrueretur. *Jes.* XL. 4. Spes quoque Ecclesiæ hoc opus habuit fulcimento, ne longior mora, per tot annos & sæcula protracta, illam vel extingueret penitus, vel saltem refrigeraret. Imo vero curare id voluit, & pro bonitate sua, debuit Deus, ut ne piis deessent argumenta, ex ipso *tempore visitationis suæ* (*Luc.* XIX. 44.) deprompta; ex quibus certi fierent, se non falli in judicio de *vero Messia*, si cætera simul faverent; increduli autem, carnales, superbi, *δοκησίσοφοι*, sinistri affectus & præjudicii homines, ne haberent quod incredulitati suæ prætexerent. Sic ipse Dominus nobis præit *Matth.* XVI. I. 2. *Luc.* XIX. 44.

3. Sunt autem *Signa* qualiacunque hujus *Temporis* duplicis generis. Aliqua *directe* Tempus hoc ejusque *Qualitatem* & *appropinquationis gradum* demonstrant: alia *indirecte* & *oblique*, ut ex *sequentibus* patebit.

4. Utriusque generis *Signa* demum post Diluvium, ut ante præmonui, edi cœperunt in Prophetiis; obscuriora primum ante vulgatam *Prophetiam Mosaicam*; nec tamen negligenda sed ordine percensenda.

5. Pri-

5. Primum *Signum* hujus temporis occurrit *Gen.* IX. 27. utique si loco sensum des, qualem maxime illustravit eventus. Est autem, *Manifestandum esse Messiam quo tempore* JAPHETIDARUM *aliquod* IMPERIUM (eventus demonstravit esse ROMANUM:) in Orbe *maxime floreret*. Verba Prophetæ: DILATET DEUS JAPHETO locum, *&* HABITET IN TENTORIIS SEMI, *& sit Canaan illi in servum*. Meliores Interpretes post Bocharti aliorumque curas facile nunc consentiunt, *α.* Verba Hebræa: יפת אלהים ליפת sic esse vertenda, ut ego institui; *Dilatet*, sive, ut Vir quidam Eruditus habet, *amplificet* vel *amplificabit Japhetum*: non ut alii; *persuadebit Japheto*. *β.* Quod additur, *Et habitabit*, vel *habitet*, *in tentoriis Semi*, referendum esse ad idem ὑποκείμενον Orationis, h. e. *Japhetum*, non vero ut alii, ad *Deum*. Utrumque vero hic censeri debet positum esse extra controversiam. Prænunciat igitur hæc prophetia, *α.* *Japheti* posteros occupaturos esse *amplissimam* terræ *partem*. *β.* Eosdem Japhetidas cum loco amplo consequuturos esse *amplissimum Imperium*. Patet illud primo inde, quod *Canaanitæ* hic dicantur *Japhetidis* dandi in *servitutem*; quod jus Japhetidæ in posteros Canaanis absque bello & imperio obtinere non possent, & *habitaturi* etiam *in tentoriis Semidarum*; hoc est, secundum primum & literalem sensum verborum, *Semidarum* quoque

occupaturi terras & ditionem; 1 *Chron.* v. 10. *Ps.* LXXVIII. 55. quod ipsum quoque *Japhetidarum* supponit imperium. absque *armis* enim & *bello* Semidarum terræ occupari non poterant. Implementum prophetiæ demonstrari liquidissime potest in Imperio *Macedonico* & *Romano*. Alexander *Thebanos* & *Tyrios*, Romani *Carthaginenses*, Canaane oriundos, vel spoliarunt vita, vel sibi subjecerunt ad sordidissimam servitutem. Uterque Populus imperium extendit in Orientem. Et rectius tamen hic cogitas de *Romanis*, quod illorum amplius & diuturnius, & spectabilius fuerit Imperium, quam Alexandri & Græcorum; & Reipublicæ æmulæ Carthaginensis eversio grandius longe & majoris moliminis Opus quam expugnatio & desolatio Tyri, facta ab Alexandro. Addo jam, quo cum maxime respicio: id ipsum quod *Japhetidæ* hic dicantur *habitaturi* esse in *tentoriis Semidarum*, vere quid majus & sublimius involvere, ut Intt. jam observarunt, & satis solide ac recte. Fatus ita est per Prophetam Deus, ut nobis subjiceret cogitationem de *conjunctione Japhetidarum* & *Semidarum* in eosdem *cœtus*, ad professionem publicam ejusdem *Religionis*, quam *Japhetidæ* à *Semidis* acciperent, quo tempore eorum occupassent terras, h. e. Imperium Romanum maxime floreret. Sic usurpatur *tentorii* notio eleganter & in emphasi, *Num.* XXIV. 5. *Ps.* XV. 1. LXXXIV. 2. CXVIII. 15. *Jes.* LIV. 2. *Benedictio Semi*, *superi-*

superiore versu relata, adstruit hunc sensum. *Sa*ne si *habitatio in tentoriis Semidarum* nihil hic amplius significaret quam *occupatio terræ posterorum Semi*: visus esset Vates ipsum *Semum* subjicere *Japheto*, & ad *Japhetum* devolvere summam Benedictionem, quam tamen ex inspecta prophetia patet destinatam fuisse Semo. Ita vere se res habet, ut docte alibi demonstrat Origenes, (adv. *Cels.* L. II. p. 79.) illam dispositionem rerum mundanarum, qua præstantior pars Orbis terrarum parebat Romanis, plurimum profuisse propagandæ doctrinæ Evangelii. *Imperium Romanum* debebat esse præcipua sedes Ecclesiæ, & tandem in *Regnum Christi* converti.

6. Plura *Signa* hujus *Temporis* detexit Jacob in prophetia nobilissima *Gen.* XLIX. 10. *Sceptrum non recedet à Juda, & Legislator è medio pedum ejus, usque quo veniat* SCHILO, *& illi erit obedientia Populorum*: Constat, his verbis contineri vaticinium de *Messia*. Etiamsi enim vel maxime incerta esset interpretatio vocis *Schilo*: quis tamen ille sit *Schilo*, sive quodnam illud sit *subjectum* quod Vati hoc tempore obversatum est, demonstrat verum & proprium *Messiæ* attributum, in hac prophetia consignatum, *Obedientia Populorum*. Hæc ὑπόδειξις neminem fallit. *Schilo cui est obedientia populorum* eadem persona est quæ *Semen Abrahami in quo benedicuntur Gentes*, *Gen.* XXII. 18.

Com-

Complectitur itaque hoc dictum sequentia documenta. *α.* Expectari non posse Messiam, antequam *Regnum* aliquod esset inter posteros Abrahami. *β.* & quidem inter Abrahami posteros à *Juda* denominandos *Judæos*, & in solà veluti tribu *Judæ* censendos: quod eventus docuit demum factum esse post reditum ex exilio Babylonico. *γ.* Nec ante quam illud *Regnum* inter *Judæos* diu fuisset. *δ.* Simul in Templo floreret *Religio*, & in *Scholis*, *Synagogis*, ac *Synedriis*, vigeret institutio *Legalis*, & *Judiciariæ Disciplinæ* cultus. *ε.* Denique, venturum Messiam *non longe* ante *Rempublicam* Judæorum *subvertendam*, & in illa Republica *Regnum plane abolendum.* Regia & Doctrinalis potestas in *Christum*, postquam ille advenisset, transferrentur. Utique *stante* adhuc *Republica* & *florente disciplina Legali* venire oportebat *Messiam.*

7. Tertia est prophetia Bileami *Num.* XXIV. 17. 18. luculenta profecto & consideratione dignissima, ex qua patet, expectari non posse *Messiam*, nisi *quo tempore Idumæi* plane subjecti essent *Judæis.* Verba Vatis ita se habent: *Video illum, sed non nunc: intueor illum, sed non prope. Procedet* STELLA *ex Jacobo, & surget* SCEPTRUM *ex Israële, & percutiet angulos Moabitarum, & glocitando congregabit omnes filios Sethi. & erit Edom hæreditas, & erit Seir hæreditaria hostium suorum possessio; & Israël*

strenue aget. & dominabitur quis ex Jacobo, & perdet residuum ex Civitate. Præfatione Vates innuit, se loquuturum de re remotissimi temporis, quam tamen raptus à Spiritu in imaginatione veluti præsentem videbat. Constat autem, vaticinari illum de *ortu persona* alicujus *illustris*, in qua agnoscit *Lumen scientiæ* & *doctrinæ* tanquam excellentis *Doctoris*, & *gloriam* magni *Principis* sub nomine *Stellæ*; & potestatem *Regiam* armatam justitia & potentia in profligandis hostibus, sub nomine *Sceptri*. Hic vero dubium videri posset, an de *Davide*, an de *Joanne Hyrcano*, ejusque Filio *Alexandro*, an potius de Davidis filio, *Messia*, intelligendus sit Vates. Interpretes passim scinduntur in partes duas, quarum altera de *Davide* cogitat, altera de *Messia*. *Hyrcanum* enim aut *Alexandrum* huc advocari, hactenus non observavi: quamvis vere, si *Dominator* ille ex *Jacobo* de quo in ℣. 19. qui *residuum esset perditurus ex Urbe*, sit *Messias*, ut fere omnes consentiunt, isque à *priore Principe* distinctus: majore cum ratione hic de *Hyrcano* & *Alexandro* cogitetur quam de *Davide*. Prævalent tamen sententiæ, Judæorum etiam, quæ hic *unum Principem*, & quidem *Messiam* intelligunt, nec ego me ab his partibus sejungo, possuntque videri quæ ad hanc sententiam adstruendam, & vaticinium hoc recte interpretandum docte attulit Cl. Altingius, *Schil.* L. II. C. IV. & in *Parall. Va-*

tic.

tic. V. T. *Art.* III. quæ duo loca conferri velim. Mihi id unum nunc sufficit observasse, *hæreditariam possessionem Idumaæ* esse *signum proximum* tum præcedens, tum concomitans, adventus *Messiæ*, patetque id clarissime ex parallela prophetia *Obadjæ*, ℣ſ. *ult.* quo beneficio Judæi in solidum non sunt gavisi ante tempora Joannis Hyrcani: quippe quod non historia tantum docet, sed & prophetia Isaaci, *Gen.* XXVII. 40.

8. Quarta ordine occurit nobilissima prophetia *Mosis*, non longe post hoc tempus edita, in quo SIGNA Temporis totius Oeconomiæ Veteris SEX ordine percenset, à Cl. Coccejo feliciter eruta ex *Deut.* XXX. 1--6. & in *Commentario* ad *Ultima Mosis* ex toto Verbo Prophetico docte illustrata. Verba Mosis in hanc leguntur sententiam: *Et futurum est cum evenerint tibi* (loquitur toti Genti:) *omnia hæc*, BENEDICTIO, & MALEDICTIO, *quam tibi proposui; ut referas ad animum tuum inter omnes Gentes ad quas te propulit* JEHOVA, *Deus tuus*; *&* REVERTERIS AD JEHOVAM, DEUM TUUM, *& morigerum te præbebis voci ejus, secundum omne id quod tibi hodie præcipio, tu & filii tui, toto corde tuo, & tota anima tua; &* REDUCET JEHOVA DEUS TUUS CAPTIVITATEM TUAM, *& miserebitur tui, & recolliget te ex omnibus populis ad quos te propulerit* JEHOVA *Deus tuus. Si propulsi tui sint in extremo cælo-*

rum: inde colliget te JEHOVA, *Deus tuus, & inde assumet te; & ducet te* JEHOVA *Deus tuus in terram illam quam hereditario jure possederunt Patres tui, ut eam possideas;* & BENEFACIET TIBI, & MULTIPLICABIT TE *præ Patribus tuis:* & CIRCUMCIDET JEHOVA DEUS TUUS COR TUUM; *& cor seminis tui ad amandum* JEHOVAM *Deum tuum, toto corde tuo, & tota anima tua, ut vivas.*

9. In hac oratione *primo* usu venit observare *terminum aliquem* ἐφ᾽ ὅ *ad quod*; *deinde* Casus aliquot & Eventus notabiles, qui veluti *Signa* quædam temporum certa serie exhiberentur, *Terminum illum* præcessuri. *Terminus* hic est singulare aliquod Beneficium Gratiæ, *certo* quodam *tempore* in Judæam Gentem conferendum, quod Moses appellat CIRCUMCISIONEM CORDIS, sive *animi*, *ad amandum Deum ex toto corde, & tota anima*. Est autem *Circumcisio* animi, ut Vir eruditus bene observavit, *Regeneratio per Spiritum Filiationis*, qualis in omni sua emphasi obtinet in Oeconomia spirituali Novi Fœderis, confirmandi sanguine Filii Dei, *Phil.* III. 3. *Col.* II. II. quod Beneficium *Circumcisionis cordis* involvit *claram Dei & viarum ejus cognitionem*, *Remotionem omnis veli & tegumenti carnalis* (sive quod idem est, *præputii*) *in* negotio *Religionis*, cujusmodi habuerunt Judæi in Cultu carnali sub Oeconomia Vetere; *exuberantem mensuram sanctificationis*, *con-*

consolationis, *lætitiæ*, &, ut paucis absolvam, *Statum* Ecclesiæ plane *spiritualem*, quo Ecclesia remotis omnibus obstaculis, quæ ex peccato sunt, *Deo* per Spiritum proxime & immediate uniretur in clara Dei cognitione, fide, spe, fiducia, charitate, aliaque omni exercitatione spirituali, quæ Beneficia omnia sunt N. T. nec demonstrari queunt Ecclesiæ sub Oeconomia antiqua amplo illo sensu obtigisse, nec expectari poterant ante adventum Messiæ. Ergo *terminus ad quod*, in hac prophetia Mosaica designatus, est TEMPUS MESSIÆ, hic denominatum ab aliquo suo singulari *attributo*, sive *Beneficio* quod in hæc tempora incidit. *Signa* autem sive *Eventus notabiles*, hoc Tempus præcessuri, *sex* omnino distincte à Vate recensentur,

α. BENEDICTIO, qua imprimis gavisi sunt Judæi sub Davide & Salomone.

β. MALEDICTIO, quam sustinuerunt in *Exilio Babylonico*.

γ. CONVERSIO AD DEUM *in Exilio Babylonico*, tam vere singularis & notabilis, ut Gens Jacobidarum, quæ ante Exilium nullis Dei monitis, contestationibus, promissis, minis, nullis quoque beneficiis & flagellis revocari poterat ab idololatria, postmodum constanter Deo Patrum suorum adhæserit, atque adhucdum adhæreat: exceptis impiis & profanis, sed qui omnem susque deque habebant Religionem, tempore Antiochi Epiphanis.

δ. REDUCTIO IN TERRAM CANAANÆAM cum reditu ex Exilio Babylonico, tempore *Cyri* & *Artaxerxis*,

ε, BENEDICTIO SUPRA PATRES, repetenda à temporibus *Joannis Hyrcani*. Inde enim ab hoc tempore mirum in modum floruerunt tam ubere terræ proventu, quam opibus, divitiis, peculio, & multo ampliore Canaanææ possessione, quam Majoribus obtigerat.

ζ. MULTIPLICATIO SUPRA PATRES, eam mox consequuta, notissima in historiis, & per experientiam. Judæi defuncti gravissima illa calamitate sub Antiocho in tantam brevi eruperunt multitudinem, ut Palæstina illos amplius non ceperit, sed & proxima loca, Ægyptum, Syriam, Mesopotamiam, Asiam, magno numero impleverint, & per omnes Orbis Romani partes diffusi fuerint, quo statu eos deprehendit *Filius Dei*, *Oriens ex alto*, quando illos *visitavit*, & credenttbus in nomen suum præstitit magnum illud Beneficium *Gratiæ*, CIRCUMCISIONIS CORDIS, hic promissum.

10. Sequentes jam Prophetæ nihil fere aliud egerunt quam ut hæc *Signa* vel repetierint, vel uberius exposuerint: suntque hic conferenda & diligenter expendenda quæ ὁ μακαρ Coccejus huc adduxit ex omnibus prophetis

in

in *Considerationibus ad Ult. Mosis* à §. 230, & præcipue à §. 278 usque ad §. 332, quippe quæ insigniter faciunt ad prophetias hujus Intervalli illustrandas. Opera hæc Viri eximii, lectione & meditatione Scripturæ Sacræ plane subacti, *hac* quidem *parte* est quantivis pretii. Primus ipse, quantum mihi scire datum est, facem hanc accendit, concinnavitque hoc in loco systema *Vaticiniorum* illorum, quæ *Signa Prognostica Adventus Messiæ* exhibent, tam perite quam studiose digestum; tam proficuum veris Divinæ Sapientiæ cultoribus, quam lectu inspectuque jucundum. Nullus dens malignus illud rodet, nisi suo malo. Certe qui hanc laudem meritissimo Viro præripere tentaverit, vel supinam suam oscitantiam & stuporem prodiderit, vel invidiam. Quotquot Deum & Verbum ejus sincere amaverint, cujuscunque Gentis homines fuerint, in tam clara & amabili luce idem necesse est sentire.

11. Cum itaque reliquæ prophetiæ facile ad has classes revocari queant, ut quisque ex illo specimine Cocceji videre poterit: nunc solummodo monebo,

α. Prophetas, qui Exilium Babylonicum præcesserunt, aut primo Exilii tempore vixerunt, clare docuisse, Messiam post illius Exilii tempus, & instauratam Rempublicam esse appariturum, *Jer.* III. 14. 15. 16. XXX. 17. 18. 21. *Ezech.* XXXVI. 24. 25. 26. *Hos.* II.

 13.

13. 14. & ubique alias. Imo sane Prophetarum hic tam liquida est oratio, ut viderentur Israelitæ Messiam non longe post Reditum ex Exilio expectare potuisse, nisi alii Prophetæ interim plura Signa adventus Messiæ intermedia demonstrassent, ut mox videbimus. estque id utilissimum observatu adversus *Judæos*, quos, ubi de vero *tempore Messiæ* disputatur, hic necesse est suffundi pudore. Prophetæ enim omnes liquido prædixerunt, venturum esse Messiam post reditum Gentis ex Exilio, instauratamque Rempublicam: at illi volunt, intercedere adhuc debere novum & longe gravius ac diuturnius Exilium, quale hoc ipsissimum est in quo cum maxime versantur, *Romanum*, cum nova Reipublicæ eversione, antequam Messias se secundum *Promissa* & *Oracula* anteriorum temporum præsentem sisteret Genti. atqui hæc hypothesis est falsissima: estque vera ratio, cur in interpretatione Verbi Prophetici multis locis hæreant vel graviter offendant.

12. β. Prophetas, sive eosdem, sive qui vixerunt post tempus Exilii Babylonici, plura *Signa* identidem his adjecisse quæ Moses notaverat, ut sunt,

(a) *Messiam* non esse appariturum nisi post instauratam non tantum Rempublicam, sed & *Urbem Hierosolymam*, eamque egregie florentem & confertim habitatam, *Jer.* XXXI.

XXXI. 38. seqq. *Zach.* II. I. VIII. 3. 4.

(b) Venturum illum esse *stante Templo*, *Hagg.* II. 10. *Mal.* III. I.

(c) Postquam Respublica Judæa sustinuisset gravissimam luctam sub Antiocho Epiphane, *Dan.* VIII. 17.

(d) Et Judæi eluctati essent gloriose illud *certamen suæ fidei* cum *hostium suorum strage*, quippe vindicandi in libertatem ab *Heroibus*, à Deo *suscitandis*, *Zach.* X. per *tot.*

(e) Simul cum *imminutione status*, depressione, afflictione, Populorum Vicinorum, Palæstinorum, Phœnicum, Moabitarum, &c. dum interea Judæi caput exererent. *Zach.* IX. I. 2. seqq.

(f) Præcipue *Idumæorum*, de quibus supra monui, *Obadj.* ℣s. 21.

(g) Quo tempore distinctio *Judæorum* & *Ephraimitarum* esset sublata, *Ezech.* XXXVII. per tot.

(h) Populus Dei sub potestate profanorum Principum, Romanorum & Herodiadum, *Jes.* LII. 3. 4. 5.

(i) Et status Ecclesiæ quod ad *Pastores* ejus, *Principes Populi* & *Sacerdotes*, maxime esset corruptus, *Jer.* XXIII. I. 2. &c. *Ezech.* XXXIV. I. 2. *Zach.* XI. I. 2. &c. *Mal.* III. I. 2.

(l) *Post* LXIX *hebdomadas annuas*, lapsuras à tempore editi Edicti de instauranda Hierosolyma, *Dan.* IX. 24. 25.

(m) *Paulo post adventum Eliæ*, illustris nimirum alicujus Prophetæ, moribus, instituto vitæ, zelo, & circumstantiarum plurium respectu Eliam repræsentaturi, *Jes.* XL. 3. *Mal.* IV. ult.

Atqui hoc proximum erat *signum* ad quod sanctos oportebat advertere animum. quin sane plura sunt & colligi possunt ex Scripturis, quæ hujus studii desiderio affectus ex Verbo Prophetico his quæ ego nunc recensui, adscribet.

13. Atque hæc, hujusque generis *Signa* huc directe pertinent. Alia vero *indirecte & oblique*; quæ nimirum sunt Prophetiæ editæ de *Statu Gentium vicinarum* quarum ad Ecclesiam aliquis esset respectus, quæ prophetiæ *hoc Intervallo temporis* implementum suum consequutæ sunt: ut sunt prædictiones editæ de *Philischtæis*, *Idumæis*, *Moabitis*, *Arabibus*, *Tyriis*, *Zidoniis*, *Syris*, *Assyriis*, *Babyloniis*, *Ægyptiis*, imo *Græcis* quoque & *Romanis*, quarum præludia jam sunt, *Gen.* XXVII. 40. *Num.* XXIV. 18. 24. sed quæ integræ & perfectæ habentur apud alios Prophetas, *Jesaiam*, *Jeremiam*, *Ezechielem*, *Obadjam*, *Nahumum*, aliosque. quæ prophetiæ digerendæ sunt in ordinem, & implementum earum ad suum quod-

que

que tempus referendum. sunt autem hic duo observanda:

14. *α*, Prophetias, quæ *statum Imperiorum Mundanorum describunt*, omnes referri posse ad *Statum* Ecclesiæ, sive ad Fata atque Intervalla cujusque temporis Ecclesiæ illustriora. Deus enim noluit Ecclesiæ revelare atque exponere fata Mundi, nisi hoc fine & scopo, ut inde perciperet consolationem. Argumenta ejus rei indubia sunt prophetiæ de *Fatis Mundi*, & *Successione* majorum *Imperiorum* clarissimæ *Zach.* VI. 1. 2. *Dan.* II. 31. Prioris prophetiæ scopus est docere, postquam *quatuor* illa Regna, quæ ibidem memorantur, *Persicum* nimirum, *Alexandri*, *Syro-Macedonum* atque *Ægyptiorum*, *vi Divini decreti*, in orbe hujus terræ comparuissent, expectari posse *Christum Jesum*, ejusque *Regnum*, cœleste & spirituale. Posterioris Visi argumentum est, *Regnum Christi Jesu*, absque humana ope fundandum & propagandum, in Mundo sese ostentaturum esse, stante *Imperio Romano:* quod figuratur per *ferreos* illius magni Colossi *pedes*, idque, procedente tempore cum *reliquiis decem Regnorum*, in quæ magnum hoc & vastum Imperium scinderetur, esse destructurum. Et sunt hic præterea comparandæ prophetiæ similes *Zach.* I. 18. 19. 20. & seqq. *Dan.* VII. 3. 4. & seqq.

15. *β*. Particulares prophetias, quæ fata

sin-

ſingularium Gentium cantant, ut ſunt *Idumæorum*, *Moabitarum*, *Syrorum*, *Aſſyriorum*, *Babyloniorum*, ſubordinandas eſſe *Signis* illis *temporum* in quæ earum incidit implementum. Nempe qui Oracula illa legerit & expenderit, obſervabit, eſſe duplicis argumenti. *primo* quidem prænunciare pœnam, quam Deus ſumpturus eſſet de illis Gentibus, quod Populum Judæum male habuiſſent & afflixiſſent: quæ pœna *Aſſyriorum*, *Babyloniorum*, *Perſarum*, *Moabitarum*, *Syro-Macedonum*, incidit in Signa temporis hujus *tertium*, *quartum*, *quintum*, ut hiſtoria docebit. *ſecundo* prædicere converſionem illarum Gentium ad Chriſtum, poſtquam depreſſæ atque afflictæ eſſent, & ab iis ſumpta vindicta. Exemplum peti poteſt ex prophetiis de *Ægypto*, *Tyro*, *Idumæis*, apud Jeſaiam, Zachariam, Obadjam. *Jeſ.* XIX. 18. 19. 23. XXIII. 18. *Zach.* IX. 7. *Obadj.* ℣ſ. 21. Quare meditanti illas prophetias, poſtquam tabulam concinnaverit omnium *Signorum temporum*, utile fuerit è regione cujuſque *Signi temporis* collocare prophetias de *Gentibus* quibuſcunque aut *ſingularibus Perſonis* editas, quarum implementum in illud tempus incidit: quando facile illi fuerit omnes illas prædictiones inter ſe comparare. quod hic obſervaſſe ſufficiat in *Typo* hoc *Doctrinæ Propheticæ*, cum præſenti inſtituto non conveniat prophetias omnes recenſere, & ad ſua tempora quaſque referre.

CAP.

CAP. VII.

De TEMPORE QUARTO, ejusque SIGNIS.

QUARTUM & ultimum TEMPUS *Ecclesiæ* Christi in his terris est *novissimum illud* quod tempora omnia & sæcula superiora claudet, & in scenam hujus Orbis *æternam* inducet *noctem*; *gloriam* omnem & *fastum* hujus Mundi, omnem quoque præteriti ævi memoriam, spissa involvet caligine. Paulo τὸ τέλος FINIS; absolute, 1 *Cor.* XV. 24. alias ἡ Συντέλεια τοῦ αἰῶνος, vel τῶν αἰώνων, CONSUMMATIO SÆCULI vel *sæculorum*; quam tamen phrasin in aliqua sumi latitudine in Scriptis N. T. observatu plane est necessarium. (a) *Stricte* & proprie sumitur pro *fine* hujus Mundi *extremo*, qui sæcula omnia Divinæ Longanimitatis erga genus humanum exercitæ claudet, & *novam formam* inferet in hoc Universum, ut *Matth.* XXVIII. 20. *Ecce ego sum vobiscum usque ad Consummationem sæculi.* (b) Accipitur paulo latius pro temporis N. T. *periodo* illa, quæ hunc omnium rerum finem proxime præcedet, ut in Parabola *Matth.* XIII. 39. 40. 49. (c) Denique latissime sumitur pro toto tempore Novi Fœderis quod claudit Oeconomiam Veterem, velu-

veluti *Heb.* IX. 26. Quandoquidem enim *dies* Oeconomiæ Novæ terminant sæculum Oeconomiæ antiquæ, & nullum aliud tempus rerum hujus Mundi terrestris tempus Oeconomiæ Novæ sequuturum est: Scriptores Sacri totum hoc tempus contemplantur ut *extremum*, & *finem Mundi*, אחרית הימים *Extremum dierum Jes.* II. 1. (quæ tamen & ipsa phrasis latiorem sustinet interpretationem) τὰς ἐσχάτας ἡμέρας, *Heb.* I. 1. *extrema sæculorum*, 1 *Cor.* X. 11. *ultimam horam*, 1 *Joh.* II. 18. Nos primam significationem nunc amplectimur.

2. Nempe Vebum Dei nos docet, τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου *formam hujus mundi* non fore æternam, sed eandem aliquando *præterituram*, abolendam, destruendam esse, & eodem illo tempore *revelandam* esse perfectam *vitam* & ἀπολύτρωσιν *redemtionem filiorum Dei*, 1 *Cor.* VII. 31. *Col.* III. 3. 4. *Ephes.* IV. 30. *Rom.* VIII. 23. quæ est magna illa salus à Christo Jesu Populo suo impetrata, cum plenaria abolitione omnis *potestatis Satanæ* conjungenda, 1 *Pet.* 1. 5. De quo tempore liquet ex eodem illo Dei Verbo, *α*. *Mortuos omnes* tum resuscitatum iri *ex pulvere terræ*, *Joh.* v. 28. 29. *β*. Imprimis electos & sanctos omnes superiorum temporum, credentes in Christum, resurrecturos ad gloriam, quæ est *resurrectio vitæ*, *Luc.* XIV. 14. XX. 36. *γ*. Christum Jesum, ut *Judicem mortuorum & viventium*, visibili & cog-

cognoscibili specie appariturum esse *in nubibus cœli*, magna cum demonstratione majestatis, cum *sanctis suis Angelis*, *Matth.* XXV. 31. 2 *Thess.* I. 7. 8. 9. 10. *δ*. Judicium de *vita* & *morte* esse vulgaturum atque exequuturum, sanctos justificatos *ad se rapiendo in aërem*, 1 *Thess.* IV. 17. *damnatos* autem transcribendo in locum & *statum exitii æterni à facie Dei & gloria roboris virium ejus*, vindictam de iis sumturum *igne flammante*, *Matth.* XXV. 41. 2 *Thess.* I. 8. *ε*. Hanc terram sive in ipso damnatorum judicio sive post illud, esse *conflagraturam* cum omnibus suis instrumentis quæ vanitati humani generis inservierunt, 2 *Pet.* III. 7. *Rom.* VIII. 21. Confer *Apoc.* XXI. 1.

3. De hoc *Tempore*, ejusque *attributis*, *casibus*, & *phænomenis* illustrioribus Scriptores N. T. ubertim & clarissime loquuntur: nec Christianorum est ullus qui de iis, generatim sumptis, dubitat. Adde, eandem fuisse *fidem sanctorum* Oeconomiæ Veteris, ex quorum traditionibus de *tempore resurrectionis*, & DIE MAGNI JUDICII (יום דינא רבא) à Doctis Viris, & inter illos præcipue à Josepho-Medo, (in *Apoc.* XX. 1. 2.) luculenta collecta sunt testimonia. Imo verò in Scripturis Oeconomiæ Veteris integræ extant pericopæ in quibus fides sanctorum tum de *Resurrectione Justorum*, tum de *Resurrectione universali*, quæ absque omni dubitatione involvit *universale Judicium*, liquido describitur,

tur, ut sunt *Ps.* XLIX & XC, coll. cum *Job.* XIX. 25. *Eccl.* XI. 9. XII. 14. Sed longior hæc est demonstratio, quam ut hoc in loco apte inseratur.

4. Tantum moneo, *α*. Bene multa in sacris Libris antiqui Fœderis extare testimonia alia quæ hunc rerum finem mystice indicant & supponunt, quale est illud Enochi apud *Jud.* ℣. 14. *Ps.* L. I. CII. 27. 28. *Jes.* LI. 6. *Joël*, II. 31. *Mal.* IV. I. *Dan.* XII. I. *β*. Non obscuram jam de magna hac eaque universali catastrophe, qua terra hæc *conflagraret*, & igne perdita desineret hominum flagitiis, ineptiis, vanitati, servire, revelationem factam esse Noæ, *Gen.* VIII. 22. *Post hæc* OMNIBUS DIEBUS TERRÆ, h. e. ex consilio Divino destinatis *huic terræ*, iterum non perdendæ *Diluvio*, *non amplius satio & messis*, *hyems & ver*, *æstas & autumnus*, *nox & dies*, *cessabunt*. Oraculnm est obscurius. Supponit tamen, terræ huic *suos esse definitos dies*. certum durationis tempus. Quando autem Deus declarat, non esse amplius perdendam *aqua*: quid restat, quam arcano Dei consilio, quod hactenus tempestivum non erat vulgare, destinatum illi esse supplicium *ignis*? *γ*. Hanc traditionem apud Sapientes omnium Populorum Orientalium antiqui temporis, tum quoque Philosophos aliquot Græcos, *Stoicos* certe, (quibus *Pythagoricos* etiam & *Platonicos* addit Origenes in Libris *adversus Celsum*, in

qui-

quibus frequens de hac re disserit:) obtinuisse, possuntque illorum testimonia hoc de argumento videri in *Theoria Telluris Sacra* Thomæ Burneti, *Lib.* III. *Cap.* II. III. collato loco Petrino 2 *Epist.* III. 9.

5. Cæterum notabilis hic Eventus ex Divino consilio & decreto illigatus est *certo* alicui *tempori*, idque innuit Dominus *Act.* I. 7. ubi ipse ad discipulos; *Non est vestrum, nosse tempora & opportunitates, quas Pater in sua posuit potestate.* Paulus ad Athenienses *Act.* XVII. 31. *Deus* ἔστησεν ἡμέραν *constituit* DIEM *quo judicaturus est Orbem.* qui utique *dies* est tempus certum & fixum, huic eventui destinatum. Alibi ἡ ἐσχάτη ἡμέρα *ultimus dies*, *Joh.* VI. 39. 40. *Dies Christi*, 2 *Thess.* II. 2. *ille Dies*, sc. illustris, 2 *Tim.* I. 12. 18. *Dies magnus* יומא (רבא Paraphrastis:) *Jud.* ℣ſ. 6. Sic est: & tamen stolidi ingenii esset de *uno* aliquo *die* cogitare quo hoc tempus circumscriberetur. Tantum erit quantum Domino visum fuerit commodissimum judicio habendo & exequendo: de quo nihil hic velim anticipare.

6. Etiamsi vero Deus Ecclesiæ suæ in his terris multum indulgeat in *consiliis* suis cum ea communicandis: non placuit tamen illi ob gravissimas rationes hujus Oeconomiæ tempus definire & circumscribere *certo annorum* ac *dierum intervallo*; quod subinde in superioribus Oeconomiis fecerat. Ipse Dominus Jesus, dum

K in

in his versabatur terris, fassus est id se exploratum non habere *Matth.* XXIV. 36. *Marc.* XIII. 32. Imo noluit etiam, ut præcipiti judicio aut spe hoc tempus imprudenter anticipemus, quod multi faciunt, vastitatis Divinorum Consiliorum immemores, acsi Divinæ Sapientiæ legem præscribere præsumerent, *Act.* I. 7. 2 *Thess.* II. 2. Fidei & prudentiæ est, *non festinare*, *Jes.* XXVIII. 16. quare excusari hic non merentur, qui nulla idonea instructi probatione, tantum sibi arrogare audent, ut quod celare nos voluit Deus, ipsi tamen definire sustineant, inter quos præter alios est Matthæus Hofmannus, Vir cætera insignis, & Verbi Prophetici studiosissimus. Sed opus non habent verbis operose refutari, quos hactenus refutavit experientia.

7. Quæ etsi ita se habent; noluit tamen Deus, ut Ecclesia hac in parte in mera versaretur caligine. Quin sane ut omnium *Temporum*, sic vel maxime hujus *Temporis* notabilis, aliqua constituit *Signa*, ex quibus de ejus *qualitate* & *appropinquationis gradu* judicare queamus: nisi quod Prophetæ superiorum temporum, illa *Signa* describentes, casus illos illustres fere connexerint cum tempore *Adventus* & *Regni Messiæ*, eosque magis tanquam *consequentes Adventus Messiæ* & *Regni ejus*, quam *antecedentes* novissimum illud *Tempus Resurrectionis Mortuorum* & *Judicii*, nobis contemplandos objecerint.

cerint. Sed id plane perinde eſt. Illi enim cum deſcriberent *Regnum Chriſti*, illius quoque deſcripſerunt Fata; quæ ſunt *Signa conſequentia Regni Chriſti*, & *antecedentia Noviſſimi Judicii*.

8. De hiſce *Signis* noſtris diebus acriter eſt diſputatum, poſtquam ὁ μακαρ· Coccejus in *Meditationibus* ſuis *Propheticis* hypotheſin de *ſeptem Periodis temporis* N. T. quam poſt Joachimum, Abbatem Cœnobii Florenſis, ante exitum *Sæc.* XII. Franciſcani Ordinis Monachi aliquot, homines pro illis temporibus optimi, non indocti, ſancti, ad ſummam vitæ ſpiritualis perfectionem in hac vita enitentes, iidemque in *Verbo Prophetico*, & præſertim in *Libro Apocalypſios*, probe verſati; & *initio temporis Eccleſiæ in melius inſtauratæ* plures Viri doctrina ac pietate eximii dudum in medium produxerant & commendaverant ut *veram clavem* hujus Libri recte interpretandi, ipſe denuo paſſim urſiſſet. & tam ad *Apocalypſin* quam ad *Prophetias V. T.* in quibus de *Statu Eccleſiæ N. T.* agitur, interpretandas applicuiſſet.

9. Hypotheſis illa in genere fert, *univerſum Tempus Eccleſiæ Oeconomiæ Novæ*, ab initio illius Oeconomiæ uſque ad illius finem, dividi poſſe in SEPTEM *Intervalla* ſive PERIODOS; quæ nimirum *Intervalla* ſive *ſpatia ſeptem temporum* ſupponuntur totidem complecti *variantes* Eccleſiæ illius *ſtatus*, ſive totidem *extantiores*

Ecclesiæ Christianæ *Eventus*, pendentes à Dei consilio & providentia, qui tanquam *Signa* quædam majora atque illustriora *Diem Judicii novissimi* præcedere debebant. Sic in genere omnes illi sentiunt Docti Viri, quos modo designabam: nec tamen inter illos convenit in his temporum *periodis*, sive ÆTATIBUS SEPTEM (sic loquebantur hujus hypotheseos primi auctores:) describendis, licet dissensio tanta non sit quantam alii jactant. Cl. Coccejus *Periodus* hasce in *Meditationibus* suis *Propheticis* ad *Ultima Mosis*, sive *Deut. cap.* XXXII & XXXIII, ad *Cantic.* & alibi passim, fere hunc in modum definivit, ut

Prima Periodus sit Ecclesiæ Apostolicæ puræ, castæ, pacatæ, florentis, usque ad exortas graviores Paganismi Persecutiones, sive *Persecutionem Neronis*.

Secunda, Ecclesiæ laborantis & afflictæ sub Imperio Principum Paganorum, Romani Orbis Præsidum, usque ad pacem Ecclesiæ in Orbe Romano procuratam à Constantino. in quam ipsam *Periodum* quoque incidit *judicium Dei* terribile in Judæos.

Tertia, Ecclesiæ jam quidem liberatæ à Persecutione Paganismi, & quod ad exteriorem suam conditionem florentis tam confessorum multitudine, quam decore & splendore, in sacra illato, sed jam ab hoc tempore vel maxime incipientis conflictari

sive

ſive cum *hæreticis*, Divinitatem veram Servatoris abnegantibus, ſive cum *hypocritis*, qui larva Chriſtianiſmi tecti ambitus & ſuperſtitionis in ea fuerunt auctores. Extendunt eam paſſim Viri Docti uſque ad initia *Sæc.* VII, ſive *Bonifacium tertium*, Papam Romanum, indultu Phocæ *Epiſcopum Oecumenicum.*

Quarta, tempus verum & proprium *Imperii Babylonis Myſticæ*, quo ſacra corrupta ſuperſtitione & idololatria, domus Dei obſcurata craſſis tenebris ignorantiæ, hypocriſis obtinuit locum veræ fidei & ſanctimoniæ; ſanctis & fidei purioris amantibus hominibus poſt fruſtraneam luctam cum errore, ſuperſtitione, & hypocriſi hominum carnalium ſui temporis, vel dolentibus vicem ſuam in communione *Babelis myſticæ*; vel ſe palam à communione Eccleſiæ adulteratæ Occidentalis ſeparantibus, à tempore *Bonifac.* III. uſque ad tempus *Reformationis Eccleſiæ* Sæc. XVI.

Quinta, Eccleſiæ Reformatæ opera Lutheri, Swinglii, aliorumque præſtantium Miniſtrorum Chriſti, & cum plane deſperaret converſionem Eccleſiæ corruptæ & ſpuriæ, renunciantis communioni Eccleſiæ Romanæ, cum varia lucta, ab A. 1517. uſque ad pacem *Paſſavienſi Tranſactione* ſancitam, A. 1552.

Sexta Ecclesiæ Reformatæ, à charitate sua prima & morum puritate deflectentis, in Deum ingratæ, & ejus promeritæ *judicia*, satis severa, *inceptura* quidem *à Domo Dei*, verum certo pede *progressura* ad hostes Ecclesiæ pertinaces, de quibus sub finem hujus Intervalli sumenda erit vindicta terribilis, quando Ecclesia Christi Jesu, à scandalis purgata, & multis Spiritus S. donis locupletata, destructo Antichristianismo, insigniter in Mundo florere incipiet, terminus hactenus incertus.

Septima Ætas, Status Ecclesiæ in his terris pacati & gloriosi, quo ipsa his tantis Divinæ Gratiæ beneficiis læta in arctissima Christi communione celebrabit *Sabbathum* suum mysticum, aut, stylo Prophetarum, *Festum Tabernaculorum*, decurretque hoc Ecclesiæ tempus usque ad *Finem Seculorum*.

10. Observandum tamen, Cl. Virum, ubi hypothesin hanc applicat ad prophetias interpretandas, non ubique vel *principium* & *finem periodorum* accurate definire ac describere, sed tempora hæc à suis *qualitatibus* sæpius *indefinite* tantum appellare; vel eadem etiam *tempora* ab iisdem Eventibus denominare, ut, verbi gratia, *Secunda Periodus* cum sit *tempus Ecclesiæ afflictæ* in Romano Imperio Pagano, eadem secundum ipsum est *judicii* & *vindictæ* sum-

ſumptæ de Judæis fœdifragis & incredulis cum plenaria Reipublicæ eorum ſubverſione. quod proinde *Signum* in aliis locis ad hoc *ſecundum tempus* applicat. Nec id male adeo vel præter rationem, cum in idem tempus ſæpe plures incidant Caſus memorabiles, & ſatis etiam per ſe illuſtres. Cæteroquin ubi *tempora Eccleſiæ* abſolute deſignantur, abſque σχέσει ad has vel illas prophetias particulares, denominanda ſunt à communioribus quibuſdam *qualitatibus* ſive *accidentibus*, quæ unam Eccleſiæ ætatem præ alia inſigniter illuſtrant, & tempora Eccleſiæ ab invicem manifeſto diſcernunt.

II. Ἐπίκρισις mea eſt; Si quis rem *in genere* conſideret, & Scripturas Sanctas inter ſe tam in *Propheticis* quam in *Typicis* & *Myſticis* diligenter conferat: probabilem maxime videri hypotheſin de *ſeptem Ætatibus*, ſive *Diebus majoribus*, aut, ſi vis, *Periodis*, quibus Eccleſia Chriſti Jeſu in his terris ex Divino conſilio circumſcribenda erat. Argumenta ſunt, α. Ex alia hypotheſi nulla quam ex hac ipſa videri dari poſſe rationem *uſus frequentiſſimi numeri ſeptenarii* in ſacris Oeconomiæ Veteris, idque in notabilibus caſibus & circumſtantiis, de quo pluribus in *Anacriſi Apoc.* β. Nec ex hypotheſi alia reddi poſſe rationem, quare *Feſta* plura ſub Oeconomia Vetere circumſcripta fuerint *ſeptiduo*, quorum dierum Feſtorum *primus* & *ultimus* eſſent *Sabbatha*. Vir quidam pius & ple-

bejus, qui vixit inclinante *Sac. Reformationis* XVI, cujus nomen hic cum honore legi velim, dum celebratiſſimis aliis noſtri temporis parco & dicta opera abſtineo, Robertus Roberti le Cann, in *Tractatu* de *Feſtis Iſraëlis*, idiomate vernaculo conſcripto & hic loci annis abhinc aliquot recuſo, inter alios typos antiqui temporis notabiles, in quibus fidem ille ſuam fundat de *Septem Statibus* ſive *Diebus* majoribus Eccleſiæ N. T. hos quoque recenſet ſequentes, (p. 90.) dignos utique quos hic repetam,

(a) *Feſtum Paſchatis*, *ſeptiduo* circumſcriptum. *primus* & *ultimus dies Sabbatha.*

(b) *Feſtum Tabernaculorum* pariter hebdomade finitum. primus & ultimus dies *Sabbatha. Octavus* enim *dies*, (quod hic addo) ipſe quoque *Feſtus*, cenſitus eſt, & adhucdum cenſetur à Judæis veluti *Feſtum Novum*, ac peculiare.

(c) *Feſtum Pentecoſtes* celebrandum poſt *ſeptem hebdomadas dierum.*

(d) *Annus Sabbathicus*, ſive *Remiſſionis*, ordine *ſeptimus.*

(e) *Circuitus ſeptem* faciendi in expugnanda Hierichunte, terminandi in *Sabbatho.*

(f) *Aaron* officio Pontificali inauguratus per *ſeptiduum* verſari debuit in *Tabernaculo*, ſub gravi pœna *Lev.* VIII. 33. 35.

(g) *Tem-*

(g) *Templi* Salomonis ædificium *septennio* absolutum.

Typi hi respiciunt Ecclesiam N. T. cujus tempus universum si supponas complecti *septem dies* magnos sive *ætates*, facile te expedis: cætera hæres. γ. Præcipua argumenta pro hac hypothesi depromuntur ex *Apocalypsi*, quæ utique Fata Ecclesiæ N. T. *ordine* exhibenda clausa exhibet Libro *septem Sigillis signato*, quorum unum post aliud aperitur. Certum hic esse debet inter eos qui vero student, (a) Fata, hoc Libro signata, grandiora & notabiliora esse, non *contemporanea* sed *consequentia*. (b) Adstricta esse *certis temporibus*. (c) Decurrere usque ad *sæculi consummationem*; sive *Tubicinia Sigillo septimo* subordines, sive eadem statuas seriem judiciorum Divinorum à prima origine sua repetere; quod nunc non disputo. Utrovis modo rem accipias, evitare nequis, quo minus *septem Tempora* agnoscas illustriora, decurrentia ad *finem Mundi*. De *Epistolis* idem affirmandum videtur: de quibus quæ disputavi in *Comm. Apoc.* §. 27. 28. seqq. inspici possunt. δ. Ex nulla hypothesi alia, quantum nobis liquet, expediri posse rationem, quare Deus universi hujus fabricam perducere voluerit ad perfectionem ornatumque suum spatio *sexidui*, terminandi in *Sabbatho*. Fateor, posse nos eam ignorare, ut multa alia. Quid vetat tamen inquirere in eam, quid demonstrare etiam, si sciri & de-

monstrari possit ex analogia nobilioris alicujus præstantiorisque Operis Dei, *Creationis*, inquam, *Mundi mystici*, *septem temporibus*, sive *diebus majoribus*, per sua fata notabiliter distinctis, perducendi ad perfectionem? In numero *septenario* nihil situm est mysterii si eum per se consideres, Ipsum quoque *prima Creationis Opus* non videtur hunc numerum vel ordinem dierum necessario postulasse. Quod vero propter se *tale* non est, est propter aliud. quod quid sit, nemo facile docebit, qui *septem* temporum Novæ Oeconomiæ *vices* non admiserit. His admissis, omnia lucent. Atqui nos persuasi sumus de harmonia accuratissima omnium Dei Operum.

12. Verum etiamsi hanc hypothesin in genere admittam: non existimem tamen, Cl. Coccejum suas illas periodos hac parte recte digessisse, quod *Tempus Ecclesiæ Refomandæ* per Germaniæ, Helvetiæ, & Galliarum Doctores connectat cum *Periodo Quinta*, & *Sextam Periodum* rursus ad eandem referat Ecclesiam Protestantium, post pacem Religionis impetratam Patavii. Veteres, qui *septem Ætates* Ecclesiæ observarunt ex Apocalypsi, ita non instituerunt, quippe magnum illum & illustrem Eventum Ecclesiæ Reformandæ assignarunt *Ætati sextæ*. Sic Jacobus de Paradiso, & Joannes Saskerides: etsi tamen non nescio alios Coccejo in ipsa illa sententia, quæ Opus *Reformandæ Ecclesiæ* Periodo Quintæ illigat,

præ-

prælusisse. Sed altera sententia mihi ex partium Apocalypticarum collatione, tum quoque ex argumentis aliis, visa est verior: licet quod imperiti mirentur, divortium hic multo sit minus quam ad primam speciem apparet. Ergo ex mea hypothesi *tempora* illa *septem* hunc in modum digerantur, ut

Primum tempus sit Ecclesiæ Apostolicæ, alas suas expandentis per Mundum.

Secundum, Ecclesiæ *afflicta* in Imperio Romano Pagano, & cum Paganismo luctantis usque ad reportatum de eo triumphum sub Constantino.

Tertium, Ecclesiæ in Romano Imperio stabilem sedem nactæ, sed sustinentis gravissimam luctam cum *Hæreticis* varii generis, à temporibus Constantini usque ad finem Sæc. VII.

Quartum, Ecclesiæ luctantis magna & gravi lucta, non tantum cum *Muhammedismo*, sed & cum *Superstitione*, *idololatria*, *hypocrisi*, & ab his vitiis quod ad majorem ejus partem tandem victæ, à tempore Leonis Isauri Sæc. VIII. usque ad ortum *Waldensium*, inclinante Sæc. XII.

Quintum, *Ecclesiæ corrupta*, sive *purioris Ecclesiæ* se incipientis *separare*, & dum se separat atque *eluctatur*, oppressæ à multitudine carnali Ecclesiæ adulterinæ, defectricis, in qua ὁ Ἀντικείμενος, in *Templo Dei*

seden,

sedens tanquam *Deus*, cum omnibus suis *characterismis*, & quoque cum *vi*, *tyrannide*, & *persecutione* acri innocuarum ovium Christi, ab ipso mactandarum, se palam ostentabat; etsi tamen Dominus novi hujus Popelli sui *curam* non negligeret: à temporibus *Waldensium* usque ad *Sæc.* XVI, quo magnum illud Opus perfectum est.

Sextum, Ecclesiæ quod ad Doctrinam, Cultum, & Disciplinam exteriorem à crassissimis & pudendis Vitiis purgatæ atque in melius instauratæ ope eximiorum & fidelium Ministrorum Christi, gratia ejus singulari ad hoc difficillimi conanimis & negotii opus suscitatorum; sed procedente hac periodo relapsuræ ad *novum* fidei suæ & Religionis *teporem*, &, neglectu severioris disciplinæ, ad communionem vitiorum atque inquinamentorum sæculi, easque ob caussas à Domino Jesu castigandæ: qui aspectus est Ecclesiæ nostri temporis.

Septimum tempus *Sabbathi* Ecclesiæ, h. e. pacis, quietis, lætitiæ spiritualis, & triumphi Ecclesiæ de hostibus & superiorum temporum gravi lucta, identidem repetita, conjungendum cum amplissima copia donorum Sancti Spiritus, magna luce scientiæ Dei & viarum ejus, efficace gratia veræ sanctificationis, Ministrorum Christi & Rectorum Ecclesiæ peritia in rebus spiri-

tua-

tualibus & diligentia in Munere suo administrando, Principum quoque & Ducum puro in Religionem affectu & reverentia, conversione Judæorum & Gentium, &, quod primo loco recensere debueram, subversione *Sedis inimicæ* & *falsariæ*, & *terribilibus judiciis* quibus hostes Ecclesiæ prosternentur à Deo, Ecclesiæ suæ vindice. quæ *judicia* vere pertinent ad initia hujus *Periodi*; etsi subinde accenseantur fatis *Periodi sextæ*, quia cum illius Periodi extremis ἀμέσως cohærent. Hoc tempore neminem fugiet, omnes videbunt, Christum Jesum cum efficaci demonstratione suæ gloriæ & majestatis in Ecclesia sua præsentem adesse. *iniquitas omnis os suum claudet. noxa omnis aberit à monte sancto. pax & justitia ubique regnabunt, & florebit in mundo justus.* Hoc tempus est *Epuli* nuptialis, ab Agno celebrandi cum Ecclesia. plura non addo.

13. Hoc schema temporum qui contulerit cum *Epistolis* & *Sigillis* Apocalypticis, & *Tubiciniis* quoque, licet eorum non eadem per omnia ratio sit: sentiet sibi oriri lucem in hujus Libri interpretatione. Et miraris tamen merito, me in *Periodo Quinta* definienda à Cl. Coccejo dissentire. Quid enim? inquis. Urgeturne, jactatur ubique, & ostentatur *Doctrina Periodorum septem* ut clavis interpretandæ Apocalypsios,

sios, & ipsi illi Interpretes, qui hanc adoptant hypothesin, non consentiunt in *Periodis* illis sive *Statibus* Ecclesiæ recensendis & distinguendis! Arguitur itaque inde apud imperitiores Doctrinæ hujus obscuritas, & Doctorum, qui in hypothesi ipsa consentiunt, discordia. Sed vere, si in rem ipsam diligentius inspicias, perit species & color huic objectioni quæsitus: Quod enim ad *Sextam* attinet *Periodum*: convenit inter dissidentes; esse eam referendam ad *Ecclesiam* illam quæ communioni idololatriæ & superstitionis Ecclesiæ Romanensis valedixit: Quæsiti itaque & disputationis totius cardo vertitur in *Periodo Quinta* recte figenda, imo potius in *Periodi Quintæ* initio accurate definiendo. *Periodus Quinta* illam describit Ecclesiæ *Ætatem*, qua, *Babele* mystica longe lateque regnante, & per populos suam tam Doctrinæ & Cultus quam Morum diffundente corruptionem, sancti se incipiunt separare ab illius communione, & ejus rei gratia necesse habent gravem sustinere Persecutionem. Id sane fieri cœpit factumque est à Waldensibus, *Sec.* XII, & sequentibus, à Wiclefo, Husso, Bohæmis, usque ad tempora Lutheri: etsi Satanas illius *primæ Reformationis* successum optatum sufflaminaverit, quod jam prædixerat Dominus futurum esse, *Matt.* XII. 28. 29. Cum igitur idem fere sit character Ecclesiæ eluctantis ex communione Babelis in libertatem; ab initiis

Lu-

Lutheri usque ad *Transactionem Passaviensem*, quid mirum adeo, posse hic dubitare Doctos etiam & exercitatos Viros, an eluctantis Ecclesiæ initia maturius & altius, an potius eadem serius ordiri debeant?

14. Id præcipuum est, quod adversus hanc hypothesin infertur: quod nunc dilui. Cætera minoris sunt momenti. veluti, (a) *Periodos temporum septem* ex hypothesi Cl. Cocceji maxime esse *inæquales*. Resp. *α.* Nihil vetat esse *inæquales*, cum *status Ecclesiæ* variantes tempora definiant; non vero hæc modum ponant statibus Ecclesiæ. *β.* In nostra hypothesi inæqualitas minor est: nulla certe quæ quemquam offendat. (b) *Scripturam S. nullibi exerte & explicite has septem Periodos definire.* ℞. An non in *Libro*, *septem Sigillis* munito, quorum unum post aliud aperiendum erat, decurrentibus fatis usque ad finem Sæculi? Potestne major claritas & evidentia in *Verbo prophetico* desiderari? *Verbum Propheticum* conscriptum est in usum *prudentium συγκρινόντων τὰς γραφάς.* Cætera non repeto. (c) *Octavum*, aliosque numeros *dierum sæpe etiam in typicis usurpari.* ℞. Nihil vetat: sed non absque mysterio. In *circumcisione* & *purgatione leprosi*, & alibi, respicitur manifesto *dies resurrectionis Domini*, *primus* hebdomadæ, idemque *superioris hebdomadæ* respectu *octavus*. *octavus* autem potius hic eligitur quam *primus*, quia lapsus alicujus temporis in his sacris erat necessa-

cessarius. eligitur igitur dies *primus* alter, *primi* loco. In aliis typis, ut in *initiatione Aaronis*, (*Lev.* IX. I.) censetur esse & est *primus novæ hebdomadæ.* Eadem series temporis repetitur: Figurat *primum tempus N.T.* quo Christus Dominus ut *magnus Pontifex super Domum Dei*, initiatus est suo Muneri cum evidentissima *Divinæ præsentiæ* testificatione. In aliis casibus alium obtinet usum: nec etiam præ nobis ferimus omnia arcana rationum Divinæ Providentiæ explorata habere. (d) *Septenarium Numerum in Apocalypsi subinde usurpari absque respectu ad septem Periodos.* ℞. Largior ultro. Sed usurpatur in illis casibus sive ut *numerus perfectionis* quam mutuatur ab *hoc opere mysticæ Creationis*, vel quod *res* ipsæ, de quibus agitur, illum numerum determinent. (e) *Epistolas, Sigilla; Tubicinia*, ex hypothesi easdem Periodos demonstrantia, de eodem tempore diversa tradere. ℞. De *Epistolis* & *Sigillis* non apparet: nisi quod illæ *internum*, hæc *externum* magis Ecclesiæ *statum* respiciant. *Tubiciniorum* ratio paullum, nec tamen multum, diversa est.

15. Id tamen lubens concedo, & jam sæpe observatum monitumque ab aliis est, visum esse Spiritui S. ob gravissimas rationes in Fatis Ecclesiæ, secundum *Septenarii* ductum describendis tempora *subinde* sumere in majore vel minore latitudine, ut si unius Periodi plura sint Fata, quæ in *illius periodi extremum* incidunt, ad

sequen-

sequentem referat, cum cujus Fatis proxime & immediate cohærent; viciſſim quæ in *ſequentis* initium cadunt, ad *antecedentem*, ut nexus Fatorum cohærentium, & occaſiones ſequentium Mutationum, tanto clarius perſpiciantur; quippe quod uſum habet, qualem alibi demonſtravi, in *Epiſtola ſexta* & *ſeptima* cum *Sigillis ſexto* & *ſeptimo* comparandis. Judicium enim de *Periodorum terminis* ex *Viſis* & *Prophetiis* inter ſe collatis componendum eſt. Nec excludo hic *typum Creationis*, ſecundum cujus canonem & modulum *Dies* majores, ſive *Tempora* Eccleſiæ N. T. rectiſſime finiri & digeri poſſunt: modo qui ſe, ad has applicant meditationes, quod plures noſtro ævo tentarunt, prudenter inſtituant, & neceſſariam huc adferant peritiam & exercitationem.

16. Quod ſi nihilominus quis in hypotheſi hac de *ſeptem Ætatibus* Eccleſiæ N. T. hæſitet, quippe quæ nec ſatis liquido ipſi probata videatur, nec ad prophetias alias, quæ Fata N. T. deſcribunt, interpretandas commode adhiberi: judicii ſui copia per nos licet fruatur. Nec ſane ipſe ego nego, Prophetas non ſemper vaticinia ſua de *Eventibus Regni Chriſti* huic ordini adſtringere, ſed plura alias, alias rurſus minora Fata hujus temporis recenſere; tum quoque, non deeſſe vel certe defuiſſe inter Doctos, hujus hypotheſios tenaces, qui in adſtruenda urgendaque hac Doctrina debitæ modeſtiæ ac mo-

derationis excesserint limites, & meditationis hujus suavitate illecti, subinde etiam eam applicaverint ad ea quæ vere sunt *ἄλλου γένους alterius generis*, cujusmodi est prophetia de *septem Phialis* in Regnum Bestiæ effundendis.

17. Non negaverit tamen quisquis fuerit Verbi Prophetici reverens; inter Eventus & Fata *Regni Christi Jesu*, de quibus loquuti sunt Prophetæ, hæc occurrere sequentia:

α. Exuberantem Copiam Donorum Sancti Spiritus, in Regno Christi effundendorum in *Ecclesiam*.

β. Pacatum & florentem Ecclesiæ illius primi temporis *statum*.

γ. Conversionem Gentium ad agnitionem & fidem *veri Dei*, earundemque *confluxum* ad Ecclesiam, cujus communioni gregatim adscriberentur.

δ. Vindictam severam post finitum tempus Divinæ Longanimitatis sumendam de *Judæis* incredulis, pertinacibus & simul pessimis Christi Jesu hostibus, involvendis exitio Reipublicæ suæ ad instar alterius cujusdam *Diluvii*.

ε. Triumphum Christi & Ecclesiæ de Imperio Romano Pagano, & *Urbe*, quæ dicebatur, *æterna*, patentibus Portis & valvis Christum Regem receptura, post *difficillimum certamen Fidei*, concitandum à Satana, qui hac arce ægre se pateretur exturbari,

bari, & *graves Ecclesiæ persecutiones* atque *afflictiones.*

ζ. *Corruptionem Ecclesiæ* per *hæreses* & *securitatem carnalem*, quo tempore zizania replerent *agrum Mundi* in quo satum esset Evangelium.

η. Illius *Corruptionis* demonstrationem primam faciendam per homines pios, qui mirati infelix lolium tam brevi tempore tanta copia succrevisse segeti bonæ frugis, ut eandem jam plane tegeret & inumbraret, se separarent à communione Ecclesiæ adulterinæ cum *multiplice lucta*, probatione, afflictione.

θ. Quam luctam Ecclesiæ cieret aliquis, in emphasi sic dictus, Ἀντικείμενος *Adversarius Christi*, qui armatus plurium Regnorum sibi subjectorum potestate, *larva* tamen *Prophetæ* tectus, in Templo *Dei* sedens veluti *Deus* fundens Oracula, tristem aperiret *scenam*, & in Gregem Domini magnam inferret vastitatem, *Ps.* LXVIII. 22. CX. 6. *Jes.* XI. 4. coll. *Deut.* XXXII. 42. *Apoc.* XIII. 1. 2.

ι. Interea dum Gentes feræ & Barbaræ, amplissimum in alia Mundi parte fundarent *Imperium*, Regno Christi pariter *adversarium*, sed Christo Regi novi triumphi paraturum materiam. *Bestia* hæc est *arundineti*, *cætus taurorum*, *populi qui bellum*

cupiunt. Assur à spirituali *Ægypto* distinctus, *Ps.* LXVIII. 31. *Mich.* V. 4.

κ. *Purgationem Ecclesiæ* à corruptela & inquinamentis Religionis, scandalis, vitiis, quibus eum in modum obruta erat ut veram suam speciem dudum amisisset, conjungendam cum primo *Babelis mysticæ* casu. *Apoc.* XIV. 8.

λ. *Ecclesiæ illius, quæ Babelem egressa esset, statum denuo collapsurum*, ac propterea exercendæ ac purgandæ novis iisque gravissimis Dei *judiciis.*

μ. Sed quæ terminarentur in *severa vindicta, sumenda ab hostibus Ecclesiæ* cum res ad summum venisset: Deo nimirum contra omnium expectationem suscitaturo *Vindices*, qui caussam Ecclesiæ feliciter acturi, & eandem *opera fidelium Christi Jesu Ministrorum* purgaturi sint à *scandalis*. *Angelos Filii hominis* vocat Dominus ipse in Parabola *Matth.* XIII. 41.

ν. Quando Ecclesiæ affulgebit lux illa optata *meliorum temporum*, de quibus *omnes loquuti sunt Prophetæ*, (*Apoc.* X. 7.) ubi destructis *Imperiis*, Regno Christi *adversariis*, & *Judæis* cum *Gentibus* in eadem fide conjunctis, Regnum Christi Jesu Mundo exhibendum erit in omni sua perfectione, decore, splendore, & *nomen Dei unum ac gloriosum erit per universam terram.*

18. Me-

18. Meditanti autem prophetias, quæ Fata Ecclesiæ Novi Fœderis describunt, evolvenda est primo loco *Apocalypsis*, clavis omnium Oraculorum, quæ eventus notabiliores Regni Christi Jesu explicant; cujus Libri vel nulla expectanda est certa interpretatio, vel hac tentari debet methodo, ut primariæ Interpretum hypotheses excutiantur, & ex iis inter se collatis comparatisque verum eliciatur: cui rei inservire possunt *Anacrises* illæ quas in sensu hujus prophetiæ indagando *majoribus* illius *partibus* præmisi. Quæ si longior videatur esse via: (nec tamen brevior datur adspiranti ad perfectiorem Divinorum consiliorum intelligentiam:) specimen capi potest ex illustribus quibusdam pericopis propheticis Codicis antiqui, quæ absque omni dubitatione de Regno Christi, ejusque Fatis agunt, & quæ inter *primum* & *ultimum* illius *terminum* intercedunt, ordine enarrant; inter quas hic commendare velim *Ps.* LXVIII, CVII. CX. *Jes.* XI-XII, LIV--LX. *Zach.* XIII-XIV. Expendi quoque utiliter poterit ab exercitatioribus *Canticum Salomonis*, quo si *status Ecclesiæ* Novi Fœderis depingatur: (ut persuasi sumus:) *variantes* illius Ecclesiæ *conditiones* deformari, nulla specie negatur. quin sane vetustiores hujus Libri Interpretes qui eum debita prosequuti sunt reverentiâ, hanc hypothesin passim admiserunt. Addo his *Parabolas* aliquas Christi *Propheticas*, ejusque prophetiam quam exhibet *Matthæus* cap. XXIV.

 19. Ca-

19. Cave tamen existimes, te in prædictionibus omnibus, quas constat pæcinere futuros Eventus Regni Christi, fata omnia illius Regni, supra recensita, deprehensurum. Spiritus enim Sanctus de iisdem modo parcius, modo uberius differit; modo his, modo aliis describendis intentus est. subinde in primo illius Regni statu pingendo, subinde in extremo hæret, præteritis mediis. alibi ex mediis fatis unum solummodo aut plura notabiliora eligit. In universum id observabis, in *Psalmis Davidicis* pleraque fata Regni Christi revocari ad *triumphos* quos Christus Dominus variis temporum procedentium articulis reportaret de *hostibus* suis insignioribus, qui per intervallum Regni ejus se identidem illi objicerent, usque quo omnes debellasset, & *iniquitas omnis os suum clauderet.* inter hostes autem omnes *unum* docent fore *eximium*, cujus casus Regno Christi amplificando præberet occasionem. Est igitur hic prudenter instituendum, & vel maxime hoc fugiendum vitium, quo affectui & studio hypothesios nostræ plus indulgetur, quam casto veri amori. Judicium nostrum conformandum est ad sensum prophetiæ; non hic sub nostra cogendus præjudicia. Sed sunt mihi de eo nunc quædam distinctius monenda.

PARS III.

De INTERPRETATIONE PROPHETIARUM.

CAP. I.

De *Obscuritate Sermonis Prophetici.*

ENimvero quid juvat, tanto opere desudare in *Sermone Prophetico* investigando, aut ejusdem investigandi commendando studio, si quod multi præ se ferunt, obscurus sit, perplexus, & dubii atque incerti sensus complectatur orationem? Si Oracula & Visa Prophetarum verorum, qui creduntur, non minus *obliqua* videantur & *obscuritatis submersa caligine* quam responsa Pythii aut Ammonis, quorum hoc vitium Arnobius, aliique passim notarunt? Certe enim si rerum futurarum certa alicunde comparari posset intelligentia: quis dubitet, quin omnes nobilioris sensus homines, etiam nullis incitati stimulis alienis, concurrerent ad *Prophetarum* inspicienda & evolvenda *volumina*? Quotquot enim mortales naturæ suæ præstantiam intelligunt, id sibi valde honestum esse sentiunt,

intellectum suum ad Divinum, quantum pote, conformare, & *in ipsa Dei luce ambulare*, ita enim est, ut Veteres dudum observarunt, *temporum* sive præteritorum, sive futurorum, *cognitione*, ad *aeternitatem* & perfectionem Dei accedi. Quin sane, ratione quoque non consulta, etiam illi qui præsentia ignorant & præterita, quorum comparabilis habetur cognitio; scire cupiunt *futura*, & ad id se experiuntur rapi arcana quadam animi propensione, cujus caussas non assequuntur ipsi. Opus igitur non haberent prophetiæ, earumque scrutinium, commendari, si adspirare daretur ad certum operæ pretium. Absterret obscuritas, & τὸ λοξὸν, sive *ambiguitas orationis*.

2. Imo non nescio, studium Propheticum hoc gravari præjudicio. nec utique absque omni ratione. Quis enim in universum inficias eat, Oracula aliqua priscorum vatum ὁμολογουμένων αἰνιγμάτων πεπληρωμένα, καὶ λόγων τῶν πολλοῖς ἀσαφῶν *confessis referta esse obscuritatibus, & sermonibus non cuivis perspicuis?* ut alibi Origenes adv. *Cels.* L. 1. p. 11. Sic nimirum placuit Deo, & Spiritui ejus, ob hanc, quæ in cujusque sensum incurrit, rationem gravissimam, quod consilia sua omnia de Mundi & Ecclesiæ fatis omnibus promiscue patere nolit. Scriptum est Verbum Propheticum in usum piorum & Dei reverentium hominum. Tum quoque docet ratio, sic edi debuisse prophetias, ut earum vulga-

vulgatio consistere posset cum lege atque ordine naturæ, eamque non turbaret aut subverteret: quod omnino eveniret, si casus futuri temporis singulares planis verbis absque ulla circumlocutione in prophetiis describerentur. Idem utique qui prædicit futuri temporis exitum Deus, vult prædictionis suæ implementum. Imo prophetiæ plures (non omnes vero, ut mox monebo:) communicatæ sunt à Spiritu cum Ecclesia ad utilem & honestam ingenii exercitationem Virorum prudentium, qui in hoc studii genere diligentiam suam exercere cuperent, & se applicando ad cognitionem interioris Dei voluntatis perficere. adeo ut omnium non sit, prophetiarum quarumcunque interpretationem tentare, aut saltem feliciter exequi. *Impiorum nemo intelliget: sed* PRUDENTES *intelligent, Dan.* XII. 10. *Quis* SAPIENS, *& intelligat hac? quis prudens & agnoscat? Hos.* XIV, 10. *Hic* SAPIENTIA *est. hic mens habens intelligentiam. Apoc.* XIII. 18. XVII. 9. *Qui* AUREM *habet, audiat, Apoc.* II. II.

3. Quare quod Baco Verulamius (Lib. de *Sap. Vett.*) alibi de *Parabolis* recte & prudenter monet, duplicem habere usum, quippe *facere ad Involucrum & Velum, & simul ad Lumen & Illustrationem:* id ego jure merito transfero ad Prophetias. Sunt enim illæ ex Divino consilio eum in modum scriptæ, ut minime esset alienum, eos qui necessariam ad eas

interpretandas non adferunt aptitudinem, diligentiam, attentionem, exercitationem, κρίσιν, & σύ[ν]κρισιν τῶ γραφῶν, legentes & *videntes, nihil videre, audientes nihil intelligere*, *Matt.* XIII. 15. qui vero ad eas accederent cum animo Dei irreverente, superbo, crassis obsito præjudiciis, in iis exponendis falli, cæspitare, offendere, errare aut erroris & scandali ex iis colligere materiam; quod Hoseas, *cap.* XIV. 10. *Recta sunt via Jehova: justi ambulabunt in iis, & DEFECTORES IMPINGENT IN IIS.* Id ipsum est quod interpretatur Jesaias *cap.* XXIX. 11. *Et erit vobis omne hoc visum, ut verba* LIBRI OBSIGNATI, *quem si tradant scienti Literas & dicant, Lege, quæso, in eo; respondebit, non possum, est enim obsignatus: vel tradant homini qui non didicit literas, & dicant, Lege, quæso, in eo; respondebit, literas non didici.* Prius emblema exhibet *Doctores*, qui se per omnem ætatem suam applicaverant ad studium Divinarum Literarum, & tamen ad Propheticum Verbum interpretandum *caussa præjudiciorum suorum* erant inepti, quippe destituti *clave* vel *instrumento* illud *resignandi*; posterius *plebejos*, qui se nunquam in lectione & meditatione Scripturæ Sacræ exercuerant, & interpretationem hujus Libri expectabant à Doctis & Doctoribus. Neutris, fato Divini judicii, liber esset intelligibilis. Servit itaque Verbum Propheticum arcano Dei consilio, quo non a-

mar.

mantibus veritatem aut eam *negligentibus*, & ad eam oſcitantibus, aut ſuperbis etiam & arrogantibus, tremendum hoc eſt deſtinatum judicium, ut legentes non intelligant. *Lucem prabet Iſraëlitis: caliginem offundit Ægyptiis*,

4. Altius ſonat quod addo, verarum prophetiarum *Obſcuritatem* quæ jactatur, ipſam de earum teſtari *Divinitate*. Obſcuritas certe quæ notatur in *Sermone Prophetico*, naſcitur ex oratione tranſlata, abrupta, ſublimi, figuris & emblematibus multis diſtincta ornataque, qualis ea eſt celebriorum Vatum. Atqui talis oratio conveniebat Prophetarum motibus ecſtaticis, eorumque raptibus, quibus, dum à Spiritu Sancto valide afficiebantur, ſupra naturæ facultatumque ſuarum conditionem evecti, & plura ſimul menti objecta videbant, modo huc, modo illuc trahebantur; quæ cauſſa, quod vulgare dicendi genus multis in caſibus non ſatisfaceret cogitationum ſublimitati, aut copiæ rerum, oratione explicandarum: ut Michas de ſe, *cap.* III. 8. *Ego plenus ſum virtute à Spiritu Dei, & judicio ac fortitudine.* eſt igitur hujuſmodi Obſcuritas character majeſtatis Divinitatiſque quæ ineſt in veris Oraculis, & argumentum virtutis Divini Spiritus. Et tamen facile largior, non eſſe Spiritum Dei in omnibus eodem modo operatum, ſed operationes & impulſiones ejus fuiſſe accommodatas ad ſtatum temporum, conditionem per-

sonarum, ac naturam rerum de quibus Divina consilia explicanda erant. Quæ cum in genere præmonere visum sit de *qualitate* Sermonis Prophetici: non tamen hic subsisto. Sunt enim mihi in promptu, quibus pigris lectoribus, aut fastidiosis contemtoribus studii Prophetici, recta occurram.

5. Et quidem *primo*, jacio ego & suppono, *Sermonem Propheticum*, qualicunque tandem stylo & phrasi editum, orationem complecti intelligibilem. intelligibilem, inquam, hominibus, necessaria facultate instructis. Qui enim illud Verbum edidit Spiritus, propositum sibi habuit, certum ac definitum quid, non sane vagum aut incertum, oratione explicare. explicare autem in usus hominum, qui veram Dei Ecclesiam efficiunt in hisce terris. Usus itaque est (certe uti debuit, nisi absurdum fingere velis:) vocibus phrasibusque ad illud explicandum idoneis. Consequens est, sermonem esse intelligibilem. Quid si præterea idem Spiritus nos ad illud Verbum legendum, scrutandum, meditandum, exhortetur, ut in superioribus evici? *Jer.* XXXIV. 16. Quid si moneat, gloriam dare Deo, & suæ operari *saluti* ac *consolationi*, qui id agunt? *Apoc.* I. 3. V. 9. Si igitur velo hic & involucro operiatur verum magni momenti: tollatur illud. tolli potest. Evolvatur quod involutum est. evolvi potest. Explicetur liber & inspiciatur, jam resignatus ab

Agno.

Agno. Aperiatur quod clausum est. adest *clavis.* Si non faciamus, si ne facere quidem tentemus, si pigeat operæ: an nostræ culpam pigritiæ imputabimus Spiritui? Atqui tentasse quid juvat humili animo, cum exercitatio nulla nobilior sit, & nunquam tentetur absque aliquali fructu, etiamsi forte ad τὴν πληροφορίαν τῆς γνώσεως in omni casu non pertingamus?

6. *Secundo*, monere velim & debeo, non omnes prophetias, quæ *Volumine sacro* clauduntur, esse unius generis. Aliquæ earum, & bene multæ, quæ communia quædam fata Ecclesiæ explicant, quæ Deus ab omnibus sciri & intelligi voluit ad certam Ecclesiæ consolationem, ante implementum etiam perspicue & clare traditæ sunt. Aliæ, ante implementum obscuriores, ut ænigmata esse viderentur, post implementum clarissimæ evaserunt. Prioris generis exemplum cape ex plurimis per totum Codicem Propheticum sparsis ex *Gen.* XV. 13. *Jer.* XXIX. 10. Posterioris ex *Gen.* III. 15.

7. *Tertio* observo, prophetias quoque illas, quæ obscuriores videntur & difficiliores intellectu, si accedat exercitatio, spirituale judicium, notitia exactior historiarum, σύγκρισις τῶν γραφῶν, modesta imploratio auxilii Spiritus S. claras fieri meditantibus, si non omnes, plerasque saltem; ut tandem, qui in tenebris versabantur, sentiant, se esse in *luce Jehovæ*, & illustrari à *septem* illis *lampadibus*, *quæ sunt ante thronum*

Dei

Dei. Sic recte Petrus *Sermonem Propheticum* appellat *lucernam splendentem in obscuro loco usque quo Dies illucescat, & phosphorus exoriatur in cordibus nostris*, 2 *Pet.* 1. 19. Si quid vero sit quod nos fugiat aut lateat: & latebit certe semper plurimum in tanta rerum copia & nostri judicii imbecillitate: reservaverit forte Deus hoc lumen aliis, & intellecturi sunt tempore posteriores post implementum rerum prædictarum, quod nos hac ætate impeditos habet & implicitos. Id certum habeo & teneo, posse in hoc Studio plus tentari & profici, quod ut recte ac feliciter fiat: necessarii sunt ingressuris hoc studium *Canones Hermeneutici*, secundum quos interpretationem prophetiarum dirigant atque componant, & ex quibus de aliorum interpretationibus judicent. Pertinet itaque ad hujus Opusculi institutum, & utile fuerit, eorum aliqua exhibere exempla.

Cap. II.

De *Canonibus* Verbi Prophetici recte exponendi.

IN his *Canonibus*, qui mihi hoc tempore obversantur, sequentium existimem haberi posse rationem.

Canon I.

In omni interpretatione prophetiarum opera pri-

mo danda est, ut Subjectum prophetiæ probe dignoscatur; atque adeo inquirat Interpres, an Propheta de se an de aliis, de rebus sui temporis an futuri, & de illis rebus *proprie* & γραμματικῶς *literaliter*, an *improprie* & μυστικῶς *figurate* vaticinetur: secundum id quod Eunuchus ad Philippum, *Act.* VIII. 34. *Obsecro te, de quo hæc verba facit Propheta, an* DE SE, *an de* ALIO ALIQUO?

CANON II.

Ut in accuratam & distinctam Subjecti notitiam perveniatur, attendendum est diligentissime ad omnia attributa & characteres, quæ ad Subjectum illud in prophetia applicantur, ut.

(a) Si *Subjectum illud* de nomine suo in prophetia non appelletur: indagetur ex *attributis* suis *characteristicis* quæ in prophetia consignantur, cujus generis sunt prædictiones de Christo, *Ps.* II. XXII. XLV. LX. *Jes.* LIII. *Zach.* III. 8.

(b) Si *Subjectum* de *nomine* suo appelletur in ipsâ prophetia, aut illius inscriptione: inquiratur sedulo, an *proprie* accipiendum sit, an *mystice*, an *miste*, hoc est, partim *proprie*, partim *figurate* & *mystice*. ut *Ps.* LXXII. 1. ubi præscriptus titulus est: SALOMONI: quæro, an vere de *Salomone* agat, an de *Messia*, ejus ἀντιτύπῳ, sub hoc nomine?

C A-

CANON III.

A Literali sensu Subjecti, proprio suo nomine appellati, nunquam discedendum est, si attributa omnia, vel notabiliora, Subjecto Prophetiæ quadrent. Canon certus, & magni usus. Appono verba Stephani Gausseni, alibi eum impense commendantis, ex Tractatu de *Rat. Stud. Theol.* (p. 42.) *Tertium nostrum Præceptum, cujus momentum illi demum intelligent qui sunt τέλειοι, in eo est positum, ut sensui literali, quantum quidem fieri potest adhærescatis, neque ab eo unquam discedatis, nisi cum usquequaque nihil occurret, neque in Prophetæ instituto, neque in illorum temporum historia, quod sensum literalem fulciat.* Usum habet in prophetiis de *Juda, Israële, Babele, Ægypto, Tyro,* aliisque similibus.

CANON IV.

Si attributa neutiquam conveniant Subjecto, suo nomine in prophetia expresso: cogitandum est de Subjecto alio ἀντιςοίχῳ, quod mystice, ob convenientiam typi & antitypi, hoc nomine appelletur. De *Canonis* hujus certitudine & usu nemo dubitat. Exempla sunt in *Elia, Mal.* IV. 5. *Davide, Jer.* XXX. 20. *Ezech.* XXXIV. 23. 24. *Salomone, Ps.* LXXII. 1. *Edomo, Jes.* LXIII. 1.

CANON V.

Si in prophetiis agatur de Subjecto, nomine expresso, quod tam propriam quam mysticam interpreta-

pretationem sustinere potest; orationis autem Prophetica attributa ejusmodi sint, ut eorum aliqua rectius conveniant Subjecto, μυστικῶς sumpto; alia rectius de eo prædicentur γραμματικῶς: censendum est, Subjectum Prophetiæ non esse simplex, sed complexum, & Prophetam, à Spiritu actum illuminatumque, sic esse loquutum ut de utroque intelligi voluerit, & lectorem commonefacere de sensu mystico, sive allegorico, literali sensui involuto. Hunc *Canonem* tanquam summæ utilitatis in interpretando Verbo Prophetico ante plures jam annos commendavi & illustravi in *Commentario* augusti, & novissimi Visi *Ezechielis* de *Templo*, & *Urbe*, illi juncta, *Parti* II. *Cap.* IV. *p.* 405. nec pœnitet etiamnum observati. Res ita se habet,

α. Prophetas, de *Babele*, *Ægypto*, *Tyro*, *Edomo*, vaticinantes, tam sæpe loqui ample, magnifice, auguste, & orationi suæ talia immiscere prædicata, ut si de Subjecto, proprie sumpto, tantum intelligenda sit prophetia, non nisi tenuem & exilem, variis locis, expositionem admittat; cum tamen præsumendum sit de Sapientia Sancti Spiritus, noluisse illum plus & amplius quid de rebus prædicare, quam in iis inest. Quando igitur Viri Eruditi observabant, esse aliquod *Subjectum*, quod secundum admonitionem ipsius Sancti Spiritus πνευματικῶς *spiritualiter*, h. e. sensu mystico & allegorico, appellari

potest *Ægyptus*, *Tyrus*, *Babel*, *Edom*, (*Apoc*. XI. 8. XIV. 8. XVIII. 17. 18. 19.) & de quo *prædicata quædam* illarum prophetiarum *in majore emphasi* accipi & intelligi queunt, *misso sensu literali*, unice amplexi sunt *spiritualem*: quomodo Cl. Coccejus in quibusdam prophetiis hujus argumenti apud *Jesaiam*, *Jeremiam*, *Ezechielem*, instituit. Atqui de singulis non licet hic expromere judicium. in universum autem ita sentio, si evidentia manifesta orationis non reclamet: rectius & commodius fieri ut in hujusmodi prophetiis de *litera* primo cogitemus, dein de *spiritu*, ut quod *Subjecto*, proprie sumpto, deesse videri queat, ex ejus, μυστικῶς accepti, attributis suppleamus. Gaussenus ipse, etiam ubi maxime literalem sensum urget, hoc modo sententiam dicit l. c. *Ita enim existimamus, habere totum fere Vetus Fœdus, si pauca loca excipias, sensum ut illis temporibus satis commodum, & Israëlitarum rebus* UTCUNQUE *accommodatum: at in eo Dei ἄφατον eminuisse sapientiam, quod illis* SENSUM SUBLIMIOREM *superinduxerit, quem dum Apostoli per* SACRAM SPIRITUS S. CABALAM *eruunt, nos rerum tantarum admiratione defixi stupemus, & Patrem nostrum qui est in cœlis laudamus, quod ea occultaverit sapientibus, parvulis autem revelare dedignatus non fuerit*. Pie, sapienter, θεολογικῶς. Ita est,

est, Spiritui S. per Prophetas loquenti, obversatum est *duplex subjectum*, quorum unum ex Dei voluntate emblema & ἀντίστοιχον esset alterius: orationem itaque suam sic sapienter temperavit, ut cogitationes nostras ad sublimiora eveheret; non utique tam ample & copiose de *subjecto* loquuturus, nisi illud contemplaretur tanquam alterius augustioris *imaginem.* Argumentum sumatur ex *Jes.* XIV. 12. 13.

β. Vates sacros, de *Statu* & *Fatis Populi Judæi reducis ex Babylonico Exilio* loquentes, tam alta sonare, ut nisi quis prophetiis illis negare velit implementum suum, quod nefas; necessario supponendum statuendumque sit, illos *Beneficia Gratiæ*, quibus Deus donaret reduces ex Exilio, spectasse ipsos & spectari velle in *complemento* & *apotelesmate* suo, quod beneficia illa gratiæ consequerentur in Christo, & spiritualibus bonis Oeconomiæ Novæ. Specimina peti possunt ex *Jes.* LII. 1. 2. 3. 4. *Jer.* III. 14. 15. 16. *Ezech.* XLIV. 9.

CANON VI.

In Prophetiis continuis, quæ per titulos, sive Inscriptiones, una ab aliis non distinguuntur, probe est attendendum tum ad initium & terminum Concionum Propheticarum: tum ad Epocham temporis, in qua Visi Prophetici scena figenda est, & terminum, in quo desinit. Prius usum

præcipue habet in *Concionibus Jesaiæ*; quæ *Caput quadragesimum* Libri illius sequuntur. Estque discrimen illud sæpe difficilius, & tamen magni momenti in *Prophetiarum* interpretatione, ne tanquam continua accipiamus quæ divisa distinctaque sunt. Posterius plane necessarium est in *Psalmis* & *Visis* Prophetarum recte exponendis, Scenam enim Visorum eorundem sequitur interpretatio. Sume exemplum ex *Ps.* XXIV. I. *Jes.* VI. I.

CANON VII.

Probabile est, Prophetias illas, quarum terminus à quo manifeste demonstrat initium temporis Regni Christi, terminus ad quem illius temporis finem, præcipua Ecclesiæ fata continua serie enarrare, nisi quid obstet, quod nos ad anteriora tempora retrogradi jubeat. Suadet enim ratio, media quæ inter duo extrema interjacent, extremis utrinque suis respondere. Capiantur exempla ex *Jes.* XI. I. & XII. *Ps.* LXVIII. I-36. Nititurque hoc fundamento interpretatio prophetiæ Jesaiæ à *cap.* LIV. I. ad LX. 22. qualem exhibet D. Coccejus. Initium hujus prophetiæ absque omni dubitatione applicandum est ad initium temporis Regni Christi: terminus incidit in florentissimum illius Regni statum, qui consequuturus est *Conversionem Judaæ Gentis* & *Vindicias Ecclesiæ afflictæ*, de quo *Jes.* LIX. 19. 20. 21. qui florens Status Regni Christi describitur toto *capite sexagesimo*. Est

igitur

igitur verisimile, intermedia de mediis utriusque termini Fatis agere. Nec tamen id hactenus ut certum & exploratum admitto, quin potius accuratiori investigationi reservo. Esse enim non nego, quæ obstare videantur.

CANON VIII.

Et tamen observandum, *Prophetias aliquas continui contextus subinde admittere* ἐπαναλήψεις *Resumptiones*, *Repetitiones* dictorum, & *retrogrados saltus*, atque etiam ἐπεισόδια sive *lacinias*, *ad superiora tempora pertinentes*, *quæ hujus vel illius partis Prophetiæ illustrandæ caussa contextui inseruntur.* Ἐπεισόδια agnoscit Cl. Coccejus *Præfatione* in *Prophetas Minores*, (p. 16.) & vocem quæ hic rectissime adhibetur, ab illo sum mutuatus. Sic ipse: *Possunt* ἐπεισόδια & *conciones, quæ commemorationem præteritorum habent, & monitionem temporibus convenientem, à filo prophetiæ distingui: qualia* ἐπεισόδια *apud Hoseam nonnulla sunt. Sunt & alia* ἐπεισόδια, *ubi antequam absolvatur integra prophetia, sub nova specie jam exposita reponuntur in eosdem fines exitura.* Sic *Apoc.* XI. 1. 2. *est* ἐπεισόδιον *mensurati Templi, & duorum testium, Tubarum jam explicatarum summam revolvens, & sic in septimam Tubam se resolvens. Ita Apoc.* XV. XVI. *Phialæ textui Prophetico inseruntur.* Posterius exemplum admitto: prius censeri potest solidam & necessariam facere prophetiæ partem. Possunt specimina alia, eaque illustria,

capi ex *Ps.* LXVIII. 19. & *Zach.* XIII. 7. in quibus locis cum filum prophetiæ nos jam duxerit ad *tempora consequentia Regni Christi*, inseruntur quæ ad initia illorum temporum pertinent. Nihil in eo vitii, poteſtque ratio ejusmodi *intextorum* facile à peritis oſtendi. Quod ad ἐπαναλήψεις *Resumptiones* sive ἀνακεφαλαιώσεις *Recapitulationes*, si dicere liceat, attinet: has Prophetis tribuo, ubi telam prophetiæ suæ non pertexentes integram ad principium redeunt *retrogrado saltu*, & eandem de novo retexunt mutatis verbis & figuris orationis. Documento sit comparatio *Capp.* XL & XLII *Jesaiæ.* Conſtat, in utriuſque *Capitis* initio agi de *primo tempore manifeſtandi Meſſiæ.* prophetia tamen *cap.* XL. & XLI. non decurrit ulterius quam ad tempora *fundati Regni Christi inter Gentes*, (*cap.* XLI. 18. 19.) poſt *idololatriam* falsi *convictam per prædicationem Evangelii*, de quo ibidem agitur. Quod poſtquam Propheta eſſet exequutus: repetit filum unde orſus fuerat *cap.* XLII. I. Idem obtinet in *Apocal.* XII. I. In *Concionibus* autem Prophetarum, qui orationem suam verterunt ad Populum Judæum sui temporis, nihil vulgatius eſt, & frequentius.

CANON IX.

Ad τὰ ἐπεισόδια *Sermonis Prophetici recte quoque referuntur Excurſus, ſive* διέξοδοι *Digreſſiones, in quibus Prophetæ, dum vere ob oculos habent Objectum aliquod remotioris temporis, illud*

subita

subito deserentes, se per modum excursus convertunt ad homines sui aut proximi temporis, ut ex Subjecto prophetiæ suæ illos moneant, exhortentur, convincant: quo facto, prophetiæ suæ filum repetunt. Paulo durius hac de re differit Origenes in *Fragmento Comment.* in *Canticum*, in Ed. Huet. *Tom.* 1. *p.* 52. Ἔστι δὲ καὶ αὕτη συνήθεια τῆς γραφῆς, τὸ ταχέως μεταπηδᾶν ἀπὸ τῶν περί τινων λόγου εἰς τὸ περὶ ἑτέρων, καὶ τοῦτο ἀσαφῶς ποιεῖν καὶ συγκεχυμένως μάλιστα τοὺς προφήτας· *Est autem is Scripturæ mos, ut ab uno sermone ad alium illico transiliat, idque* OBSCURE & CONFUSE *admodum* PROPHETÆ FACIUNT. Observatum ipsum probo; nec tamen dixerim, Prophetas id *confuse* facere. Faciunt recte, ordine, eleganter. Documento sit excursus Joëlis, *cap.* III. à ✝ſ. 4. usque ad ✝ſ. 9. Vident Intt. in *antecedente* & *consequente contextu* agi de *citerioribus temporibus*, & subito tamen converti sermonem ad homines illius vel proximæ ætatis, qua Propheta vixit. Difficultas loci ex hoc *Canone* est expedienda. Dum nimirum Propheta erat in describendis gravissimis judiciis, quibus Deus post effusum Spiritum Gratiæ hostes Ecclesiæ successive, & maxime extremo tempore, prosternet ob injurias Ecclesiæ illatas: obversantur animo ejus injuriæ, quibus Populus Judæus, pars Ecclesiæ universalis, suo & proximó tempore afficiebatur à vicinis Gentibus, *Tyriis*, *Zidoniis*, *Philisthæis*; ad quos

Proin ἐν παρόδῳ *in transitu* orationem suam vertit, denuncians illis nomine Dei, tum ipsos quoque non abituros impunitos, tum etiam ipsorum peccata & scelera in illa terribili hostium Ecclesiæ strage vindicanda esse, secundum *Canonem Divinæ Justitiæ.* Plura exempla ultro se meditanti Prophetias offerent. Nec tamen fingendæ sunt hujusmodi διέξοδοι præter necessitatem.

CANON X.

Interpretatio totius Verbi Divini, & præcipue quidem Prophetiarum, ea habenda est optima, quæ maximam sectatur & demonstrat orationis emphasin, ac sapientiam Spiritus S. Regula bona & certa, & tamen ad subjectum prophetiæ contextum prudenter applicanda. Cl. Coccejus in interpretando *Sermone Prophetico* hunc *Canonem* ubique in oculis habuit, eodemque in multis locis feliciter est usus, & forte tamen in aliis nimis, ut videtur, anxie & scrupulose. Promo exemplum unum & alterum. Apud Jesaiam in prophetia de *Christo*, *cap.* XI. 4. ubi Propheta transit à *qualitatibus* & *officiis* Messiæ, quæ descripserat, ad *judicia* quæ exequeretur sub Oeconomia Nova, hæc occurrunt: *Et percutiet* TERRAM *sceptro oris sui & spiritu labiorum suorum interimet* IMPROBUM. Posset hic facilis & minime morosus Interpres secundum vulgatum Hebræorum dictum, *more receptum esse Scriptoribus S. ut eadem sententia mutatis*

verbis efferatur, cogitare de eodem *objecto* vel *subjecto* judicii Christi, hoc est, de *Judæis* impœnitentibus, defectoribus à Deo & peccatoribus impiis, quos Deus, imo Christus, Filius Dei, punivit per Romanos, *Luc.* XIX. 27. Illi certe intelliguntur in priore sententiæ parte, qua *terra* dicitur *percutienda sceptro oris Christi*, hoc est, quod Malachias, *ferienda anathemate*, *cap.* IV. 6. & possent iidem facile quoque intelligi per רשע IMPROBUM, quandoquidem hoc epitheton citra omnem controversiam ad illos optime applicatur. Sic est, & tamen Paulus 2 *Thess.* II. 8. hic vere intellexit insignem quendam *Adversarium Christi*, ἄνομον, ἀντικείμενον, *à Judæis osoribus Christi* distinctum, cujus lapsu illustranda esset Christi Jesu gloria. Sequutus nimirum est illam interpretandi rationem, quæ verbis maximam dat emphasin. est autem emphasis major, si judicia accipiantur distincta, alias rationes nunc non adfero. Cape argumentum aliud ex meo sensu *Deut.* XXXII. 6. *An non ille est Pater tuus, qui te sibi* COMPARAVIT: (קנך) *ipse* FECIT *te*, *&* STABILIVIT *te*. Possunt verba ad *idem tempus*, & *beneficium complexum*, possunt ad *diversa tempora*, & *distincta beneficia*, referri. Posterius suadet major emphasis & elegantia. COMPARATIO est ἡ ἀπολύτρωσις *Populi ex Ægypto*. FACTURA, (sive *factio*, si dicere liceat) est *Formatio Populi in Rempubli-*
cam

cum & *Regnum Dei*, per *Legislationem*, aliaque beneficia, huic similia. CONFIRMATIO sive *Constabilitio* Populi est *Confirmatio* Status ejus in Canaane, variis temporum articulis facta, præcipue sub Regibus *Davide* & *Salomone*, de quo ℣ſ. 13. 14. Certe antiqua Synagoga, quæ *Kabbalam sacram* tenuit, hunc morem Scripturæ interpretandæ observavit, si liceret: sic persuasa, *in Scripturis Sanctis ipsum quoque* VERBORUM ORDINEM MYSTERJUM ESSE, quod Hieronymus *ad Pammachium* (de *Opt. Gen. Interp.*) Recentior tamen Schola Judaica, quæ à Majoribus hunc *Canonem* acceperat, nec tamen ab eodem ducebatur *Spiritu sapientiæ* & *prudentiæ*, nimium hic indulsit subtilitati ingenii sui, & fumum dedit ex fulgore, * quo factum, ut abusus usui noxium creaverit præjudicium, acsi cum Judæis sapiant, ex lutulentis illorum rivulis potent, & cœno eorum, nequid gravius dicam, se involvant, qui in verbis aut phrasibus Scripturæ Propheticæ, aut verborum & phrasium constructione aut compositione, altius aliquod & subtilius mysterium rimantur. Sed non intelligunt illi vel animadver-

* Specimen ex sexcentis unum exhibeo ex Cod. *Megilla*, *Fol.* XI. *Col.* I. circa *med.* ubi luditur in interpretatione præclari promissi, Judæis dati, *Lev.* XXVI. 44. ex quo Gens in præsenti Exilio solatii argumentum petit. Verba promissi Prophetici: *Atque etiam hoc adhuc, cum fuerunt in terra hostium suorum, non reprobabo illos, nec fastidiam illos, ad illos perdendum, ad irritum faciendum fœdus*

dus meum cum ipsis ; Ego sum Jehova Deus ipsorum. Interpretatio : לא מאסתים בימי יונים ולא געלתים בימי נבוכדנאצר לכלותם בימי המן להפר בריתי אתם בימי פרסיים כי אני ה׳ אלהיהם בימי גוג ומגוג *Non* REPROBAVI *eos ; tempore* GRÆCORUM : *nec* FASTIDIVI *eos ; diebus* NEBUCADNEZARIS : *ad* ILLOS PERDENDUM ; *tempore* HAMANIS : ad IRRITUM FACIENDUM FOEDUS MEUM *cum iis ; diebus* PERSARUM : *quia ego sum.* JEHOVA , DEUS IPSORUM : *tempore* GOGI *&* MAGOGI. Firmat hanc expositionem subjecta *Traditio Exotica* , nisi quod ea prius illud ; NON REPROBAVI EOS : referat ad tempora Chaldaica : posterius, NON FASTIDIVI ILLOS, ad tempora *Græcorum*, sub quibus Judæi dura quæque passi sunt, Cætera eadem sunt : & videt tamen quisque non cohærere partes interpretationis, si quod sequitur, *ad* IRRITUM FACIENDUM FOEDUS MEUM CUM IPSIS, referatur ad *tempora* PERSARUM, de quibus jam facta fuerat mentio, ubi de *Hamane*. Ergo pro בימי פרסיים *diebus Persarum*, vere legendum :. בימי רומאי *in* DIEBUS ROMANORUM, sive in *Exilio Romano*. Mutarunt vocem , ut passim in Talmude , & Paraphrasibus , ne Romanos offenderet. Patet quod dico ex ratione addita in *Traditione Exotica* : non *fecisse Deum fædus suum irritum cum iis diebus Persarum* , sive potius , ut legendum esse monui , *Romanorum* , שהעמדתי להם שלבירת רבי וחכמי דורות *quia constitui illis qui sunt de Domo Rabbi* , h. e. *Academias* , *&* *Sapientes cujusque ætatis*. quod pertinet ad tempora Romana. Sed exemplum hoc , etiamsi non sit ex pessimis , id habet vitii, quod subtilitatem prodat nimiam & affectatam. Potuissent Interpretes in eo acquiescere , si voces מאסתים *Reprobavi eos* , & געלתים *Fastidivi eos* , retulissent ad duplex *Exilium Babylonicum* , & *Romanum* ; ad quod *duplex Exilium* , sive potius ad *peccata* quæ *duplex Exilium meruerunt* , Cl. Altingius retulit emphasin vere singularem , quæ in *superiore versu* 43 est in phrasi, יען וביען PROPTEREA *&* PROPTEREA *quidem*. Non sperno observationem : etsi , quod Vir Doctus scribit , יען וביען *nusquam alibi occurrere* , fefellit illum memoria. Plura quæ liceret, non addo.

vertunt; *Verbum Propheticum* quam sit profundi ac sublimis ingenii opus, Divini, inquam; & quam sancta res sit, illud scienter tractare & interpretari. Cœci sunt qui non vident, & mali qui videre nolunt, Scriptores Novi Fœderis, eosdemque auctores nostræ disciplinæ; verba Scripturæ Propheticæ si ea allegent, in summa accipere *ἐμπνέοντ intensione* & *omni vi suæ significationis*, eademque valde *premere*, ut ex iis exprimant verum. Exempla sunt elegantia 1 *Cor.* XV. 27. *Gal.* III. 16. *Heb.* II. 9. VIII. 13. Judicarunt illi, *τὰς γραφὰς εἶναι ψιλὰς, ἀλλὰ νοητὰς*, *plus complecti quam exterior litera exhibere videtur*, ut loquar *cum Auctore Dial.* avd. *Marc.* (p. 10. 11.) Abusui *Canonis* occurret prudentia Interpretis, cujus erit, fictam quæsitamque subtilitatem ab ingenioso, solido, & spirituali acumine discernere, & nullos admittere vel proferre sensus qui subsidunt infra majestatem Verborum Dei, cujus non est *ludere*, sed *loqui*.

CANON XI.

Certa clavis Interpretationis Prophetiarum est intelligentia vera CHRISTI JESU, *&* JUSTITIÆ *per illum procuranda Ecclesiæ, &* REGNI *spiritualis, ab ipso in Orbe fundandi, secundum illud Apostoli, Rom.* XII. 6. *prophetandum esse κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως.* Prophetas de *Messia*, ejusque *Regno*, & Regni ejus *temporibus* ac *prærogativis*, præcipue vaticinatos esse, evici

Part.

Part. II. *Cap.* V. §. VII. Confer 1 *Pet.* I. 10. 11. *Act.* III. 24. *Rom.* III. 21. Quis dubitet? Ipse Messias de se, *Ps.* XL. 8. *Ecce venio: in* VOLUMINE LIBRI *scriptum est* DE ME. Favet ratio. *Spiritus* enim *Propheticus* est *Spiritus Christi*; &, cum inter effecta Divinæ Providentiæ & Gratiæ nullum majus, illustrius, & magis salutare sit, quam REGNUM CHRISTI JESU: est utique probabile, Prophetas, libere de futuris vaticinantes, hac maxime contemplatione se occupatos habuisse. Non ita sane acsi cætera præteriissent; sed quod de *hoc subjecto* frequentius & familiarius quam de ullo loquuti sint alio: imo quod de plerisque hujus rei caussa sint loquuti. Sed cum de *Regno Messiæ*, ejusque *natura*, & *beneficiis*, non idem sit sensus & judicium hominum; Prophetæ autem de illo *Regno* non aliter sint loquuti, ac eventus illud manifestum fecit & comprobavit, esse illud nimirum non *temporale*, sed *spirituale*: errat in Prophetiis qui eas cum *falsis* suis *præjudiciis* tentat, quod passim faciunt Judæi. Intelligentia *Christi*, & *Justitia* ejus, est *clavis* qua Sanctuarium Verbi *Prophetici* aperitur, *Luc.* XI. 52. Præjudicia *velum*, quo obducti qui *oculos habent*, *nihil vident*, 2 *Cor.* III. 14. teste experientia.

CANON XII.

Quare cum duplex sit methodus interpretandi Prophetias, altera sterilis, altera liberalis, quarum

rum illam qui sequuntur, Christum Jesum & Regnum ejus ægre & rarius, hanc qui adoptant, Christum & res ejus crebrius in Verbo Prophetico deprehendunt: dubitandum non videtur, quin posterior præferenda sit priori. Illustrandus est *Canon* magni & utilissimi usus. Ita est, ut dixi, duplicem esse interpretandarum Prophetiarum methodum. Altera τῷ γράμματι *literæ* Prophetiæ presse inhæret, & significationes vocum & phrasium Propheticarum, quæ liberalius & ἐμφατικωτέρως acceptæ augustum & magnificum quid sonant, tantopere limitat, arctat, constringit, ut nihil adeo magnum dicatur in prophetia, quin illud ad *Subjecta* illius vel proximi temporis absque negotio applicari queat. Altera vero in verbis & phrasibus Prophetarum illam sectatur vim, emphasin, & copiam significationis, quæ digna est *sapientia Sancti Spiritus*; secundum quam cum oratio Vatis ad *Subjecta* illius & proximi temporis commode applicari nequeat, Interpres dum quærit prophetiæ implementum, alia cogitur circumspicere *Subjecta* ad quæ prophetiam applicet, *Christum*, inquam, & *Regnum ejus*, *ejusque* & *Regni* ipsius *fata*. Posteriorem methodum passim elegerunt Veteres, & medii ævi Interpretes, & plerique eorum eximiorum Virorum, qui Ecclesiæ reformandæ operam dederunt, veluti inter alios Lutherus ipse, Brentius, Pellicanus, Bibliander, Bugenhagius,

gius, Snoyus; & superiore sæculo clari Interpretes Coccejus, & Altingius. Priorem Hugo Grotius, hoc nomine insignis; nec dissimulandum, Calvinum pro ingenii sui severitate, & post ipsum Piscatorem, in Verbo Prophetico interpretando minus liberaliter esse versatos, licet Grotio multo liberaliores. Consequens est, Grotium, & qui ejusdem ingenii sunt Commentatores, *Christum* & *Regnum* ejus raro offendere in Scriptis V. T. sive, ut clarius loquar, pauca Scripturæ Propheticæ loca *directe* & *immediate* ad *Christum Jesum*, ejusque *Regnum* transferre; & si quæ hujus generis occurrant Oracula, in quibus Religionis nostræ reverentia vetat Christum non videre aut præterire, hæc de ipso secundum sensum aliquem sublimiorem & μυστικώτερον, vel per modum ἀλληγορίας, accipere. En tibi exemplum. Plerique Intt. in prophetia Jesaiæ, *cap.* XI. I. per *Subolem* illam gloriosam quæ *effloresceret ex trunco succiso Isai*, recta intelligunt *Christum Iesum.* Grotius tamen de *Jehiskia*, & Jungmannus de *Serubabele*, hoc in loco cogitat, & Jungmannus quidem hanc demonstrationem operosissime exequitur, in *Dan.* Lib. II. Sect. II. Cap. VII. Idem Jungmannus eodem animi studio evincere nititur, (Cap. VIII.) loca illustria quæ à nostris passim directe de *Messia* capiuntur, *Jer.* XXX. 9. *Ezech.* XXXIV. 23. 24. XXXVII. 24. *Hos.* III. 5. pariter intelli-

telligenda esse de *Serubabele*. Quid? si illud admittamus, & de similibus idem feramus judicium: ubi tandem deprehendemus *Messiam*, & *Regnum* ejus? Quid fiet disertis illis testimoniis *Christi Jesu*, & *Discipulorum* ejus; quibus monemur, Prophetas de *Messia*, ejusque *fatis*, crebro loquutos esse? Ipsi illi Discipuli Domini vix ullum notabiliorem ejus casum in historia consignarunt, quin nos allegarint ad auctoritatem Prophetarum, qui similia de Messia prædixerant: acsi pudori sibi ducerent, aliquid *historice* de Christo enarrare, quod *prophetice* non posset demonstrari. Certe *Spiritus* ille qui fuit in *Prophetis*, vel non est *Christi*, vel directe loquutus est *de Christo*: si autem loquutus sit directe & clare de Christo; boni Interpretis officium est, primo quidem Christum Jesum in Verbo Prophetico diligenter quærere; deinde, si occasio faveat, demonstrare; occasionem autem, si se offerat, non præterfugere, sed lubenter captare. Quare si offendat *prædicata Subjecti alicujus*, quæ in omni vi atque emphasi significationis de nemine quam de *Christo* intelligi queunt; de alio autem *Subjecto* sumta non nisi *tenuem* & *exilem expositionem* admittunt: quod locum habet in Oraculo *Jes.* XI. 1. 2. quid movet Interpretem Christianum, non potius ipsum *corpus* solidum manu sua prehendere, quam fugientem & fallacem *umbram* sectari? Imprimis quando Scri-

ptores

ptores N. T. ab eodem Spiritu docti & ducti nobis monstrant & præeunt viam, quod in hoc Oraculo obtinet. Idem judicium est de locis multis aliis, quorum exempla petantur ex *Jes.* I. 27. *Jer.* III. 15. 16. 17. *Hos.* I. 7. Nec tamen id ita accipi velim, ut prophetiæ, quæ de aliis rebus & temporibus manifeste agunt, ad hoc *Subjectum* vi & coacte rapiantur, & Christus Jesus, ac res ejus, *locis non suis* & propriis ostententur. Servandus hic est modus, & medium, quod ipsa loca inspecta & rite ponderata prudenti Interpreti ostendent; ut in omnibus rebus aliis. Hujus enim committendum est prudentiæ, ut *Canones* bonos ad sua quosque loca scienter & moderate applicet.

CANON XIII.

Cum non probabile tantum, sed certum etiam sit, in Verbo Prophetico esse distinctas ὑποτυπώσεις, & quasi μορφώσεις Deformationes, & Delineationes totius Consilii Dei: recte instituunt Interpretes, qui in Prophetiis, quas agere constat de Regno Christi, & Fatis ejus, ad eventus Ecclesiæ Christi, ex historia notos, industrie attendunt, eosque ex iisdem producunt, modo id fiat absque vi ulla in Scripturam illata. Imo sane: *nam non facit Dominus Deus quicquam, nisi revelaverit mysterium suum servis suis Prophetis, Amos.* III. 7. estque res indubia ex Apocalypsi, in qua dum Fata Ecclesiæ Novi Fœderis describuntur, ad Oracula antiqui tem-

poris, de iisdem vel similibus casibus agentis, passim alluditur. Nemo igitur vitio vertat Interpreti, si in exponendis prophetiis, quæ *Eventus Regni Christi* absque dubitatione præcantant, de successivis hujus Regni Fatis cogitet. Sed disserit de eo pluribus Cl. Coccejus *Præfatione* in *Dodècaproph.* ad quam, lectu dignam & utilem, lectorem remitto. An tamen ipse Cl. Interpres, qui hanc *Præfationem* proxime præmisit *Hoseæ*, Canonem hunc in Libro hoc interpretando ad plerasque *Conciones Propheticas* hujus Vatis recte & feliciter admoverit, nunc non disputo. Sequutus est judicium suum; à quo si dissideat nostrum: tam nobis liberum est ab ipso dissentire, quam ipsi fuit, sensa & judicia sua de hac prophetia vulgare.

CANON XIV.

Interpretatio Sermonis Prophetici, facta à Christo & ab Apostolis, & à Spiritu S. ipso in Apocalypsi, norma est & clavis prophetiarum, quas illi attigerunt, recte explicandarum. Quis dubitet? Cum enim verborum suorum quisque optimus sit Interpres: sic arbitrandum erit, Spiritum S. dum in prophetiis *recentioribus* ad *antiquas* alludit, *verbisque* etiam sæpe, *phrasibus*, & *imaginibus* iisdem vel similibus utitur, quibus olim; nos voluisse manuducere ad veram illorum Oraculorum intelligentiam. Pariter *Christus Jesus* ipse, Apostoli, Evangelistæ, sæpius vel alludunt, vel provocant, ad

loca

loca aliqua *Sermonis Prophetici* ſive in factis hiſtoricis illuſtrandis, ſive in ſententiis ſuis confirmandis: in quorum judicio cum nos oporteat acquieſcere, recte inſtituimus omni in loco, ſi illorum interpretationem habeamus pro norma noſtræ. Quando Dominus apud Nazarethanos concionatus, poſtquam ex evoluto Libro prælegiſſet locum *Jeſ.* LXI. I. 2. dixit: *Certe hodie impleta eſt hæc Scriptura in auribus veſtris:* quis ambiget amplius, an locus ille Jeſaiæ de *Christo Jeſu*, an potius de alio aliquo *Subjecto*, intelligendus ſit? Eſtne enim, qui ubi Chriſtus *ſe* demonſtrat ipſe, demonſtrare audeat *alium*? Idem ſentiendum de ſimilibus locis *Apoſtolorum* & *Evangeliſtarum*. Nec tamen dicere ſuſtineo, certe pertinaciter defendere nolim, Evangeliſtas, & in his Matthæum, in omnibus quæ tranſcribunt locis V. T. *ſenſum* illorum *literalem* reſpicere. Nihil vitii eſt, quis dixerit, in paucis quibuſdam *myſticum* ſive *allegoricum* ab iis indicari: modo ſimul ſupponamus & doceamus, *myſticum* illum & *allegoricum ſenſum* vere latere in poteſtate & proprietate illorum Oraculorum, & à Spiritu S. omnino quoque fuiſſe intentum. Quod enim Alexandro Moro, aliiſque placuit, *dicta* quædam *Prophetica* à Scriptoribus Sacris ad ſententias ſuas confirmandas adhiberi per modum *παρῳδίας ingenioſæ tranſlationis* aut *alluſionis:* non videtur probabile; ne quidem in *Apocalypſi*. Quin, ſi quis *Loca* ab Apoſtolis aut

Evangelistis allegata propius inspiciat; forte quanto majore studio eadem tractaverit, tanto observaverit ille & deprehenderit certius, *illa* saltem *loca*, ex quibus Scriptores N. T. *dogmata* quædam aut *facta* probare nituntur, aut illustrare, non tantum ἀλληγορικῶς, sed & γραμματικῶς secundum illorum mentem commode intelligi posse. Quibus curæ fuerit hujus rei periculum facere, legant illi utilissimum Tractatum Cl. Altingii de *Parallelismis Vaticiniorum V. T. quæ citantur in Novo*, ad calcem *Operum* ejus *Tom.* II.

CANON XV.

Quicquid excellenter, gloriose, emphatice, characteristice, de Persona quadam, suo nomine non appellata, in Prophetiis aut Psalmis prædicatur, ita ut prædicata singularia in nullo illius vel alicujus alterius temporis Subjecto singulari demonstrari queant, accipiendum est tanquam dictum & prædictum de MESSIA. Canon hic neminem fallet, ut opinor, quippe quem Scriptores N. T. passim sequuti sunt in allegandis dictis & prophetiis ex Codice Vetere. Argumenta pete ex *Deut.* XVIII. 18. *Ps.* VIII. XVI. XXII. XL. LXIX. LXXXVIII. CXVIII. 22. 23. *Jes.* IV. 2. VII. 14. 15. XLII 1. LIII. 1. 2. *Zach.* III. 8. XII. 10. Sane non nego, passim in ipsis illis prophetiis, in quibus quædam minus adhuc nota & παράδοξα de *Messia* affirmantur, veluti quando de παθήμασι

pas-

passionibus ejus agitur, alia quædam attributa notiora ignotioribus & obscurioribus admisceri: & tamen aliquibus in locis, veluti in *Ps.* LXIX. 12. & alibi id minus observare est. Addo, Scriptores N. T, loca quæ in *Vetere Codice* de *Deo* quid excellenter, gloriose, magnifice, & παραδόξως prædicant, de *Filio* Dei, Messia, audacter interpretari, ut patet ex *Ps.* LXVIII. 19. coll. cum XLVII. 1. 2. XCVII. 1. 7. CII. 26. 27. *Jes.* XLV. 22. 23. 24. quæ loca nemo paulo peritior ignorat ad *Christum Jesum* in Scriptis N. T. directe transferri, etsi oratio in illis *ad Deum* vel *de Deo* habeatur. Certe id non nego singulare esse, & animadversione dignissimum, monetque nos, *in mysterio Dei, & Patris & Christi, omnes thesauros sapientiæ & scientiæ reconditos esse*, *Col.* II. 3. Imo vero in hoc cardine vertitur Scriptura, in hoc centrum lineæ ejus concurrunt.

CANON XVI.

In prophetiis, quæ de Christo & Regno ejus agunt, sensus ille est optimus, qui quam maxime est spiritualis. Canon hic certam & facilem habet ἀπόδειξιν. *Regnum* enim Christi aliud prænunciatum non est in prophetiis, quam quale illud manifestum factum est in tempore. atqui illud non est *de hoc mundo*, est *spirituale*, *Joh.* XVII. 36. *Rom.* XIV. 17. Nulla igitur valet, nulla proba est Prophetiarum

rum interpretatio, quæ *corporaliter* intelligit, quæ de re *spirituali* prædicantur. Rei enim spiritualis sunt attributa & prædicata spiritualia. Specimen alibi exhibui ex *Jes.* XIV. 1. 2. Confer *Jes.* LVI. 3. 4. LXVI. 20. Et *Spiritus* ipse, cum *Spiritus* sit, spiritualia amat, non carnalia; & etiam tum ubi corporales imagines, aut à corporeis rebus desumptas locutiones, adhibet in Oraculis de *Christo* & *Regno* ejus, quo nimirum occurreret imbecillitati judicii Gentis rudioris, ab exercitatis *spiritualiter* intelligi vult. Atque utinam hic oculos aperirent Judæi, aut ab oculis removerent velum!

CANON XVII.

In prophetiis, quibusdam locis prudenter discernendis, obtinet aliquod ὕστερον πρότερον, *ut nimirum id, in quo immorandum est, posteriore loco ponatur, ut continue & ad finem perduci possit.* Sic monet Sebastianus Schmidius, Interpres utique non contemnendus, ad *Jes.* XI. 11. etsi vel maxime dubium sit, an *Canonem* ad illum locum recte applicet. Certius exemplum, ex meo sensu, petitur ex *Zach.* IX. 9. 10. 11. coll. cum ℣s. 13. & seqq. ubi Propheta post promissum de *Messia*, ejusque *Regno pacifico* editum, cujus implementum post Maccabaica tempora expectandum erat, & in cujus partem venirent *vicinæ Gentes*, Maccabaicis temporibus afflictæ & depressæ, repetit superioris Prophetiæ filum, & ipsa illa Maccabaica tem-

pora

pora planissime describit: quod proprie argumentum in hac prophetia Vates exequi proposuerat, ut ex inscriptione prophetiæ, *cap.* IX. I. liquet. Judæorum tamen vulgatum dictum: אין מוקדם ומאוחר בתורה *Non est* πρότερον *&* ὕστερον *in Lege*, id est, ordinis in narratione aut scriptione, aut partium Scripturæ dispositione, non accurata in Scriptura Sacra semper observatur ratio: huc non refero, quia id ad historica magis quam prophetica ab ipsis refertur; & alias satis constat ordinem justum in narratione rerum non negligi, ut nec passim in prophetiis. Quod ad dispositionem minorum quarundam Scripturæ partium attinet, nihil nunc ad nos.

CANON XVIII.

Scriptores N. T. sententias suas ex Scripturis Propheticis confirmaturi, subinde ab uno Propheta verba mutuantur, ab alio rem sumunt. Canon novus est, qui παράδοξον quid sonare videtur; & tamen minime spernendus. Observavi illum apud Altingium in *Parall.* ad *Matth.* II. 15. in quo loco Prophetam, verbis usum Hoseæ, *cap.* XI. I. rem desumpsisse putat ex *Jer.* XXXI. 15. Subjungit ad illustrandam hypothesin sequentia exempla. *Rom.* II. 24. *verba ex Jes.* LII. 5. *res ex Ezech.* XXXVI. 20. *Rom.* IX. 26. *verba ex Hos.* II. 22. *res ex Deut.* XXXII. 21. *Matth.* XIII. 35. *verba ex Ps.* LXXVIII. I. *res ex Ps.* XLIX. I. Merentur tamen hæc diligentiorem inspectionem & me-

ditationem; licet docta sit observatio. Simile est, & tamen aliquatenus quoque dissimile, quod Sanctius in vexato loco *Matth.* XXVII. 9. ubi *Jeremiæ* tribuitur quod *Zachariæ* est; existimet, Apostolum utrumque locum tum *Zachariæ*, tum *Jeremiæ*, *cap.* XXXII. 6. 7. 8. &c. respexisse, etsi hunc solum compendii caussa appellet, estque in eo demonstrando operosus. Certe id alibi sæpius accidit, ut Scriptores Sacri plurium Prophetarum aut Psalmorum loca, idem sonantia, inter se commisceant: sed, quod ad hunc Matthæi locum attinet; difficultas alio modo rectius expeditur. de quo alibi, si Deo placet, sententiam meam explicabo.

CANON XIX.

In futuris non est indulgendum nostris conjecturis, sed ut dignum est fide & modestia Christiana, quæ indefinitius dicuntur, & per prophetias parallelas non determinantur, reputandum, Deum illa voluisse quoad modum, personas, tempora, loca, & species, posita esse in sua potestate. Non rem tantum, sed & verba hic desumpsi ex Cl. Cocceji *Præfatione in duodecim Prophetas*, supra jam laudata, & hic iterum laudanda, quod non tantum de sapientia ejus in Verbo Dei, & rerum spiritualium peritia, sed & de summa ejus modestia, testetur. Quædam hic non obscure à Prophetis determinantur, de quibus nobis modeste & circumspecte loqui licet; ibi tacendum, & premenda sunt labia, u-

bi tacet Spiritus. *Qui credit, non festinabit, Jes.* XXVIII. 16. sed Deo indulgebit spatium vastorum consiliorum suorum, (de quibus homines passim nimis exiliter præsumunt:) exequendorum, & interea temporis *animam suam possidebit in patientia, Luc.* XXI. 19.

CAP. III.

De *Mediis Scripturæ Propheticæ recte interpretandæ.*

ADdendum est verbum de *Mediis* & subsidiis *Scripturæ Propheticæ recte exponendæ*; & video tamen, hic mihi imprimis caute & prudenter procedendum esse, ne si in hoc argumento nimis sim operosus, aut studium Prophetici Verbi molestis officiis alligem, hoc ipso cultores ejus magis ab eo deterrere, quam illud commendare videar. Moneo itaque hic in antecessum, me pleraque eorum, quæ hic tradere constitui, consignaturum in usus illorum, quibus propositum est φέρεσθαι ἐπὶ τὴν τελειότητα *ferri ad perfectionem*, & se diligenter applicare ad legenda vestigia *gressuum Dei in Sanctuario* ejus, & consequendam intelligentiam accuratiorem *Consiliorum Divinorum*, quatenus nobis non in hac illa parte, sed per universum Verbum Propheticum revelata sunt. Alioquin non nego, ad Verbum Propheticum cum aliquanto fructu legendum, tanto apparatu opus

non esse. Qui *mysterium fidei puro servant animo & conscientia*, & sancto affecti proposito se modeste accingunt ad meditationem & scrutinium hujus Verbi, possunt, etiamsi humanis literis culti doctique non sint, ex eo necessariam haurire instructionem, disciplinam morum, consolationem spei, & demonstrationem fidei suæ. Audient illi ubique summa cum voluptate Deum loquentem, Dignoscent illi facile vocem ejus, & amabunt eam, licet cum tonitruis & fulminibus Orationis Propheticæ editam. Mirabuntur pondus, vim, majestatem, quæ Divino sermoni inest, observabuntque, quantum distet *palea frumento*, humana Divinis, Animadvertent læti, Vates veros, qui per longum adeo Sæculorum tractum, divisis temporibus, Divinam interpretati sunt voluntatem apud Ecclesiam, idem esse loquutos, eandem professos Doctrinam, ad eundem omnes tendere scopum; commendare & urgere omnes castam puramque Religionem, reverentiam *veri Dei Israëlis*, omnisque cultum virtutis, dehortari à vitiis, suadere resipiscentiam, & monstrare errantibus viam Divinæ communionis in gratia obtinendæ, & ab ea deflectentibus denunciare offensi Numinis iram, & exitium. Præter hæc offendent in hoc Verbo *testimonium Jesu*; nec poterunt illos præterire *prophetiæ*, quæ *Christum Jesum, personam, characteres, casus, Regnum ejus, & Regni prærogativas*, depingunt, Aliorum vero

ro Oraculorum sensum si non assequantur omnem, nec implementum demonstrare possint ex historia: colligent tamen ex illis documenta generalia ad suam ædificationem, nec dubitabunt de implemento. Sic omnes cujuscunque generis & ordinis homines, qui *in fide sunt* & *Nomen* ac *Verbum Dei* amant, ex lectione Verbi Prophetici solidam percipient utilitatem. Si quis tamen huic studio se penitius dedere & involvere velit: observet sequentia.

2. Inter *Media*, nostræ potestati subjecta, *primum* est, *ut cum quis se ad Prophetarum lectionem adjungit, sedulo videat, quo anno quisque scripserit, sub quibus Regibus, Hierosolymisne apud Judam, an Samaria apud reliquas tribus? Cujus stemmatis & stirpis ille fuerit; nobilis, ut Jesaias, an plebeja, ut Amosus;* cujus generis vitæ, cujus ordinis, & quæ plura? Sic fere Stephanus Gaussenus, (de *Rat. Stud. Theol.* p. 40.) quem supra laudabam, qui recte addit, *dici vix posse, quanti sit illa προπαιδεία ad prophetias intelligendas.* Eodem modo Coccejus noster *Præf.* in *Dodecaproph. Sed ad temporum distinctionem cumprimis necessarium erit nosse ætatem Prophetarum. Quanquam enim ex rebus ipsis aliquando possimus rescicere, si non quo tempore locuti sint ii, quorum ætas non est annotata & inculcata, aut ea oracula edita sint, quorum tempus & annus determinatus non est; saltem ante quod tempus & post quod tempus loquuti sint,*

quum

quum in suis sermonibus præterita & futura distinguunt: tamen ubi ætas Prophetæ & Vaticinii expressa est, id multum facit ad rerum ordinem eo promptius noscendum. Res manifesta est, & per se clamat. Exemplum peti potest ex *Jes.* 11.6. 7. 8. Intelligentia illius prophetiæ tota fere pendet à notitia temporis, quo edita est. Pone enim editam esse sub Jothamo, (& ponere illud licet, non obstante *cap.* VI, I.) cessat difficultas, quæ cæteroquin Interpretem moratur. Estne idem quod Eruditi Viri tantum operæ collocent in tempore Monumentorum, ab antiquis Scriptoribus relictorum, *Epistolarum* puta Ciceronis, & similium aliorum, indagando, quod inde pendeat accuratior eorum intellectus?

3. *Alterum* huic addo, *exactiorem historiarum notitiam.* Nihil hic moneo non vulgatum & tralatitium, & quod non imperitissimus quisque per se intelligit; licet propterea tamen non omnes, qui se ad prophetiarum interpretationem accingunt, id præstent. *Prophetia* est narratio rerum gerendarum, *historia* gestarum: illa prænunciat, quid futurum sit; hæc demonstrat, quid factum sit. Nemo itaque non perspicit, has res ita esse comparatas, ut *historia* quidem recte consistat absque *prophetia*, sed non perinde *prophetia* absque *historia*, quippe cujus implementum in historia quærendum; cujus veritatis demonstratio perfecta non est, absque subsidio historiæ; nulla est, si fallat eventus. Quare si

Vete-

Veteres recte dixerint, historiam esse *lumen temporum*: recte quoque ego dixerim, esse *lumen prophetiæ.* Nec tamen id ita intelligi velim; acsi ad Verbum Propheticum cum fructu legendum nemo se adjungere possit, nisi accurata rerum in Mundo & Ecclesia gestarum instructus notitia. Cum enim paucorum hæc sit scientia, & doctrinæ perfectio, nec adeo multi homines tam vastæ scientiæ sint capaces: fieret sane, ut Prophetici Verbi utilitas redundaret ad paucos, & studium hoc nobilissimum valde angustis spatiis includeretur. Sufficit igitur gregariis Prophetiarum lectoribus aliqualis, sive rudior aliqua & compendiosior notitia majorum mutationum, quæ in statum Mundi, & Ecclesiæ maxime, inciderunt; & possunt vere hic usum præstare insignem *Periodi* temporum *historicæ*, quarum *Epochæ* illustriores in majoribus & generalioribus Mundi & Ecclesiæ mutationibus figuntur, passim in *Systematibus Historicis* annotatæ & descriptæ; estque facile eas observare & memoriæ imprimere. Ipsæ illæ *Periodi septem*, in quas Cl. Coccejus *tempus totum Oeconomiæ Novæ* divisit, quasque ille opinatus est habere usum maximum non tantum in *Apocalypsi*, sed & *Prophetiis V. T.* recte intelligendis, tam apte sunt accommodatæ ad historiam, ut si quis tempus Ecclesiæ Christianæ reducere velit ad certas quasdam *Periodos*, quæ demonstrent majores mutationes status illius Ecclesiæ, absque ullo etiam

respectu

respectu ad prophetias; non facile sit producturus commodiores, in quas *historia hujus temporis*, usque certe ad *tempus nostrum*, aptius distinguatur. Has igitur nosse, & secundum eas de Statu *Ecclesiæ* pro variis ejus ætatibus judicare: non potest non usum habere in lectione Verbi Prophetici maximum; nec potest hac notitiâ rudiore carere qui *Apocalypsin*, *Parabolas Domini*, aut Prophetias quasdam alias V. T. quas de *Ecclesia* N: T. agere constat, meditari cupit. Verum in *Interprete publico Verbi Prophetici*, & quidem prophetiarum omnis generis, accuratior historiarum notitia, & peritia major, requiritur. Aliud & plus est, alii præire viam; aliud, præeuntem sequi. aliud prælucere; aliud, alterius lumine collustrari. Est vero quod Deo gratias persolvamus summas, primum quidem, quod omni Ecclesiæ tempore Spiritu suo suscitaverit prudentes Viros, qui res in Ecclesia gestas literis consignarunt & transmiserunt ad posteritatem, suaque benigna providentia curarit, ut monumenta illa, longi temporis tractu conservata, ad nos pervenerint sive integra, sive in compendium redacta, nostrisque serviant usibus: deinde quod studium Historicum post renatas literas insigni cum profectu sit excultum ab egregiis Viris, atque etiamnum ætate hac nostra excolatur; quo factum, ut Pericopis quibusdam Propheticis, quibus de fatis *Ægyptiorum*, *Assyriorum*, *Tyriorum*, imo ipsorum quoque *Judæorum*;

daorum, agitur, serenior multo lux accesserit, quam majoribus nostris affulsit, merenturque hic præter alios Scaliger, Usserius, Conringius, Marshamus, Vorstius, cum laude singulari appellari. Et vel sic tamen aliquo adhuc laboramus defectu, & omnino esset optandum, ut historiam Populi Judæi post tempora Uzziæ haberemus pleniorem, & vicinarum Gentium perfectiorem, quam ex monumentis, quæ supersunt, sacris aut profanis, peti potest, ut implementum quarundam prophetiarum de *Ægypto*, *Tyro*, *Idumæa*, *Arabia*, & ipso quoque *Populo Judæo*, clarius possemus demonstrare, quam hoc tempore licet. De historia N. T. idem prædico; sed in tanto excellentium Virorum numero, qui se ad illam illustrandam applicarunt, neminem hic laudo, cum absque ostentatione recenseri nequeant, & alias satis noti sint. Id unum igitur hic moneo, curæ esse debere Interpreti prophetiarum, ut historias cum judicio legat, nec nimis temere fidat popularibus quibusdam & vulgatioribus judiciis, quæ *Systematici* subinde alii ex aliis describunt. Quare si commune aliquod judicium formare velit de *Statu Ecclesiæ Catholicæ* cujusque temporis: cavebit sibi diligenter, ne ex *accidentibus* quibusdam particularium Ecclesiarum aut singularium hominum judicet de Statu *Ecclesiæ Universalis*; vel ex *uno* aliquo *attributo* aut *accidenti Ecclesiæ Universalis* in laudem vel vituperium Ecclesiæ illius ætatis sententiam dicat; vel etiam in testimonio

nio unius Scriptoris, aliud forte agentis, aut affectu in sinistram partem prærepti, aut in communia vitia hominum sui temporis homiletico more declamantis, judicium suum fundet, *nisi* forte Vir sit gravis, notæ auctoritatis, & probitatis, qui ex professo statum Ecclesiæ sui temporis depingit: sed potius ex monumentis historicis, & gestis, scriptisque Ecclesiæ illius temporis inter se collatis, colliget *accidentia per totum corpus Ecclesiæ generatim diffusa*; & cum totum *Corpus Ecclesiæ externæ* huc usque nunquam fuerit absque vitiis aut incommodis: observabit diligenter, & recto judicio statuet, utrius generis accidentia, *bona* & *laudabilia*, num potius *vitiosa* & *illaudata*, hac vel illa Ecclesiæ ætate prævaleant & dominentur, idque judicium, ut sanum & rectum, sequetur. Secus si instituerit, nunquam obtinebit, ut Status Ecclesiæ diversorum temporum rite dignoscat & discernat. quæ singula exemplis illustrarem si liceret. Simili modo res se habet cum præjudiciis quibusdam, quæ ex historia ab incautis hauriuntur, & in prophetiarum interpretationem subinde intruduntur. Leges, verbi gratia, apud Sabellicum, Cuspinianum, aliosque, ex Anastasio, Adone, & monumentis Carolinæ historiæ tradentes, Carolum, Francorum & Germanorum Regem, à Leone III Pontifice solenniter dictum esse *Imperatorem Romanorum*, exeunte Sæc. VIII, & hoc *Imperii ἀξίωμα* ad ejus posteros,

ſteros, & inde ad *Germanorum Reges*, quorum primus *Otto* illud ſuſcepit, eſſe tranſlatum. Sed luſus hic ſcenicus non debet miſceri cogitatis Spiritus S. cum nihil veri, omnia ſimulata habeat. Leo enim, & Populus Romanus, illo tempore non poterant creare Imperatorem Romanum, cum ſui non eſſent juris, nec plus dare poſſent Carolo, quam ipſe jam poſſidebat. Si *Imperator* dicendus ſit Carolus; dicendus eſt *Francicus:* ſi Otto, & Succeſſores ejus; *Teutonicus*. In Viſis itaque Propheticis *Danielis* & *Apocalypſios* Imperium Romanum tempore Caroli jam cenſetur eſſe abolitum, & *Germaniæ Imperium* pro *Regno* habetur, ut recte alibi demonſtravit Larenus. Idem dicendum de *Imperio Græcorum*, quod illius Gentis Scriptores haberi volunt pro *Romano*.

4. *Hiſtorico* vero ſtudio jungendum eſt *Geographicum*, quod hic *tertio loco* commendo. Sic recte rurſus præivit Gauſſenus: etſi obſervatio longe petita non eſt, ut nec cætera hujus generis. *Nam*, ait, *quia apud Prophetas, non modo locorum Palæſtinæ, ſed earum etiam regionum, quæ ſunt Palæſtinæ* ὅμοροι, *quæque cum Gente Iſraëlitica crebra odia exercebant, frequens eſt & paſſim repetita mentio, ut cum illis horribile illud ſuum* MASSA (משא *Onus*, prolationem ſententiæ,) *denunciant: omnino oportet Studioſum iſta omnia ad tabulas ſuas Geographicas revocare. nam primo illæ erunt memoriæ fulcimentum; deinde*

de claram rei in animo ideam describent; denique animum de tam severa lectione fessum recreabunt. Nihil addo, cum res per se loquatur.

5. *Quartum* ordine sequitur, attenta & *meditata Pericopæ Propheticæ*, quæ tractanda sumitur, inspectio, lectio, consideratio, ruminatio, *collatis meliorum Interpretum sententiis & hypothesibus.* Vanum esset, illud hic commendare, & vel simpliciter etiam recensere medium, quod per se, absque monitore, omnes intelligunt ad cujuscunque Libri difficilioris interpretationem plane necessarium esse, nisi satis constaret, in hanc partem gravissime peccari, quod ab aliquibus sæpe ad leves & perfunctorias operas tanti momenti negotium, quanti est expositio Divini Verbi; & maxime Prophetici, suscipiatur. Labor hic & exercitatio requiritur, eaque adsidua & intenta, ipsius Scripturæ admonitu, *diurna* & *nocturna*, *Ps.* I. I. Atqui id ipsum est, quod Sp. S. sub elegante metaphora, emblemate expressa, appellat *verba Dei*, & *Volumina Oraculorum ejus edere*, absumere, devorare, in succum & sanguinem vertere, *Jer.* XV. 16. *Ezech.* II. 8. III. I. 2. *Apoc.* X. 9. Sunt autem hic sequentia observanda. Et quidem Primo, in omni meditatione *Pericopæ Propheticæ* expendendum est imprimis *Prophetiæ subjectum*, ex *prædicatis* suis cognoscendum, ut supra jam monui. *Talia* enim *sunt subjecta*, *qualia prædicata*, ut notum; sive, quod alibi Doctus In-

ter-

terpres: *Omnia prædicata conjunctim demonstrant instar definitionis aut nominis proprii subjecta nominum analogorum*; estque insuper ejus, ubi de ordine & methodo meditationis disserit, utile monitum, quod hic adscribo: *In singulis dictis concipiatur generalis & indefinita notio ante definitam & determinatam personis, temporibus, locis, speciebus, sive rebus singularibus; sive, ut cum Scholis loquamur: prius cogitetur de Thesi, quam de Hypothesi. Thesis referatur ad suam classem. Quicquid erit pertinebit vel ad Regnum Dei, vel ad Regnum Diaboli; & si ad Regnum Dei, ad tempus expectati Christi, vel patefacti, vel ad omne tempus.* Inde progredi licet ad *hypothesin*, & prophetiæ, cum historia collatæ, implementum in omni sua circumstantia demonstrare. Deinde nemo non videt, quanti sit in hoc negotio, *Scripturam Propheticam* iis linguis legere, quibus acti à Spiritu S. homines illam nobis reliquerunt. Usum id equidem habet summum in omni *Verbo Divino* exacte interpretando; sed maxime in *Prophetico*. Est enim stylus sublimiorum Prophetarum multis locis impeditior, ob orationis hyperbata, concisasque & abruptas sententias, & voces phrasesque quæsitissimi delectus, quæ eorum dictionem ornant. Hebraici præcipue idiomatis hic nosse genium, proprietatem, structuram, ad intelligendam τὴν δύναμιν τῆς φωνῆς *vim vocis*, (1 *Cor.* XIV, 11.) & orationis emphasin atque elegantiam, aliorumque in-
 terpre-

terpretationes prudenter dijudicandas, plurimum interest, cum hac Lingua pleræque traditæ sint prophetiæ, & stylus Græcus *Apocalypsios* ad Hebræam dictionem sit conformatus. Tertio denique: si quis hæreat in obscurioribus Oraculis: excutiendæ & discutiendæ, atque sub modestum vocandæ sunt examen præstantiorum Interpretum hypotheses, & rationes quas pro iis adstruendis producunt, inspiciendæ ac χωρὶς προσκλίσεως pensitandæ sunt, ut ex earum comparatione eliciatur verum; cujus generis exempla dedi in *Anacrisibus*, quas majoribus *Apocalypsios* partibus præmisi. Id qui negligunt, si faveat occasio: manifesti sunt superbiæ aut pigritiæ, quorum vitiorum neutrum hic est excusabile. Qui enim ipse audiri ab aliis vult & legi, quo obtentu alios audire & legere recuset? Imo vero in omni disciplina rite tractanda id obtinere debet, ut aliorum profectum commetiamur cum nostro, ne forte deteriora melioribus supponamus.

6. Succedat his, quod præcipuum est, diligens ἈΝΆΚΡΙΣΙΣ & ΣΎΓΚΡΙΣΙΣ ΤΩ͂Ν ΓΡΑΦΩ͂Ν, *investigatio*, *scrutinium* (*Joh.* V. 39.) & COLLATIO SCRIPTURARUM SACRARUM, maxime *Propheticarum*, ejusdem argumenti, ad exemplum *Beroeensium*, (*Act.* XVII. 11.) qui cum id agerent, laudantur ut εὐγενέστεροι *nobiliores Thessalonicensibus*. Est enim id opus vere *nobilium*, bonæ mentis & indolis, erectique animi hominum: quod sordidi & sui negligentes

gra-

gravantur. Certe enim ita existimandum est, *Propheticorum Voluminum* omnium, imo *totius Scripturæ*, eandem esse materiam, idem argumentum, eundem scopum, ut ab uno profecta sunt auctore, Spiritu Sancto; atque adeo fieri non posse, quin se mutuo collustrent, (ἀλληλουχῶσι) & illuminent. *Moses* & *Elias*; addo, Jesaias, Jeremias, Ezechiel, David, & integer Prophetarum chorus; hic *colloquuntur inter se*, & *cum Christo*, (*Matth.* XVII. 3.) ut doceamur (sic alibi pulchre ludit Pellicanus:) inter illos intercedere consensum, συμφωνίαν, concordiam, & in eandem omnes conspirare sententiam. nihil loqui singulos, quod non loquantur universi.

7. Ultimo denique loco, cum nostro & superiore ævo Scientia Sermonis Prophetici compingi cœperit in Σῶμα quoddam, sive Formam *Doctrinæ Systematicæ*, qua *Tempora Ecclesiæ* disponuntur, & *Prophetiæ* quæque ad *Tempora* sua ordinantur: haud dubie recte sibi consuluerit Divinæ hujus Sapientiæ Catechumenus, si ex Libris illis necessaria petat hujus Scientiæ subsidia ac præcepta, & usum eorum tanquam χειραγωγῶν cum lectione *Sermonis Prophetici* conjungat. Specimen primum edidit Cl. Coccejus in *Ultimis Mosis*, in quo Opere studiosissime elaboravit. Quod ad *Prophetias V. T.* attinet: labor est quantivis pretii. Quod ad *Prophetias N. T.*; multa haud dubie docte & pie cogitata monitaque sunt à Viro Divinarum Literarum peritissimo, & potuisset

tamen ad illustranda *Fata Ecclesiæ N.T.* deligere *Pericopas Propheticas* V. T. commodiores & ex hypothesi demonstratu faciliores quam *Cantici* illas & *Benedictionis Mosaicæ.* Presserunt ejus vestigia Viri de Ecclesia laudabiliter meriti, Suicerus, Gulichius, Momma, Heideggerus, aliique; post quorum conamina proximis hisce annis *Theologiæ Propheticæ Systema* edidit perfectius, tam perite & diligenter compositum quam bene digestum, & necessario ornatum eruditionis cultu, Cl. Vir, *Nic. Gürtlerus,* hoc tempore Collega noster in Domino conjunctissimus. De *Periodis* autem Ecclesiæ *septem* ex hypothesi Σμακαρ. Cocceji multa prudenter & insigni cum moderamine judicii in *Tractatu* hujus argumenti, vernaculo sermone edito, monuit disputavitque Frater in Christo & Symmysta pl. honorandus, Celeb. *Tillius.*

8. Atqui hæc *media* nostræ potestati subesse dixi, quatenus nostræ facultatis hæc est exercitatio. Sed ut nobis contingat illis recte uti: adferendus est ad hoc studium animus castus, purus, modestus, anticipatione erronea liber, debita affectus reverentia in Deum & Verbum ejus, nihil humile de Deo ejusque Revelationibus sentiens, paratusque omne revelatum Divinæ Voluntatis cum *obsequio fidei* admittere. Oculi requiruntur boni, recti, simplices, columbini; non retorta lumina, & aliovorsum reflexa. Quod cum sit Divini muneris beneficium: imploran-

dum

dum est auxilium Sancti Spiritus, tum ut has bonas & laudabiles animi affectiones in nobis producat, & productas conservet; tum ut mentem illuminet, *develet*, (à velo liberet) in recta dirigat, & ab aversis abducat; quam operationem Spiritus Dei boni omnium temporum Sancti agnoverunt, *Ps.* XXXVI. 10. XLIII. 3. CXIX. 18. 27. Eleganter in eodem *Cantico*, ℣. 66. [redacted] טוב טעם BONITATEM GUSTUS, *& scientiam doce me. Bonitas gustus* est haud dubie *judicii sanitas* & *rectitudo affectuum*; quippe quæ duo indivulso nexu inter se conjuncta esse oportet. Certe *in luce Dei videtur lumen*; qua qui caret, est in tenebris, etiamsi sibi vel maxime videatur sapere.

9. Quod tamen non ita accipi velim, acsi Revelationes Propheticæ intelligi nequeant *absque extraordinaria illuminatione* Spiritus illius qui Viros sanctos inspiravit, quam Ostorodi sententiam (*Instit.* Cap. XL. §. 3. 4.) refellit Coccejus ad *Ult. Mos.* §. 648. Respicitur hic haud dubie *ductus* Sancti Spiritus *ordinarius*; quin ad historicum & literalem plurium prophetiarum sensum assequendum sufficit facultas doctrinæ & judicii, quæ naturæ dotes non excedit. Potuit Prophyrius, veræ fidei adversarius; olim prophetias Danielis de *Imperii Persici* ac *Macedonici* successione & fatis recte intelligere; possunt Judæi ipsi, vera gratia & luce Spiritus S. cassi, absque errore de quarundam Divinarum prædictionum sensu & implemento recte judicare. Ductus itaque Spiritus S. in his præcipue requiritur prophetiis, primo quidem, quarum *materia est spiritualis*, præjudiciis & affectibus Psychicorum hominum contraria, cujusmodi sunt quæ de *Christo*, & *Regno ejus*, *Regnique* illius *beneficiis* & *prærogativis* canunt, quarum verum & interiorem sensum nemo percipit nisi *qui est in fide*, *homo spiritualis*, ipsorum illorum bonorum tam intellectu quam sensu præditus. deinde quæ sub *velo* & *involucro carnali* sive *literali* spiritualia & mystica tegunt. Hic *acutiore visu* opus est, accuratiore διακρίσει in *spiritualibus rebus* inter se & cum interiore sensu Spiritus S, feliciter conferendis. Hic quærit ex nobis Spiritus, an *mysteria revelatorum intelligamus*? & nos vicissim quærimus ex illo, *quid illa sibi velint*? & si quæramus supplices cum confessione nostræ ignorantiæ & imbecillitatis,

& stuporis etiam, succurrit nobis pro sua gratia, & velum ab oculis, rebusque ipsis, *removet*, *Zach.* IV. 5. 13. 14. *Dan.* VII. 16. *Apoc.* XVII. 7.

10. Imo vel maxime opus habemus hac gratia & ductu Sp. S. ut non modo *legamus* & *audiamus*, h. e. intelligamus, *verba prophetiarum*, *sed &* OBSERVEMUS QUÆ IIS SCRIPTA SUNT, *Apoc.* I. 3. Scopus enim prophetiæ non est nostra tantum instructio & consolatio, sed & ædificatio. Quin tempora singula, & diversa Ecclesiæ, prophetiis descripta, nos monent de *peculiaribus officiis*, cuique Ecclesiæ statui congruentibus; & ita monent, ut simul ad ea valide obligent, secundum illud Poëtæ, (Pedonis, *Eleg.* I. in *Mæcen.*) *Tempora dispensant usus, & tempora cultus.* Sic agamus, adjuti *virtute illa quæ est ex* [illegible] stemus in specula ut fideles vigiles decet; defixi in ver[illegible] Dei, passus gressusque ejus intenta mente observemus [illegible] legamus, respectantes gloriosum finem & exitum omnium afflictionum & luctarum totius Ecclesiæ, & nostrarum quoque, si persistamus in fide & spe nostra, cum calidissimo hoc voto & suspirio Ecclesiæ, VENI DOMINE JESU. VENI CITO!

Δόξα τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ Κυρίου ἡμῶν.

